CHRONOLOGIA
ROMANORUM PONTIFICUM

SUPERSTES IN PARIETE AUSTRALI BASILICÆ

SANCTI PAULI APOSTOLI

VIÆ OSTIENSIS

Depicta sæculo V. seu ætate S. Leonis PP. Magni,

CUM ADDITIONE

RELIQUORUM SUMMORUM PONTIFICUM

NOSTRA AD HÆC USQUE TEMPORA PRODUCTA

JUSSIONE

Sanctissimi Domini Nostri

BENEDICTI PP. XIV.

Cum Notis, singulis eorum Imaginibus subjectis, Epochas Illorum Sedis, dies Emortuales, necnon & loca ubi eorum Corpora sepulta fuerunt indicantibus.

ACCEDET AD CALCEM

APPENDIX

In Qua difficultates, quæ occurrunt, ex Translationibus Corporum, & Pignorum SS. Pontificum Romanorum, explicantur, atque solvuntur.



ROMÆ, MDCCLI.

Ex Typographia Antonii de Rubeis apud Pantheon, in via Seminarii Romani.

SUPERIORUM PERMISSU.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiss. P. Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

F. M. De Rubeis Patriarcha Conſtantinopol. Viceſgerens.

APPROBATIO

ILLUSTRISSIMI AC ERUDITISSIMI DOMINI

JOANNIS BOTTARI.

EXactiſſima *Chronologia Pontificum Romanorum, Sæculo V. depicta in parietibus Baſilicæ S. Pauli Apoſtoli Via Oſtienſi, juſſione SS. D. N.* BENEDICTI *PAPÆ XIV. inſtaurata, atque in præſens uſque tempus producta, Animadverſionibus, ſeu Præmonitionibus, Notiſque illuſtrata.* Romæ III. Nonas Decembris MDCCXLIX. In hoc Libro, quem diligenter perlegi, nihil a Catholica Religione, ac ſanctis morum regulis alienum reperi, ſed multa, quæ ad Eccleſiaſticam hiſtoriam illuſtrandam conducunt, ut cetera Cl. Auctoris Opera, quæ omnia pietatem, aut eruditionem redolent. In quorum fidem &c.

Johannes Bottarius.

APPROBATIO

C. V. JOSEPHI BLANCHINI

CONGREGATIONIS ORATORII ROMANI.

EX mandato Reverendiſſimi Patris F. Joſephi Auguſtini Orſi Ordinis Prædicatorum, Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtri, legi librum, qui inſcribitur, *Exactiſſima Chronologia Pontificum Romanorum Sæculo V. depicta in parietibus Baſilicæ S. Pauli Apoſtoli, Via Oſtienſi, juſſione SS. D. N.* BENEDICTI *PAPÆ XIV. inſtaurata, atque in præſens uſque tempus producta, animadverſionibus, ſeu præmonitionibus, notiſque illuſtrata* a Cl. & pientiſſimo Viro Canonico Joanne Marangono Sacrorum Cœmeteriorum Cuſtode, qui ſummo ſtudio, curaque adjecit animum ad illuſtrandam, & comparandam cum vetuſtioribus Pontificum Romanorum Catalogis illam Chronologiam, quæ palam propoſita ætate S. Leonis Magni, vel Symmachi Papæ in memorata Baſilica Doctoris Gentium, pulvere obſita latitabat, ac penitus ignorabatur ab Antiquariis, uſque ad Præſulem Franciſcum Blanchinum Patruum meum amantiſſimum, qui primus omnium adeo inſigne Romanæ Cathedræ monumentum evulgavit in opere Anaſtaſiano typis Salvioni. Exſtat ſuper coronide parietis Auſtralis memoratæ Baſilicæ Paulinæ in ſtylobate per totam navis longitudinem producto, cum ſingulorum Pontificum imaginibus, a B. Petri prothome numerandis, quæ digniori loco, & Aræ maximæ propiori ſita eſt. Singulæ imagines coloratæ ſunt in ſpatiis orbicularibus, quas Romani veteres dixerunt clypeatas; & duas inter imagines, & orbiculos tantumdem ſpatii relictum fuit, ut totidem breves epigraphes, & quidem palmaribus literis, pingantur in

 area,

area, exprimentes nomen illorum Pontificum, quibus apponuntur, una cum numeris annorum, mensium, ac dierum. Nunc ergo, quoniam Sanctissimus D. N. BENEDICTUS PAPA XIV. venerandæ antiquitatis studiosissimus, ac Magni Leonis prædecessoris sui æmulator egregius, eumdem Leonianæ ætatis Catalogum instaurandum curavit, atque ad hæc usque tempora produci jussit, demandatâ provinciâ Cl. Marangono memoratum Catalogum a Francisco Blanchino detectum, atque descriptum eminus ope telescopii, iterum delineandi accuratiori stylo, recudendique typis, nunquam nisi cum literis interituris, prodeat in lucem hoc Opus Marangonianum auspicatissime anno proximi Jubilæi, atque omnium Romam adventantium pateat aspectui, in perenne Successorum Beati Petri in prima Cathedra matre omnium Ecclesiarum testimonium. Nihil in eo aut Catholicæ veritati, aut Christianis moribus adversatur; quinimo antiquissimorum, quos Auctor contulit, Catalogorum conditione, itemque petitorum a probatis Scriptoribus argumentorum pondere, sacræ antiquitatis studiosis censeo magnopere profuturum. Romæ ex Ædibus Vallicellanis IV. Idus Decembris Anno Dñi MDCCXLVIII.

Joseph Blanchinus Presbyter Congregationis Oratorii Romani.

APPROBATIO
C. V. JOSEPHI CATALANI
ORATORII S. HIERONYMI CHARITATIS PRESBYTERI.

Librum, cui titulus: *Exactissima Chronologia Pontificum Romanorum &c.* Auctore Viro Clarissimo nostri Oratorii S. Hieronymi Charitatis Presbytero, P. Joanne Marangono, cum, demandante Reverendissimo P. Fr. Josepho Augustino Orsi Sacri Palatii Apostolici Magistro, accurate perlegerim, nihil plane in eo offendi, quod Christianæ Religioni adversetur; cumque ipsum potius repererim exquisita eruditione refertum, atque animadversionibus ad illustrandam Romanorum Pontificum seriem aptissimis, dignum censeo, ut in summam rei litterariæ utilitatem publica quantocius luce donetur, tum præsertim, quod Auctor doctissimus ingenti labore ac studio conatus sit seriem ipsam a fabulis, ac mendis Chronologicis purgare, & sublatis difficultatibus in integrum restituere. Agendæ autem gratiæ potissimum sunt Regnanti Pontifici Maximo BENEDICTO XIV, qui Majorum exempla sequutus inter alia egregia sui gloriosissimi Pontificatus facinora, Romanorum Pontificum seriem in celeberrima Apostoli Pauli Basilica instaurari non solum, sed & continuari curavit, eruditissimo Auctori scribendi hunc Librum occasionem præbuit. Datum Romæ in Domo Oratorii S. Hieronymi Charitatis IV. Idus Decembris anni MDCCXLIX.

Josephus Catalanus ejusdem Oratorii Presbyter.

IMPRIMATUR.
Fr. Joseph Augustinus Orsi Ord. Præd. Sac. Pal. Apost. Mag.

IN-

INDEX ANIMADVERSIONUM.

CAPUT I.

CAPUT II.

CAPUT III.

CAPUT IV.

CA-

C A P U T V.

C A P U T VI.

C A P U T VII.

C A P U T VIII.

C A P U T IX.

C A P U T X.

CA-

CAPUT XI.

CAPUT XII.

CAPUT XIII.

CAPUT XIV.

CA-

C A P U T   X V.

C A P U T   X V I.



RA-

RATIO, ET INSTITUTIO OPERIS.

Plurima, & sanè egregia inter Monimenta, tum ad publicum Reipublicæ litterariæ decus, & augmentum, tum ad Urbis, ejusque Basilicarum ornatum, præstita a SS. Domino Nostro BENEDICTO PP. XIV. (quibus eruditos, piosque Viros sacræ Antiquitatis Cultores maximè sibi demeruit) haud extremum locum sibi vindicant, quæ in Doctoris Gentium Basilica, in Via Ostiensi a Constantino Magno munificentissime erecta, contulit beneficia, atque ornamenta.

Ejus amplam, & augustam plane Absidam, sub initia XIII. Sæculi, nobili musivo opere exornavit Honorius PP. III, in cujus digniori loco prægrandis, atque majestatis plena resulget Salvatoris sedentis imago, cujus ad pedes provolutus ipse Pontifex venerabundus benedictionem sibi ab ipso Salvatore impertitam excipit: in gradu aliquantulum inferiori conspiciuntur nonnullæ aliæ Imagines minutiori quidèm schemate efformatæ, inter quas Joannis Cajetani de Ursinis, illius Monasterii S. Pauli jam Abbatis, postea ad summum Pontificatum evecti, ac Nicolai III. nomine insigniti, qui idem opus musivum vel absolvit, vel pleniùs exornavit: quod constat ex hisce versibus, qui ibidem leguntur.

Totius Orbis honor, quod Honorius artis honore
Papa prius fecit, fulget fulgente decore,
Abbas, post Papam, quem Christus ad alta vocavit,
Omne Joannes opus mira pietate beavit.

Sub Honorii effigie legitur HONORIVS PP. III.

Sub ipsius Abbatis, & alterius Monachi Iconibus,

ADINVLFVS S	IOhS CAIETAN
ACS TA	VS ABAS

Adsunt præterea SS. Quinque Puerorum Innocentium ab Herode interfectorum imagines, quorum Corpora, antequam a Sixto PP. V. ad Basilicam Liberianam transferrentur, in hac Basilica quiescebant: & his quoque subjecta est Epigraphe

HIS INOCENTES: videlicet *Hi sunt Innocentes.*

Imagines verò tum Honorii, tum etiam modò relatæ, unà cum versibus à prægrandi marmorea machina tympani in superiori parte Altaris erecti anno 1600. à Congregatione Casinensi, adeò subductæ remanent publico aspectui, unà

eum aliis aliquot SS. Apostolorum subappositis, ut cerni non possint, nisi ex parte superioris Chori Monachorum.

Utrumque Salvatoris latus occupant Principum Apostolorum Petri, & Pauli Imagines ex eodem musivo opere, singulæ altitudinis palmorum 30. ingentibus duarum Palmarum arboribus stipatæ. In subjecto stylobate, per totam amplitudinem, sivè extensionem semicirculi absidis ejusdem producto, fulgent XII. Apostolorum Icones pariter musivæ, suo cuique nomine adjecto, naturalem altitudinem exæquantes, & ipsæ Palmarum arboribus distinctæ, infrà verò variis elegantissimis plastico opere efformatis, auroque litis ornamentis decoratæ.

Insigne tamen hoc monumentum, quinque, & ultra Sæculorum spatio, temporis injuria adeò labefactatum apparebat, ut jam dehiscere incipiens, ruinæ proximum jam, jam esse videretur. Huic damno occurrere sa. me. Clemens PP. XII. excogitavit: sed vix admota manu, quibusdam emergentibus causis, ab opere desitum est, pluresque per annos infecta res stetit.

Verùm eximia SS. D. N. BENEDICTI XIV. Munificentia, nulla laboris, ac sumptus habita ratione, ingenti suo ære conlato, magnificentissimè reparari jussit, pristinoque splendori restitui. Opus sane tam exactè, ac diligenter absolutum est, ut, si de eo invento prædicatio debetur Honorio, de eo reparato, restituto, atque custodito, major BENEDICTO debeatur laudata perfectio, undè meritò usurpandum posse videtur, quod magnus Cassiodorus, Theoderici Regis nomine scribens, de Instauratione Urbis imperata, hisce verbis expressit (*Variar. lib. 1. Epist. xxv.*) *Ut antiqui Patres nobis meritò debeant suas laudes, quorum fabricis dedimus longissimam juventutem; ut pristina novitate reluceant, quæ jam fuerant vetustosa senectute fuscata*.

Non minori tamen laude dignum se præstitit sapientissimus noster Pontifex, quòd & aliud aggressus sit opus a suis Prædecessoribus neglectum, ex quo tantum decoris Pontificiæ Chronologiæ, & lumen accedit Ecclesiasticæ Historiæ. Mentis namque suæ amplitudine circumspexit in parietibus ejusdem Basilicæ Sancti Pauli vetustissimas depictas esse priscorum Romanorum Pontificum Imagines, illorum seriem referentes à S. Petro Apostolorum Principe, cum epigraphe unicuique apposita, in qua Epocha legitur annorum, mensium, ac dierum, quibus quisque in Apostolica Cathedra sedit: Sed eas temporis vetustate, aliisque tum loci incommodis, tum pulveris lutulenti vitio adeo fuscatas, tum quoque nonnullas ex delapsu calcis, cui superpictæ olim fuerunt, adeò deformatas, ut vix dignoscerentur. Statuit igitur eximià sua munificentia tam insigne monumentum omninò reparandum.

Sed, ut magis eluceat, quanta mentis intelligentia in id opus, & oculos, & animum convertere Sanctitas Sua dignata sit, præstat, ut antequam singula exponantur, quæ, juxta jussionem ejus, diligentissimè peracta sunt, ut harum Imaginum origo, ætas, locus, forma, ac diversitas etiam nonnullarum explicentur.

Calcidicam, seu Navem, ut vocant, Transversam, in qua extat Sacra Confessio, ubi Beatissimi Apostoli Pauli Corpus requiescit, a Navi mediana Basilicæ in Occidentalem plagam extensam, dividit Arcus major, seu Triumphalis S. Leonis Magni Pontificis studio, a Placidia Augusta erectus, atque celeberrimo Musivo, circa medietatem Sæculi V. exornatus. Hic giganteam porrò Salvatoris Imaginem pectore tenus, quatuor Evangelistarum Symbolis, Angelisque quibusdam stipatam in summitate sua exhibet. In utroque decurvo latere

xxiv.

xxiv. Seniorum Apocalypsis conspiciuntur Icones, Coronas suas Salvatori offerentes; in angulis verò immediatè subjectis, & propè parietes, eodem Musivo elaboratæ, ac stantes visuntur Imagines SS. Apostolorum Petri, & Pauli: Opus sanè præclarum, & in Ecclesiastica historia celebratum, quod nostra ætate haud parum deturpatum, jussione sa. me. Clementis XII. a Fabrica S. Petri instauratum, & pristino suo antiquo splendori restitutum agnoscimus.

Proximæ huic Musivo adhærent picturæ veteris Testamenti historiam referentes, quæ ornant parietem Australem Navis medianæ ejusdem Basilicæ a Presbyterio ad frontem Occidenti Soli obversam. His exadverso respondent in pariete Boreali gesta Novi Testamenti, & præcipuè historiæ Actorum S. Pauli. Uterque paries innititur xx. Columnis altitudinis palmorum 40. donatis basibus, Capitulis Ordinis Chorinthii, Epistylio, Zophoro, & Coronide: Supra Coronidem depictus est Stylobates per totam Navis longitudinem productus, quasi separans tristegum secundum ab inferiori. Et in Stylobate visitur Series, & Catalogus Pontificum Romanorum, & singulorum Imagines conspiciuntur a B. Petri protome numerandæ digniori loco, & Aræ maximæ propriori sita. Singulæ quoque Imagines coloratæ sunt in spatiis orbicularibus, quas propterea Romani Veteres dixerunt *Clypeatas*; & duas inter Imagines, & orbiculos, tantumdem spatii relictum fuit, ut totidem breves Epigraphes, quæ nomen exprimunt illorum Pontificum, quibus apponuntur, unà cum numeris Annorum, Mensium, ac dierum, quibus unusquisque Romanam Cathedram tenuit, inscriberentur.

Has quoque Imagines similiter descripsit eruditissimus, & cl. mem. Præsul Franciscus Blanchinus, qui in adornando egregio suo Opere in librum Anastasii Bibliothecarii de Vitis Summorum Pontificum, plurimum studii, & laboris impendit, ut hujusmodi Epigraphes exscriberet, easque referret in Prolegomenis ad To. 2. opusc. 3. cap. 3.

Post flexuram parietis Australis, minime olim fuit productus in parietem occidentalem ejusdem parallelli stylobates, sed alter cernitur eminentiori situ depictus, sex videlicet amplas inter fenestras, quæ lumen medianam in Navem admittunt. In eo quoque Areæ orbiculares, forsam octo, extitisse apparent, in quibus, primo aspectu, putabantur fuisse depictæ aliæ Imagines Pontificum Sanctum Innocentium I. subsequentium, at delapsa fere tota calce, nihil observari licet. Sed exactiori a Nobis adhibita inspectione, in angulari primo, & secundo orbiculo proximis lateri Australi, duæ pictæ Imagines repertæ sunt: prima cujusdam Viri, quasi pallio circumvoluti, junctis, ad modum orantis, manibus versus subsequentem Orbiculum, in quo depicta est B. V. Deiparæ imago. In angulo inferiori, ubi adest orans effigies, legitur VIVE.

Sub utroque Orbiculo, & ultra extenduntur duæ lineæ parallelæ cum hac Epigraphe, ex delapsa calce pariter mutila.

✠ HORAT HOMO ABINT ... R..SIE-
... R... P.. PN...

& hinc evanuit suspicio in hoc Stylobate continuatam fuisse Romanorum Pontificum Seriem.

Post aliam flexuram Occidentalis hujus parietis, in Boreali latere, & supra coronidem recurrit iterum Stylobates, sicuti in adverso Australi pariete, productus us-

usque ad aliud initium Arcus Triumphalis. In ipso, eodem modo, cernebantur in totidem Orbiculis, ferè quadraginta duorum Pontificum Imagines aliæ, cum suis appositis Epigraphis. Sed antequam judicium proferatur de hisce Imaginibus, explicandum est, quod in recentiori nostra oculari inspectione peracta animadvertimus; nempe sub hoc Stylobate, alium antiquiorem depictum fuisse, in quo Orbiculi, Imagines, & Epigraphes aderant, sicuti in pariete Australi, & hoc manifestè apparuit ex delapsu calcis superioris, per octo, vel decem tantum Orbiculorum extensionem, quod postea minime cernebatur. Sed quantum ætate, arte, atque peritia distarent ab aliis in pariete Australi depictis, primo etiam aspectu detegebatur, magis verò percipiebatur à perturbato ordine earumdem Imaginum.

Hæc porro Series ita disposita erat, ut meritò ejus, quoad Chronologiam, nulla prorsus habenda esset ratio, utpote per imperitum aliquem operis curatorem concinnata, qui sequiori sæculo instaurare volens jam obsoletas Imagines, & alias areas noviter additas, implere voluit picturis similibus parietis adversi, infelici planè conatu, omnia commiscendo, citra ullam Ordinis Chronologici observationem; proximos namque loco exhibuit Pontifices pluribus Sæculis invicem sejunctos, pluresque iteravit expressos suis locis in alia Scrie depicta in Australi pariete; inter quos bis repetiit Eusebium, qui jam suum locum obtinuit inter Marcellum, & Melchiadem: immo addidit Laurentium Pseudopontificem, qui electus fuit in schismate contra legitimum Pontificem Symmachum; Conflavit quoque Paulinum: præterea corruptam Epocham annorum, mensium, ac dierum, quibus quisque eorum sedit, exposuit. Quantum verò potuit rudis pictor imitatus est similitudinem tum Imaginum, tum etiam vestimenti, candidioris tamen coloris.

Præterea Nicolaus Papa III. antea Joannes Cajetanus, Cardinalis Archidiaconus, & Abbas hujus Monasterii ad summum Pontificatum evectus anno 1277. nonnulla huic Basilicæ addidit ornamenta, inter quæ, infra Coronidem, & inter Epistylia, & Capitula Columnarum utriusque lateris, in totidem areis Orbicularibus Imagines Pontificum in stylobate expressas pingi curavit, servata quidem similitudine vultus, & Coronæ Clericalis, non verò vestimenti: nam his addidit Pallium Pontificale è collo in pectus pendens, Crucibus distinctum: singulorumque capiti apposuit & nymbum, seu circulum, qui Sanctis tribui solet. At cum 20. tantum numerentur Columnæ in latere Australi, totidem exhibuit Pontifices. Hanc seriem vero produxit in aliis 8. Orbiculis efformatis in pariete occidenti soli obverso, necnon & supra Columnas Borealis parietis. In quibus tamen cernitur servatus ab eo hic Ordo fuisse, usque videlicet ad Capitulum quintæ Columnæ, in quo incipit diversa forma vestimenti, & præcipue Capitis, quod exornatur Tiara, seu Mitra turbinata, unica Corona in inferiori parte exornata: Factum est igitur, ut, cum superiores omnes Imagines ad numerum 84. pertingerent, istæ Nicolai PP. III. ad 48. tantum ascenderent: his quoque apposuit & Epigraphes simillimas superioribus: sed cum ferè omnes defecerint, ex delapsu calcis, paucæ legi possunt. Hoc idem præstitit idem Pontifex in Basilicis Vaticana, & Lateranensi, ubi eodem ferè modo depictæ aderant in parietibus cum historiis utriusque Testamenti Pontificum Icones, ut apparet ex documentis Jacobi Grimaldi, relatis etiam a Ciampinio, atque delineatis in Tab. X, aliisque in suo Opere Veter. Monumentorum.

Explicatâ igitur diversitate Imaginum Summorum Pontificum in utroque pa-

pariete depictorum, locus datur explorandi originem, & antiquitatem earum, quæ habentur in pariete Australi, quæ perfectam exhibent Chronologiam & Epocham. Eruditis antiquitatum Cultoribus visum est, hanc seriem referendam esse ad Sæculum Christi Quintum, ad quod, procul dubio, pertinet Musivum Arcus Triumphalis, studio S. Leonis Magni, & opera Placidiæ Augustæ elaboratum: & hoc pluribus argumentis statuendum probant.

I. Experimento oculari, & comparatione facta styli picturæ, & Imaginum cum Musivo Leoniano, ad quas diligentissime contemplandas relatus Blanchinius usus est telescopiis, & delectu quoque habito clariorum dierum ad observandum omnia pro libito. Huic inspectioni & Nos interfuimus olim cum ipso Blanchinio, sed melius depræhendimus in adhibita recentiori inspectione, unà cum Reverendissimo P. Abbate ejusdem Monasterii (de quo infrà) ac alio peritissimo artis pictoriæ professore.

II. Ad comprobandam Epocham Sæculi Leoniani communem Musivo Arcus, atque picturis hujusmodi, utendum est auctoritate libri Pontificalis. In Vita namque Symmachi Papæ, qui eodem Sæculo in Romana Cathedra sedit, anno videlicet Christi 498, & post ipsum Leonem trigesimo septimo, legitur, hunc Pontificem renovasse Absidam ad S. Paulum, *& post Confessionem picturâ ornasse*: Istas picturas post Confessionem, nullas alias fuisse putandum est, nisi quæ in parietibus depictæ apparent, & ipsi Confessioni posteriores esse noscuntur, respectu Absidis, quæ anterior pars est. Immò etiam observandum, in reparationibus hujus Basilicæ, consecutis Sæculis, præstitis ab Adriano I, & Leone III. Pontificibus, nullam fieri mentionem de Picturis, sed tantùm de marmoribus, & trabibus reparatis: ideoque haud immeritò Imagines, de quibus est sermo, referendas ad idem Sæculum existimatur.

III. Argumentum desumitur ex consuetudine jam inducta ante Sæculum Leonis III. proponendi Imagines Patriarcharum in Ecclesiis eorum: & in Basilica S. Petri, fere Sæculo integro ante ipsum Leonem, nam pictas fuisse Imagines Venerabilium Patrum, hoc est Summorum Pontificum, sub Joanne Papa VIII, qui sedit anno Salutis 705. testantur vetera Monumenta.

IV. Id argui etiam potest ex termino, in quo hæc Series ordinata Pontificum Australis parietis, cum exacta Chronologia, & Epocha desinit, quamvis, ut jam notavimus, probabiliter fuerit producta in octo, vel decem Orbiculos parietis Borealis, *subjectos* recentioribus Pontificibus superadditis; nam ab Innocentio I. quatuor tantùm sederunt Pontifices, a S. Leone I. usque ad Symmachum inclusivè alii septem.

V. Validius tamen argumentum desumitur ex Epistola Adriani I. Papæ ad Carolum Magnum scripta, atque producta in Synodo Nicæna II, in qua, ad statuendum contra Iconoclastas, sacrarum cultum Imaginum, distinctè numerat sacras inter picturas a S. Leone Magno additas in Ecclesiis a se constructis, sive refectis, triplicem Classem (quam Basilica S. Pauli adhuc retinet) scilicet *Musivum opus*, Salvatorem Mundi referens, & XXIV. Seniores, & coloribus *pictas Historias Veteris Testamenti*, necnon *Imagines*, videlicet clypeatas illas; quæ seriem Romanorum Pontificum repræsentant sub Historiis Biblicis depictas. Adrianus igitur, post indicatas Imagines Summorum Pontificum Sylvestri, Marci, & Julii depictas in Lateranensi, & Vaticana Basilicis, tam in Musivo Absidum, & majorum Arcuum, atque Historias utriusque Testamenti coloratas in parietibus me-

diæ

diæ Navis, ad IV. Synodum deveniens, ſub Leone Magno, Chalcedone celebratam, diſtinctè memorat Muſivum, Hiſtorias, & Imagines, juxta Deceſſorum exemplum, ab eo Pontifice conſtitutas in Baſilica S. Pauli, quas hodie ſuperſtites intuemur. *Itemque* (ait) *de quarto S. Concilio, egregius, atque munificus prædicator Leo Papa, & ipſe fecit Eccleſias, quas in* Muſivo, *& diverſis* Hiſtoriis, *ſeu* Imaginibus *pingens decoravit: magis autem in* BASILICA S. PAULI APOSTOLI, *arcum ibidem majorem faciens, & Muſivo depingens Salvatorem D. N. Jeſum Chriſtum, ſed XXIV. Seniores, nomine ſuo verſibus decoravit, & a tunc uſque hactenus fideliter a Nobis venerantur*. Et hìc in teſtimonio Adriani (ut obſervat Blanchinius) obſervandum, Eccleſias a S. Leone ornatas fuiſſe *Muſivo, Hiſtoriis, & Imaginibus*, præcipuè Paulinam, cujus in Muſivo nomen ſuum, & verſus appoſuit; ſubindè particulam *ſeù*, conjunctionis vim habere, ut illius ætatis uſus ferebat, quod ſæpiſſimè occurrit tum in Libro Pontificali, tum in textu Anaſtaſii Bibliothecarii: & hinc evidenter deduci debere, id, quod fecerat S. Leo in aliis Eccleſiis, præſtitiſſe etiam in Baſilica S. Pauli, nempe illam exornaſſe Muſivo, Hiſtoriis, & Imaginibus.

VI. Addam, & ego, ætatem Sæculi Leoniani haud obſcurè apparere in veſtimento Summorum Pontificum, quo exornantur hujuſmodi Imagines, *Pallio*, videlicet, *Philoſophico*. Non quod reverà, eo ipſo uterentur (forma namque indumentorum illorum nobis omnino eſt incognita) ſed, quod ſaltem in Imaginibus Virorum illuſtrium, eo ipſo tempore, forma indumenti adhibita fuerit veſtimenti nobilioribus, atque honoratioribus etiam laicis communis. Nam certum eſt (*teſte Cl. V. Thomaſſino p. 1. Veteris, ac novæ Eccleſiæ Diſcipl. lib. 2. cap.* 43. per quinqoe illa priora ſæcula, Epiſcopos, & Clericos modeſtiori veſte, laicis etiam communi, uſos fuiſſe, cum potius moribus, & virtutibus curarent a laicis diſcerni, quàm habitu: propterea Sanctum Cœleſtinum PP. I, qui eodem Sæculo V, paulo ante S. Leonem, in Epiſt. ad Nivemen. & Narbonen. Provinciæ Epiſcopos, vitio vertiſſe Gallicanis Epiſcopis, quòd veſtibus a Laicis ſecerni curarent, non moribus, ac virtutibus. Et hoc ſuper argumento plura nobis erunt explicanda Cap. IX. ſubſequentium Præmonitionum: Sufficiat itaque hunc morem illius ætatis hic indicaſſe: Certum quoque eſt, quod in functionibus Eccleſiaſticis Epiſcopi, & Clerici ſacris veſtibus uterentur, quæ vel ab ipſis Apoſtolis originem ducunt, ut optime probant inter alios, Baronius, Durandus, & Card. Bona; Ideoque & ipſa veſtimenti forma, qua utebantur etiam Summi Pontifices, tempore perſecutionum, eamque retinuere Succeſſores per Sæculum V. magis probat ætatem noſtrarum Imaginum: Neque ulla eſt habenda ratio de cæteris Imaginibus, diù poſtea pictis in pariete Boreali, ut paulo ante explicavimus.

Hiſce omnibus maturè conſideratis, collatiſque cum ocularibus obſervationibus, atque conſenſu non interrupto XII. Sæculorum exprimentium eamdem Chronologiam, & Epochas, quæ per ſingulos Pontifices in hac Paulina Baſilica depictos, ac etiam cum Codicibus non ſolum exteris, ſed etiam Vaticanis, & Eccleſiarum, quæ Romæ olim fuerunt ſuburbicariæ, liquidò apparet, horum Pontificum Imagines, nullo modo ultrà ſæculum V. S. Leonis magni eſſe protrahendas.

Undè meritò Sacrarum Antiquitatum Viri eruditi mirantur, tam præclarum, & inſigne monumentum, non ſine providentia, huc uſque ſervatum, fuiſ-

fuiſſe adeò neglectum, ut antiquiores Catalogorum Summorum Pontificum Collectores, de eo nullam prorſus rationem habuerint, immò ab Attilio Serrano, Panvino, aliiſque de VII. Urbis Eccleſiis tractantibus nec nominatum, & vix a Ciampinio indicatum, occaſione, qua nonnullis tabulis æneis ſimiles hiſtorias Veteris, ac novi Teſtamenti, ac Imagines Pontificum, quæ extabant depictæ in parietibus Veteris Baſilicæ Vaticanæ, conſpiciendas exhibuit in ſuo opere Veterum Monimentorum: Immo & pictores, atque cælatores, qui vultus Romanorom Pontificum æneis, ac ligneis tabulis, ac typis, primi ediderunt, hanc perantiquiorem ſeriem minime imitatos fuiſſe: nam laboris compendium nacti, oculos tantum intenderunt in Imagines a Nicolao III. Papa depictas in Capitulis Columnarum, quæ aſpectui proximiores erant, nihil ſolliciti fuerunt de ſerie vetuſtiori, in qua elucet ætas, & priſcorum mos illorum temporum: Hoc apparet in Imaginibus, ligneis tabulis cælatis, ac vitæ cujuſcumque Pontificis præfixis in opere Platinæ, ac etiam in aliis relatis a Bollando in Propyleo: utrobique enim habentur Imagines, ut expreſſæ fuerunt in Orbiculis Nicolai III, cum Pallio Pontificali Crucibus exornato, & a S. Silveſtro, ad ſubſequentes, cum Mitra, ſeu Regno unica Corona conſpicuo, cum revera antiquiores Imagines capite tantum Coronam Clericalem gerant, & ex humeris defluens Pallium Philoſophicum.

In tantum, verò, ac tam ſingulare Monumentum tamdiù ab omnibus ſere neglectum, atque irreparabili ruinæ proximum, oculos, & animum intendit Sanctiſſimus D. N. BENEDICTUS PP. XIV, qui ſingulari quodam intelligendi, & judicandi acumine fretus cum ſit, & totius antiquitatis, doctrinæque Eccleſiaſticæ copiis affluens, & virtutum omnium, quæ in Pontificem Optimum Maximum cadere poſſunt, omni genere, & laude cumulatus, in tanta curarum, & negotiorum mole, aliquid curæ, & cogitationis ſuæ ad hoc quoque reparandum Chronologiæ Sacræ documentum, non alienum a majeſtate Pontificia derivare non eſt dedignatus.

Abſolutà itaque Inſtauratione Muſivi, ab Honorio III. in Abſida hujus Paulinæ Baſilicæ conſtructi, accuratè in id opus incumbente D. Salvatore Manoſilii Meſſanenſe artis pictoriæ admodum perito, qui diligenti cura, ſummoque ſtudio cuncta diſpoſuit, juſſit Sanctitas Sua, ut poſthabita quacumque laboris, ac ſumptus difficultate, hæc exactiſſima Series Pontificum Leoniani Sæculi (pro nunc ſaltem) ſervatis tamen quantum fieri poſſet veteribus lineamentis, ac coloribus inſtauraretur, atque renovaretur.

Rei Curatores conſtituit duos Aulæ Romanæ Præſules doctos æque, ac eximios Antiquitatum cultores, Alexandrum, videlicet, Furiettum Sacræ Congregationis Concilii a Secretis, & Ludovicum de Conſtantio Domeſticum familiarem ſuum. Inſpiciendi vero, atque examinandi tum picturas, tum Epigraphes, earumque exactam Chronologiam, & Epochas, provinciam injunxit Rmo Patri Abbati ejuſdem Monaſterii S. Pauli D. Juſtino Capicio, Viro utique, rerum experientia, pietate, ac doctrina conſpicuo, qui mea tenuitate in conſortium adhibita, cuncta Lyncæo proſpiceret oculo, ſignaret calamo, & agenda ab eodemmet D. Salvatore pictore ad hoc delecto, præſcriberet; cui primo loco injunctum fuit, ne in hoc opere agendo peritiam ſuam (quæ ſatis in cæteris ſuis picturis elucet) vel addendo, vel minuendo proferret, ſed Imagines, ipſarumque Epigraphes iiſdemmet lineamentis, & coloribus, prototypis ſuis ſimillimas redderet.

Ad

Ad hæc omnia commodè peragenda, machina quædam adhibita fuit, quatuor suffulta rotis, quibus per totam navis extensionem, & quòcumque necessitas postularet, trahi posset (quæ castellum ligneum appellari solet) intra quam, appositis Scalis, ascendi posset usque ad coronidem. In ejusdem summitate constituti Rmus P. Abbas, Ego, atque Pictor, primo necesse duximus, stylobatem ipsum, una cum parte superiori imminentis parietis, ubi Veteris Testamenti depictæ habentur Historiæ, ab alto pulvere, quo fere omnia erant obducta, detergere: quod cum nec satis esset, ad clarè cuncta perspicienda, & præsertim Epigrapharum numerales notas, limpidæ aquæ conspersione, ac superfusione, uti necessarium duximus, quo melius, & lineamenta, & colores apparerent. Suprema pars Stylobatis, ex delapsu calcis, usque ad XIV. aream Orbicularem, tantum perierat, ut prima, quandoque altera, ac etiam Tertia deficerent Lineæ, vel paucæ dignosci possent Litteræ: Notas vero Annorum, Mensium, ac dierum, quibus unusquisque Pontifex sedit, vel intactas, vel parum deletas, superstites esse, ita ut non difficile fuerit, eas expiscare, quæ effugerant Blanchinium, optico tantum tubo è pavimento illas explorantem: quas, juxta Epochas correctiores, ipse supplevit. Nos vero Imagines ipsas, & Epigraphes præ oculis habentes, & aquæ beneficio clarius detegentes, eas quas ipse notas non vidit, eodem modo, ac forma, quibus apparuerunt, restituimus: Eas propterea litteras, atque notas superstites in hac editione earumdem Imaginum, grandioribus, seu majusculis, ut ajunt elementis, exprimendas curavimus; quæ vero in totum deletæ jam erant, minutiori charactere expressas voluimus: In Apographis verò integrè duximus restituendas, ne prospectus remaneret informis. Unica S. Anacleti Imago cum sua Epigraphe in totum perierat, quæ ad formam aliarum noviter est restituta. In reliquis vero Orbiculis usque ad S. Calixtum, quamvis labefactatæ Imagines repertæ fuerint, nihilominus tot earum lineamentorum, vultus, ac vestimenti adhuc vestigia remanserant, ut non admodum difficile fuerit pictoris diligentiæ ad antiquas suas formas illas revocare: Prima vero, quæ S. Petrum exhibet, adeò intacta reperta fuit, cum sua veste à cæteris omnino diversa, ut nonnisi recentioribus tantùm coloribus superadditis opus fuerit. Singulis Epigraphis Cruces rubri coloris, & quadrilateres præpositas olim fuisse apparet a S. Calixti orbiculo, & subsequentibus; Verùm cum ex causa antea relata in præcedentibus adnotatis, non effulgerent, haud noviter jungendas duximus.

Plurimum quidem laboris, ac diligentiæ (ut paulo ante explicavimus), in hisce Epigraphis excipiendis impendit olim C.V. Blanchinius; & non modicum ingenii adhibuit conferendo illas cum Catalogis, & Codicibus Archivorum, & Bibliothecarum tum intra, tum extra Italiam existentibus, ut Epochas, & earum consonantiam relevaret. Primo namque loco exhibuit Catalogum Sæculo IV. sub Liberio PP. confectum, a Bucherio, & Schelestrato editum; mox protulit aliud sexti Sæculi, ab eodem Schelestrato vulgatum, ex Bibliotheca Reginæ Sveciæ, nunc Vaticanum Alexandrinum. Tertio loco quatuor Catalogos Archivorum Italiæ, qui sunt Bergomensis, Cavensis, Farfensis, atque Lucensis. Quarto, Codices Bibliothecarum extra Italiam, videlicet Belgicum Papebrochii, & septem alios ex Bibliotheca Colbertina adductos a Pagio in secunda Editione Tomi primi criticæ ad Baronium: ultimo vero loco, quatuor Codices Ecclesiæ nunc Collegiatæ (olim verò Cathedralis) Terræ Ocriculi, quæ antiquitus una erat ex Suburbicariis Romæ, quorum monumenta ad rem spectantia primus ego detexi anno 1721. dum

Qua-

Quadragesimali labori ibidem incumberem, eaque transcripta eidem Præsuli direxi, cum quo, paulo antea, Picturas, de quibus agimus, in Basilica S. Pauli fueram contemplatus.

Modò verò, cum prænunciata Series Pontificum æneis tabulis sculpta publici juris facienda sit, visum est collationibus supradictis a Blanchinio factis, addere quoque nonnullas alias, ex variantibus lectionibus Codicum Vaticanorum, quas retulit C. V. Joannes Vignolius ejusdem Bibliothecæ Præfectus alter, ad calcem singulorum Pontificum libri Pontificalis, unà cum eruditis suis Annotationibus; cujus libri Pontificalis ipse vulgavit tomum I; post editionem Tom. 2. Operis Anastasii Bibliothecarii, anno videlicet 1724. idque egimus, ut magis eluceat, quàm exacta sint Chronologia, & Epocha indicatæ in Epigraphis appositis ad Imagines Pontificum depictas in pariete Australi Basilicæ S. Pauli. Nos vero minime latet, varias esse gravium etiam Scriptorum sententias circa Auctores tum libri Pontificalis, tum Anastasii Bibliothecarii Operis. Quæstionem hanc erudite explicavit Floravantes Martinellus in sua *Roma ex ethnico sacra* cap. 13. ubi de Antiquitatum Urbis scriptoribus agit a pag. 409. usq. ad 416. qui liber facile præ manibus esse potest. Sed vel liber Pontificalis fuerit antea collectus, ut volunt nonnulli, jussione S. Damasi Papæ, vel postea continuatus a Petro Guillermo Bibliothecario, vel ab Anastasio pariter Bibliothecario usq. ad Nicolaum PP. I. vel ab alio quocumque, parum ad rem confert. Et quamvis phrasim opus habeat incultam, rudem, atque impolitam, non est rejiciendum, cum ea monumenta eruta habeantur ex Archivis Ecclesiæ Romanæ. Quare nos distincte in Epochis antiquorum Pontificum annotandis, modò libri Pontificalis, modo Anastasii Bibliothecarii nominibus utemur: Certè Onuphrius Panvinus in Annotationibus ad Platinam, post Nicolaum I. hæc habet: *Ad hunc usque Nicolaum, Romanorum Pontificum Vitas scripsit Anastasius Monachus, & S. R. E. Bibliothecarius, sub quo, & ejus Successoribus Hadriano, & Joanne VIII. in Orbe floruit. Quæ sequuntur continuavit Gulielmus quidam alter Bibliothecarius, quæ in libro, sub Damasi nomine circumfertur, extant.*

Animadvertendum postremò ducimus, nil esse mirandum, si primi Scriptores Catalogorum diversimodè Epochas Romanorum Pontificum statuerunt, variantes modò annos, modò menses, vel dies, quibus unusquisque Apostolicam Sedem tenuit. Nonnulli quidem initium Sedis acceperunt à die vacationis ejus; alii a die Electionis, alii à Confirmatione, vel à die Consecrationis eorum. Terminum Sedis alii constituerunt a die obitus, alii a die Sepulturæ, etiam ad plures dies dilatæ. Plerique eam affixerunt inter duo paria Consulum, & a nonnullis etiam non bene annotata: ex quibus Consulibus tamen, & si valeant utcumque deduci anni, difficillimum est scrutari nos posse menses, & dies. Addendum quoque, quamplurimos Codices corruptos esse, præcipuè in consignandis Epochis, ex negligentia, & socordia Librariorum, sive Exceptorum. Cum enim, ut plurimum, hoc esset Monachorum negotium, qui, ut honestissimo labore manuum suarum otia quæcumque declinarent, exscribendis Codicibus operam dabant: eorum quis clara voce Textum legebat, cœteri vero, suis quisque in membranis prolata verba scribebant: at non omnes ipsissima verba, & præcipuè numerales notas distinctè percipientes, aliquid alius addebat, alius detrahebat: & hinc orta est varians hæc lectio in pluribus Codicibus, quos habemus. Alia quoque occurrit causa: Addebat quis in margine veterum Codicum, ut sibi melius videbatur, sive periodum, sive verbum, quod in Textu non aderat, sive

numeralem notam vel addebat, vel detrahebat: Exſcribentes vero hujuſmodi Codices, quæ reperiebant in margine, referebant in Textum.

Cum autem pro miraculo haberi poſſit, ſi ex Codicibus primigeniis antiquiſſimia, unus reperiri valeat omninò incorruptus, nulla major profectò fides eſt adhibenda, quàm vetuſtiſſimo noſtro Catalogo Baſilicæ S. Pauli, qui a nemine unquam corrumpi potuit, tot Sæculorum ſpatio, ac proindè meritò cunctis aliis Codicibus eſt præferendus.

In Collatione habita noſtri Catalogi, cum aliis Codicibus, non fuit prætermittendus Textus Anaſtaſii Bibliothecarii, ex Cod. Marci Velſeri, edito Moguntiæ anno 1602, qui in pluribus cum noſtra Epocha planè concordat.

Cum itaque eximià SS. D. N. BENEDICTI PP. XIV. Munificentià, exactiſſima Romanorum Pontificum hæc tum vetus, tum nova Chronologia, ejuſdem beneficio vel inſtaurata, vel integrè adjecta in parietibus Sacroſanctæ Baſilicæ Doctoris Gentium in Via Oſtienſi, in publicam lucem proferri debeat, operæ pretium duximus, nonnullis animadverſionibus, ſeu præmonirionibus illas antevertere difficultates, quæ, primo forſam aſpectu, alicui poſſent occurrere: mox diverſitates Indumentorum tum Civilium, tum Sacrorum, quæ ſpectantur in Imaginibus tum Sæculi Leoniani, tum ſubſequentium, exponere, atque explicare: ita ut & illorum ratio, & origo, & uſus, juxta diverſam temporum rationem, haberi valeat. Poſt hæc tandem Summorum Pontificum ipſorum imagines, ſicut in parietibus depictæ cernuntur, æneis tabulis inciſæ proferentur, cuique appoſitis notis, ad ſtatuendas, ac firmandas Epochas in Epigraphis expreſſas, indicantes ſingulorum Sedes.

ANI-

ANIMADVERSIONES, SEU PRÆMONITIONES

Ad enodandas difficultates, quæ occurrere possunt

IN CHRONOLOGIA

ROMANORUM PONTIFICUM,

ET EPOCHA ILLORUM SEDIS,

Depictis in parietibus Basilicæ S. PAULI *Viâ Ostiensi*.

ANIMADVERSIONES, SEU PRÆMONITIONES.

CAPUT PRIMUM

De diversa ratione, seu supputatione temporis, & annorum, quibus in Cathedra Apostolica sedere cœperunt Romani Pontifices per tria prima Sæcula, inita, atque servata à Baronio, Pagio, & aliis.

MAgnus Annalium Ecclesiasticorum parens Cardinalis Baronius, qui summo studio, ac iodefesso labore, invium hactenus tantum Oceanum, expansis velis ingredi, atque sulcare est aggressus, Æræ Christianæ, quam Dionysius Exiguus, Sæculo VI., excogitavit, & introduxit, initium duxit, & Nativitatis Christi aonum statuit Lentulo, & Messalino Consulibus, anno videlicet ab Urbe eondita 751, & Olympiadis 194 anno secundo. At animadvertit Spondanus eorumdem Annalium abbreviator, plures recentiores Chronologos hìc Baronium arguere, quòd ex eodem principio, & verum Nativitatis Christi annum duxerit, & initium Æræ Christianæ a Dionysio inductæ. Quæ Epocha, licet usu, hodieque recepta sit a cunctis Christianis, & apud Astronomos etiam obtineat, tamen contendunt, eam justo minorem esse, quidam uno, alii duobus, nonnulli quatuor, aut quinque, vel etiam pluribus annis: alii vero plures consentiunt quidem, Christum natum esse, sicuti ait Baronius, Lentulo, ac Messalino Coss., sed hanc Epocham duobus annis præcedere Dionysianam, quam Baronius sequi professus est: ex cujus computo dicendus esset Christus Dominus natus esse Cornelio Lentulo, & Calpurnio Pisone Coss., Olympiadis 197. anno 4, Urbis verò Conditæ 753. Et hic queruntur, Baronium utramque Epocham miscentem, & in multis historiam tam Ecclesiasticam, quam profanam turbasse; usque dum perveniens ad Diocletianum Augustum, rectà iode Chronologiam progressus fuerit: alii vero extant, qui ab ipso initio ejus computandi rationem comprobant.

Cœteros inter audiamus, quid senserit C. V. Dionysius Petavius, *To. 2. Rational. Temporum p. 2. lib. 4. Differt. priori ad Caput 1. ubi agit de vero Nativit. Christi anno, Edit. Venetæ anni 1734. prope fin. pag. 344. Sanè* (ait) *ipse Baronius hanc vulgarem Æram, quam sequi profitetur, biennio tamen integro antevertit, cum Christum vult natum Lentulo, & Messalino Coss. hincque in multis tam Historiam Ecclesiasticam, quam profanam turbavit, donec a Fastis duobus paribus Consulum erasis, a Diocletiani temporibus rectà tandem Chronologia progressus est; Similiterque Onuphrius Panvinus, Mercator, & alii, ut in eamdem Æram devolvantur; quam imprudentes uno anno anteverterant, cradunt Probum, & Paulinum Coss. anni 277, & sic alii alios; cum contrà longè æquius fuisset, Dionysianam Æram illam justo bre-*

vio-

viorem, ficuti eſt, fateri, quàm privatâ licentia Faſtos ad mentem ſuam componere, & in multis Chronologiam vexare.

Cum autem hæc negari minime poſſint, nullatenus tamen ingenti laude eſt defraudandus Eminentiſſimus Baronius, cum tot inter adhuc offuſas tenebras, lucem ſaltem qualemcumque adinvenerit, ut eruditiſſimis ſuis Analibus facem præferret, quæ ſibi neceſſaria videbatur, donec clarior veritas hiſtorica, & Chronologica appareret iis, qui poſt eum, exactioris criticæ ſtudio incumbentes nova detegerent.. Hac ſuper argumento maximè claruit eruditiſſimus Antonius Pagius Ordinis Conventualium S. Franciſci, qui, noſtra ætate, juſtam, exactioremque Criticem in ejuſdem Baronii Annales conceptam publicæ utilitati edidit, quæ omnium fere eruditorum calculis adprobatur; quam inter alios amplexus eſt Franciſcus Pagius illius Nepos ex eodem Inſtituto, in ſuo *Breviario Hiſtorico-Chronologico-Critico*, quo Romanorum Pontificum geſta, ingenti eruditione referta, èdidit, quod Lucæ prodiit anno 1739: Ubi to. I. pag. I. ſtatuit, Chriſtum natum fuiſſe anno Urbis Conditæ 748. ante Æram vulgarem ſexto, Juliano XI, Auguſti XXXIX. Cyclo Solis IV. Lunæ XV. Indict. XIII.

Eruditiſſimus quoque Emmanuel à Scheleſtrate Vaticanæ Bibliothecæ Præfectus, & Baſilicæ Principis Apoſtolorum Canonicus, Vir ingenti eruditione conſpicuus, hanc provinciam illuſtrandam, & felici quidem conatu, ſuſcepit in egregio ſuo Opere *Chronologico Antiquitatis Eccleſiæ, in quo Chriſti Salvatoris noſtri, necnon Petri, & Succeſſorum ejus Romanorum Pontificum tempora conciliantur*. Certis namque rationibus, ac indubitatis Veterum teſtimoniis, præcipuè verò ex Conſulibus temporis mortis Chriſti (qui fuerunt duo *Gemini*, a cunctis Scriptoribus aſſignati) anno Æræ vulgaris XXIX. retrocedendo, tempus Incarnationis Chriſti, ante Æram Vulgarem contigiſſe ſex annis, Conſulibus C. Cæſare, & L. Æmilio Paulo. Luculentiſſime itaque, Cap. 2. Diſſertat. I. demonſtrat, quòd anno, ante Æram Vulgarem, ſexto, Chriſtus Dominus Incarnatus ſit; Et cap. 4 Quòd obierit anno Æræ Vulgaris XXIX, quo duo *Gemini* Conſulatum gerebant. Hinc in Præfatione ad Lectorem, admonet, hiſce verbis: *Cum primorum Romanorum Pontificum initia plerumque incerta ſint, nec quot quiſque annis, & quando Pontificatum geſſerit, exploratum habeatur, oſtendimus, non debere annos Pontificum à primo Æræ vulgaris initio (ut paſſim conſuevit) perpetuo nexu deduci, ſed pro vera Chronologia ſtatuenda, neceſſarium eſſe, illorum Pontificatus certis temporibus figere, de quibus ex antiquorum teſtimoniis, aut Eccleſiæ monumentis conſtat, quod ſub certis Imperatoribus, & determinatis Conſulibus Pontificatum ſuum cœperint, aut finierint. Fixis enim horum Pontificum temporibus, ad illum annum, quo ſedere cœperunt, aut deſierunt, facile erit ex eorum tempore verum antecedentium quorumdam Pontificum Chronologium inveſtigare.*

Nihilominus animadvertendum eſt, quod ſcitè ſæpius obſervat Baronius ad annum C. 69. n. 14, & alibi pluries, minimè in Chronologia Romanorum Pontificum fidendum eſſe Conſulibus appoſitis cuique illorum Vitæ, vel in libro Pontificum Romanorum antiquorum, vel in Catalogis, etiam Vaticanis, vel in ſuperadditis Pontificali auctis à Romanæ Eccleſiæ Bibliothecariis, quocumque nomine circumferantur; per quos Conſules indicantur ſingulorum ſucceſſiones, & obitus: Nam, ferè in unoquoque eorum ſic deſignato, falſa, & dubia nonnulla, etiam inter ſe pugnantia, continentur: ex quibus maniſeſte apparet, ejuſmodi Conſules, diu poſtea ſuperadditos fuiſſe, nulla prorſus veri temporis habita ratione: ac propterea quoad appoſitionem Conſulum ad annos Chronologicos, ad ſtabiliendas Summorum Pontificum Epochas, nec ipſi Baronio inhærendum, cum ſupputatio temporis ab anno Nativitatis Chriſti, deſumpta ab Æra Vulgari, falsò deducta dignoſcatur.

Ad ſolvendas itaque quaſcumque ambages, quæ occurrere poſſunt in hac univerſa Chronologia, juſſione SS. D. Noſtri, tum veteri Leoniani Sæculi inſtaurata, tum recentiori producta ad noſtram uſque ætatem, hæc ſufficiant, cum benignus Lector indicatos Eruditos Scriptores, in difficilioribus, facilè adire poſſit. Nos interim non penitus reprobata Cl. Baronii methodo, veſtigia eruditiſſimi Pagii, quantum poterit, proſequemur. Ut autem appareat diverſitas utriuſque Chronologiæ in aſſignanda Epocha Sedis Summorum Pontificum primorum, uſque dum uterque in veram Chronologiam, ſub Imperatoribus Aureliano, & Diocletiano concurrit, illam oculis Eruditi Lectoris duximus ſubjiciendam.

BA-

BARONIUS		PAGIUS	
Tradit, S. Petrum Romam veniſſe anno Chriſti 44. Claudii Imperatoris ſecundo, ibique Cathedram, & Sedem fundaſſe, eamque ultra annos XXV. tenuiſſe.		Profert, S. Petrum Romam acceſſiſſe tantùm ſub Nerone, ibique Cathedram fundaſſe Anno Chriſti 55. eamque tenuiſſe per decennium. Hæc tamen, juxta antiquiſſimos auctores, & præcipuè SS. Patres, opinio haud recipitur, de quo alibi plura.	
Poſt PETRUM		Poſt PETRUM	
LINUS ſedit Anno Chriſti	69	LINUS ſedit Anno Chriſti	65
		Poſt LINUM, juxta nonnullos, ante CLETUM, CLEMENTEM ſignat.	
CLETUS A. C.	81	CLEMENS A. C.	67
CLEMENS A. C.	93	CLETUS A. C.	77
ANACLETUS A. C.	103	ANACLETUS A. C.	85
EVARISTUS A. C.	112	EVARISTUS A. C.	95
ALEXANDER A. C.	121	ALEXANDER A. C.	108
SIXTUS A. C.	132	SIXTUS A. C.	116
TELESPHORUS A. C.	142	TELESPHORUS A. C.	126
HYGINUS A. C.	154	HYGINUS A. C.	137
PIUS A. C.	158	PIUS A. C.	141
ANICETUS A. C.	167	ANICETUS A. C.	151
SOTERUS A. C.	175	SOTERUS A. C.	161
ELEUTHERIUS A. C.	179	ELEUTHERIUS A. C.	170
VICTOR A. C.	194	VICTOR A. C.	185
ZEPHYRINUS A. C.	203	ZEPHYRINUS A. C.	197
CALLISTUS A. C.	221	CALLISTUS A. C.	217
URBANUS A. C.	226	URBANUS A. C.	222
PONTIANUS A. C.	233	PONTIANUS A. C.	230
ANTERUS A. C.	238	ANTERUS A. C.	235
FABIANUS A. C.	238	FABIANUS A. C.	236
CORNELIUS A. C.	254	CORNELIUS A. C.	251
LUCIUS A. C.	255	LUCIUS A. C.	252
STEPHANUS A. C.	257	STEPHANUS A. C.	253
SIXTUS II. A. C.	260	SIXTUS II. A. C.	257
DIONYSIUS A. C.	261	DIONYSIUS A. C.	259
FELIX A. C.	272	FELIX A. C.	269
EUTYCHIANUS A. C.	275	EUTYCHIANUS A. C.	275
CAJUS A. C.	283	CAJUS A. C.	283
MARCELLINUS A. C.	296	MARCELLINUS A. C.	296
&c.		&c.	

Inde conveniunt ambo in veram Chronologiam.

CA-

CAPUT II.

De Veteri Romanæ Ecclesiæ disciplina, Ordinandi Electum in Pontificem statim post ejusdem Electionem: Undè postea consuetudo deducta fuit, enumerandi, minus rectè, tempus Pontificum Romanorum Sedis à die Ordinationis, non verò Electionis. Explicatur gravissima causa, cur Romana Ecclesia, a Sæculo VI. diuque, tyrannicum jugum toleraverit, expectandi confirmationem, & approbationem Sæcularium Potestatum, ante Ordinationem Electi, non minus injustè, quàm nulliter illi impositum.

ANtonius Pagius, vir sane de Ecclesiastica Historia plurimum benemeritus To. I. suæ Criticæ Baronianæ (& ex eo Franciscus ejusdem Nepos in Præfatione ad Breviarium Gestorum Romanorum Pontificum) ad annum Christi 67. novem assignavit regulas, in Chronologia Romanorum Pontificum elucidanda, observandas, quarum Quarta hæc est: *Tempus uniuscujusque Pontificis, non ab Electionis, sed ab Ordinationis Episcopalis die, numerandum esse, usque ad medium Sæculum Undecimum.*

Hæc porrò regula deducta est, ut videtur, ex consuetudine servata ab auctore Libri Pontificalis, seu ab Anastasio Bibliothecario, aliisque Catalogorum antiquis concinnatoribus, qui ex Epochis Sedium Summorum Pontificum, sive dies, sive menses elapsos ab eorum Electione, usque ad diem Consecrationis, seu Ordinationis detractos, in Sedis Apostolicæ vacationem contulerunt, ac si eidem Electo nulla, per electionem tantum, collata fuisset dignitas, nullumque Jus Pontificium. Et hoc probare conantur hujus opinionis fautores, ex eo, quod a Baronio narratur ad annum Christi 639, Romanæ videlicet Ecclesiæ curam, Sede vacante, administratam fuisse non ab Electo tantum, sed quatuor simul ab ejusdem Ecclesiæ sacris Ministris, ut apparet ex Epistola Cleri Romani ad Scotos reddita, post obitum Severini Pontificis, electo jam Joanne IV, sed nondùm Ordinato, qui nec etiam primo loco se subscripsit: Hæc Epistola habetur apud Bedam lib. 2. de Hist. Gentis Anglor. c. 9. in qua sic legitur: *Dilectissimis, ac Sanctissimis Thomiano &c. Hilarus Archipresbyter, & servans locum Sedis Apostolicæ: Joannes Diaconus, & in Dei nomine Electus: Item Joannes Primicerius, & servans locum Sanctæ Sedis Apostolicæ: & Joannes Servus Dei Consiliarius ejusdem Sedis Apostolicæ.* Addunt prætetea, quòd anno 649. S. Martinus Papa scripsit ad Elitherium, cum in exilium duceretur: *In absentia Pontificis, Archidiaconus, Archipresbyter, & Primicerius locum præstant Pontificis*: Sed hoc ad rem non pertinet, cum S. Martinus non egerit de Sede Vacante, sed tantum de absentia viventis adhuc Pontificis.

Hæc tamen ratio computandi tempus Sedis Romanorum Pontificum ab eorum Electione, rectè observata est à Collectoribus Catalogorum, per prima illa quinque Sæcula, cum viguit illa disciplina Ordinandi Electum statim post electionem peractam, quæ fieri solebat die Dominico, vel eidem proximiori, itaut & Electio, & Ordinatio pro unica actione haberentur, & per ipsam Ordinationem, ipse electus possessionem tantæ dignitatis caperet, & ut verus, legitimusque Summus Pontifex diceretur, atque acclamaretur.

Varios creandi Pontificem modos ad octodecim enumeravit Onuphrius Panvinus, decemque libris complexus est, quos S. Carolo Borromæo Cardinali nuncupavit. Ex quibus C.V. Mabillonius in Commentario ad Ordinem Romanum §. XVII. sex Electionis hujusmodi modos ordinavit, primumque dispofuit à S. Petro, usque ad Constantinum Magnum, in quo tradit; quòd mortuo Pontifice, statim omnes finitimarum Urbium Episcopi à Presbyteris, & Diaconis Ecclesiæ Romanæ de ejusdem obitu certiores facti, & ad comitia vocati, congregabantur ad Successorem eligendum. Ad hæc comitia Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, Acolythi cum aliis Clericis, reliquusque populus Romanus fidelis interesse poterant: tuncque suffragiis suis viva voce collectis, quem ex numero Presbyterorum, Diaconorumque præferebant, is demum censebatur Pontifex Romanus; & ab Epi-

Episcopo Ostiensi, aliisque præsentibus Episcopis, statim coram omnium Concilio, manuum impositione consecrabatur.

Et hæc Pontificis creandi ratio, primis illis temporibus, fuit observata: at non levis quæstio suboritur, an is, qui ex Diacono, electus erat ad Pontificatum, ommisso Presbyterii gradu, mox Pontifex ordinaretur. Idem Mabillonius (loc. cit. §. XVIII.) exemplis nonnullis ex Anastasio petitis hoc affirmat, & præcipue in electionibus legitimorum Pontificum Valentini, & Nicolai I, quorum primus ex Archidiacono, hic ex Diacono, electi, absque alia Ordinatione, consecrati fuerunt: unde unica Consecratione electus, & Presbyter, & Pontifex ordinabatur, quæ Ordinatio appellata est *per saltum*, ommissa ordinatione Presbyterali: quod etiam, probat idem Scriptor servatum fuisse in Episcopis consecratis a Romano Pontifice. Sed quo tempore mos iste mutatus sit, non satis exploratum habetur: Contrarius etenim ritus invaluerat Sæculo XI, quo Hildebrandus Archidiaconus, post Alexandrum II. electus, Presbyter primum ordinatus est, postmodum in Pontificem. Quare Pagius in electione ejusdem (qui appellatus est Gregorius VII.) ita scripsit: *Est porrò Gregorius Septimus primus Pontifex Romanus ex Ordine Diaconorum assumptus, quem sciamus Presbyterum ordinatum, antequam ordinaretur Pontifex: cum alii ante ipsum, omisso Presbyterii gradu, per saltum, Pontificia consecratione insignirentur.*

Cum itaque unus, idemque actus prisco tempore, conferetur Electio, & Ordinatio Summi Pontificis Romani, recte quidem antiqui Catalogorum Scriptores, ab Ordinationis die, tempus illorum Sedis enumerarunt, nulla facta mentione electionis. Verùm, qua ratione, & causa immutatus hic ritus fuerit, post priora illa Sæcula, mox ostendemus.

Usque ad initia Sæculi sexti hæc pacifica praxis simul eligendi, & consecrandi Romanos Pontifices uno eodemque tempore, ac die, servata dignoscitur: sed tunc exorta, per ambitionem, & avaritiam, in sæculari potestate laicorum Principum prurigine eligendi Summum Pontificem, Romana Ecclesia, nè schismatibus scinderetur, intollerabile jugum subire coacta est: sed tunc prudentissima ratione, statim, ac quis eligeretur Pontifex, in veram, & realem summi Pontificatus possessionem immittebatur, illum in Sede Patriarchali Lateranensis Patriarchii inthronizando, itaut verus, ac legitimus Pontifex a Clero, Senatu, Populoque Romano haberetur, præstitis eidem Electo acclamationibus, atque obsequiis per oscula pedis, absque eo quod esset Ordinatus: cum summa potestas tantæ dignitatis non conferatur per Ordinationem, sed per Canonicam Electionem primum a Deo constitutam, propalatam vero per legitimos Electores, ut alibi fusè demonstrabimus.

Præstat quidem hoc loco originem, atque progressum violentissimæ hujus tyrannicæ oppressionis referre, ut magis appareat, Electum quemque ad summum Pontificatum, statim Jura Pontificalia adeptum fuisse, ac meritò ejusdem Sedis initia, rectè numeranda esse à die Electionis canonicè peractæ; non vero a die Ordinationis.

Theodericus Italiæ Rex hæreticus Arianus, cum anno Christi 526. S. Joannem Papam hujus nominis primum, Ravennæ ærumnis in carcere confectum, extinxisset, statim, tyrannico more, Jus eligendi Romanum Pontificem sibi attribuit, & Felicem Clero, Senatui, Populoque Romano, ut Pontificem proposuit. Diu restiterunt illi, sed tandem, ea lege composita res fuit, videlicet, ut more pristino Clerus, Senatus, & populus eligerent, Rex vero Electum, assensu suo confirmaret, erogatâ prius, pro obtinenda Confirmatione, quadam pecuniæ quantitate. Hoc tyrannicum jugum subire coacta est Ecclesia, eo quod sibi imminere cernebat, omnium malorum gravius, Schisma videlicet, & nè Pontificem cogeretur admittere a barbaro Rege Hæretico, qui totam Italiam jam occupaverat, oppressamque tenebat, & cujus imperio Urbs ipsa suberat. Felicem igitur canonicè elegerunt Clerus, & populus (qui postea fuit S. Felix IV. S. Gregorii Papæ primi Atavus) ejusque Ordinatio dilata est post confirmationem Regis: quod etiam in praxi deductum est usque ad exactos Italiâ Gothorum Regum Principes. Defuncto Felice IV. ejus Successor Bonifacius II. in Synodo Decretum edidit, quo Successorem sibi eligeret Vigilium Diaconum, nè forsan Gothi Reges electionem Pontificis sibi vindicarent: sed cum paulo post, hanc viam adhuc intentatam, & contra Canones esse deprehensum fuisset, ipsum Constitutum Bonifacius in alia Synodo rescidit, & in præsentia omnium Sacerdotum, & Cleri, & Senatus, incendio consumpsit, ut tradunt Liber Pontificalis, & Anastasius Bibliothecarius.

Sed tantum jugum excutere non potuit Romana Ecclesia etiam sub Christianissimis, & Catholicis Principibus: Nam recuperatâ

Italia a Justiniano Imperatore, per Bellisarium, expulsis Gothis, cum anno Christi 555. diem supremum obiisset Papa Vigilius, eundem morem assumpsit, sibique arrogavit idem Justinianus Imperator, non minus injustè, quàm impiè, ut fecerat Theodericus, nempe, ut Electus Pontifex non antea consecraretur, quàm haberetur sua approbatio, jam persolutâ pecuniâ. (*Baronius dicto anno 555.*

Ab hoc tam gravi onere levata fuit postmodum Ecclesia Romana, anno 684. a Constantino Pogonato Imperatore, instante Benedicto Papa II. testibus Anastasio Bibliot., & Libro Pontificali, ubi legitur in Benedicti Vita: *Hic suscepit divalem jussionem Clementissimi Principis Constantini ad Venerabilem Clerum, & populum, atque felicissimum exercitum Romanæ Civitatis; per quam concessit, ut qui electus fuerit in Sede Apostolica, è vestigio, absque tarditate Pontifex ordinetur*: Non, expectato, scilicet, ut antea mos fuerat, Imperatoris assensu, & pecuniarum summâ, quæ persolvi erat solita pro confirmatione, in totum remissa.

Verùm Justinianus II. Constantini Pogonati Filius, ac Successor, videtur nullam habuisse paternæ hujus jussionis rationem: nam, ut habent Anastasius, & Pontificalis liber, in Electione Cunonis anno 685, peracta electione, subditur, & *missos pariter, unà cum Clericis, & ex populo ad excellentissimum Theodorum Exarchum, ut mos est, direxerunt*: Ex quibus patet Justinianum Constantini Filium, & Successorem, juxta morem antea usitatum, statuisse, ut Consecratio Romani Pontificis, absque confirmatione Exarchi Ravennatis non perageretur; & quamvis sublatum esset onus mittendi decretum electionis Constantinopolim, remansit tamen obligatio, illud ad Exarchum deferendi, ut ab eo approbaretur: & hoc in praxi usitatum fuit, donec ipsi Exarchi, sæculo sequenti, defecerunt omninò.

Anno vero Christi 741. defuncto Gregorio III. die 27. Novembris, vixque persolutis Exequiis, quarto post die, nempe 30. ejusdem, ordinatus est S. Zacharias. Tam breve Interpontificium ostendit, nec petitam, nec expectatam fuisse Exarchi Ravennatensis confirmationem. Excusserat paullò antea hoc intollerabile jugum Romana Ecclesia, quando Gregorius PP. II. Imperatorem Græcum Occidentali Imperio spoliavit, eo quòd, Leo Isauricus bellum excitaverit in Catholicam Ecclesiam, prohibendo Sacrarum Imaginum cultum, earumque cultores persequendo. Quare excommunicatus fuit ab ipso Gregorio, & Itali omnes ab ejus obedientia recesserunt. (*Baron. ad ann. C.* 730.) atque Romano Pontifici se se subdiderunt, quamvis magna Italiæ pars a Longobardis opprimeretur. Verùm Pipinus Francorum Rex, ingenti comparato exercitu, ac in angustias redacto Aistulpho Longobardorum Rege, Ravennam cum universo Exarchatu, aliasque omnes Civitates Romanis Pontificibus perpetuo possidendas, suis diplomatibus concessit: quæ omnia ex Anastasii Bibliothecarii textu, in Stephano III, relata sunt in Annalibus Ecclesiasticis, ad ann. C. 755. Et ex his *Marca lib.* 3. *de Concordia*, *cap.* 11. *n.*5. concludit: *Non posse liquidiùs demonstrari retentam, hac tempestate, à Summis Pontificibus Imperii curam, & Imperatorios Magistratus Ravennæ, & Romæ administrandis rebus præfuisse: itaut spes omnis conservandæ Italiæ in summa Pontificis dignitate collocata esset*: Et quamvis Desiderius Successor Aistulphi, Exarchatus Ravennatensis Civitates invasisset, superveniente Carolo, Pipini Filio, Francorum Rege, ac capto, & devicto Desiderio, Patris donationem non solum confirmavit, sed novo diplomate auxit. Hinc omni quacumque tyrannide excussa, libera per plura Sæcula extitit Romana Ecclesia à quocumque onere in Electione novi Pontificis.

Verùm cum semper contra libertatem Ecclesiæ Dei bellum excitaverit inimicus homo, factum est, ut in Chronico Sigeberti (qui vixit anno 1010.) interpollato ad ann. 773, expositum fuerit, Carolum Magnum, unà cum Adriano Papa, Synodum constituisse, in qua Pontifex Jus eligendi Romanum Pontificem, & Episcopos per singulas Provincias, quos ab eo Investituras accipere definivit, eidem Carolo concessit. Hanc Synodum summopere prædicat *Gratianus dist.*63. *cap.*23. Sed, cum in editione Sigeberti, ab Auberto Miræo curata, atque cum exemplaribus MSS. collata, hujus Synodi nulla mentio reperiatur, ipsa porrò alicui interpolatori est attribuenda: cumque Gratianus non habuerit *delectum Auctorum, ex quibus decreta collegit*, (ut scribit Bellarminus in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis ad annum 1145, inde eamdem, quam Interpolator Sigeberti addidit, narrationem primæ parti Decreti inseruit. Eam itaque Synodum, ut commentitiam meritò rejicit *Baronius*, quod aliis clarissimis argumentis probat *Marca lib.* 8. *de Concordia cap.* 12. Mirum igitur est, eruditissimum, clarissimumque Virum Mabillonium (etiam post editam Summi Theologi lau-

laudatissimi Jacobi Gretseri Soc. Jesu pro Cardinali Baronio susceptam defensionem, qua, hoc super argumento, cuncta Melchioris Golstadi Calvinistæ, procaciter in Annalium parentem, tum in suo *Rationali Constitutionum Imperialium*, tum in *Replicatione* argumenta, optime discussa disjecit) in *Commentario prævio ad Ord. Rom.* §. *XVII.* & Sigebertum tueri contra Baronium, & Synodum hanc ab Adriano Papa adunatam; in eaque constitutum fuisse, atque traditum ab eo, *Carolo Jus, & potestatem eligendi Pontificem, & ordinandi Apostolicam Sedem*, præter dignitatem Patriciatus, cum Investitura Episcoporum: addens *teste Anastasio*: Cum revera Anastasius in Vita hujus Pontificis, ubi de adventu Caroli Romam, minuta quæque descripsit, neque de hac Synodo, neque de hac concessione, verbum quidem fecerit.

At quamvis summa pace potita esset Ecclesia in eligendo Summo Pontifice, usque ad annum 824, hæc aliquantulum perturbata extitit in Electione, post obitum Paschalis primi, sub Ludovico Imperatore Caroli Magni filio, in persona Eugenii PP. II. Nam, (ex Baronio ad annum prædictum) peracta electione a magna parte Populi, alius quoque electus fuit, sed Eugenii electio ut Canonica prævaluit, ut testatur auctor rerum gestarum Ludovici Imperatoris per annos singulos digestarum. Verùm ejusmodi Schisma haud levis momenti fuisse idem Scriptor significat, cum addit, ad componendas Romanorum implacabiles, ea de causa, contractas dissensiones, opus fuisse Ludovico mittere Romam Lotharium filium suum, & Imperii collegam: qui omnia ritè, ex benevola, (ut ait) assensione Pontificis Eugenii disponens, Constitutionem (quæ extat apud Sigonium de rebus Italiæ) promulgavit, qua Pontificum electionibus eos tantum interesse jussit, *quibus antiqua fuit consuetudo concessa per constitutionem SS. Patrum*.

Pagius tamen in Gregorio IV, electo A. C. 827, ex Presbytero Tituli S. Marci, tradit ejus Consecrationem dilatam fuisse, nec prius Pontificium munus obivisse, quàm à Legatis Ludovici Imperatoris Romam missis, qui non tam electionem discuterent, confirmatus esset: & hoc firmat authoritate Eghinardi scribentis: *Sed non prius ordinatus est, quàm Legatus Imperatoris Romam venit, & Electionem populi qualis esset examinavit*. Verùm hæc assertio admodum suspecta, atque falsa redditur: primùm, quod Lotharius missus Romam a Patre Ludovico fuerit ad componendas implacabiles iras, & dissensiones exortas in Electione Eugenii; nec ex Constitutione illa peracta, apparet decretum fuisse, nisi, quod in Electione Pontificis, ii tantum intervenire deberent, *quibus concessum fuerat per Constitutiones SS. Patrum*. At in electione Gregorii IV. nulla intervenit prorsus dissensio, nulla difficultas, immo, teste Anastasio Bibliothecario, qui suam Romanorum Pontificum, eo tempore historiam conscripsit, usque ad Nicolaum primum, nempe post annos tantum ab electione Gregorii 21, ita habetur, post obitum scilicet Valentini: *Cœperunt denique Romani pariter omnes, non solum de Pontificibus tam subitò perditis, verum etiam de futura arctius cogitare, ut quem Sancti Spiritus gratia perlustratum agnoscere potuissent, sub cujus doctrina, atque imperio cuncta Senatorum nobilitas rite degere potuisset. Quorum videlicet universorum Procerum corda adjutor in opportunitatibus, & in tribulatione, Creator omnium Deus, inextinguibili suo sancto lumine succendit, & mentes eorum ad beatissimi Gregorii IV. pia facta convertit. Consenseruntque omnes in eodem spiritu, & anima una: Electus autem ab eis Patriarchio Lateranensi inductus est, abstrahentes quidem illum ex Basilica beatorum MM. Cosmæ, & Damiani per vim; dicebat enim se ad tale ministerium inutilem fore. Sed quoniam tam immensæ multitudini resistere non valuit, ad locum jam ante prædictum, cum hymnis, & canticis deduxerunt*. Huc usque Anastasius, qui, quamvis nihil addat de ejusdem Ordinatione, tamen ex ab eo relatis constat, non tantum temporis dilatam fuisse, donec Legatus Imperatoris ex Gallia expectaretur ad examinandam *electionem qualis esset*, ut vult Eginhardus.

Verùm quicquid fuerit de asserta Ordinatione Gregorii IV. post diu expectatum Legati Imperatoris adventum, Pagius, ubi de Sergio II. tradit, Electum fuisse, atque ordinatum, inconsulto Lothario Imperatore, qui Patri successerat: *quod cum ad aures Imperatoris pervenisset, Drogonem Archiepiscopum Metensem cum Ludovico filio, & magno cum exercitu Romam direxit ad confirmandam electionem Sergii PP., vel potius ad impediendum, ne inposterum electus Pontifex consecraretur absque præsentia Missorum Imperialium*: At primam rationem hujusmodi Imperialis Legationis ex Sigeberto, rejicit Baronius ad ann. 844. scribens: *Cur autem missus fuerit* (idest Drogo) *Ado Viennensis* (in Chron. ann. 841.) *hujus Sæculi Scriptor, ait fuisse, ut qui jam, a patre, Rex*

C 2 Ita-

Italiæ factus fuerat, Imperatoris nomen a Summo Pontifice fortiretur: quod & factum esse affirmat: ex quo redarguat Schismaticum Sigebertum, dum longè post hæc temporis, in gratiam schismatici Imperatoris scripsit, missum a Lothario Romam Ludovicum ad confirmandam electionem Sergii Papæ. Quod revera confirmatur ab Anastasio in Vita Sergii, nihil prorsus agens de confirmatione, qui Scriptor etiam iis, proculdubio interfuit.

Quoad alteram partem assertæ causæ Legationis ad Urbem susceptæ a Ludovico, ex Sigeberto, relatam ab ipso Pagio: *vel potius ad impediendum, nè inposterum Pontifex electus consecraretur, absque præsentia Missorum Imperialium, ut aliquot sæculis ante Sigebertum Annalista Bertinianus ad an.* 844. *litteris mandavit &c.* aliquid novi attentasse Lotharium, atque Ludovicum certum apparet, ex textu Anastasii in Vita Leonis IV, Sergii II. immediate successoris, cum dicat, Romanos valde timuisse, *eò quod, sinè imperiali auctoritate, non audebant consecrare Pontificem*. Sed Leonem ipsum obstitisse, atque consecratum fuisse refert idem Anastasius, ut habetur ex Decreto ejusdem Pontificis indicato a Baronio, & relato in Decretum *Dist.* 63. *cap.* 31. Adeout, siquid fuerit, sive per populum Romanum, metus causâ, iisdem Imperatoribus malè promissum, vel ab ipsis postea usurpatum, Leonis Papæ constantiâ irritatum fuerit, atque sublatum. Nihilominus Lotharium, atque Ludovicum in usurpato hoc sibi jure perstitisse constat ex eodem Anastasio, in Vita, & electione Benedicti III. ubi pluribus tradit, duos Episcopos delectos fuisse, qui decretum electionis ad Imperatores deferrent: ac simul explicat Schisma conflatum, operâ eorumdem, in electione alterius, nempe Anastasii Presbyteri Tituli S. Marcelli, jam a Leone IV. in Synodo excommunicati, atque depositi. Fuit vero iste pessimus conatus Ludovici Imperatoris, qui cernens, in electione Romani Pontificis, nullam haberi rationem sui ipsius, studuit, in odium Romani Cleri, liberis suffragiis eligentis Pontificem, provehere in Sedem Apostolicam hominem illum perditissimum, qui diu, multumque ista molitus fuerat.

Verùm in electione Nicolai I. liberrimè facta anno 858. nihil juris peractum fuisse a Ludovico II. Imperatore apparet ex Anastasio, sed, cum Romæ esset, tantùm interfuit Ordinationi ejusdem peractæ in Basilica S. Petri. Missos quoque Imperiales interfuisse Consecrationi Adriani II, & Joannis VIII. tradit Pagius, nihil super hoc memorans in Consecratione Marini (dicti Martini II.) atque Adriani II. electi anno 884. Hic autem Pontifex, ut narrat Sigonius de Regno Italiæ, lib. 5. *Duo insigniu decreta fecit: unum pro Romanorum libertate, ut Pontifex designatus consecrari sine præsentia Regis, aut Legatorum ejus, posset. Alterum &c.* Hujus decreti (subdit Pagius) mentionem faciunt Platina, & Ciacconius; sed nullum, ad id probandum, testem proferunt: illud tamen ab eo Pontifice emissum fuisse, ex eo conjici potest, quod Stephanus V. (dictus VI.) Adriani successor, absque eorumdem Legatorum præsentia consecratus fuerit. Nam postquam electus fuit, ac inthronizatus, subsequenti die Dominico ordinatus est. Quod cum rescivisset Carolus Crassus Imperator, iratus, quòd, eo inconsulto, Romani eum ordinassent, Romam misit Liutwaldum Episcopum Vercellensem, & quosdam alios Episcopos, qui eum deponerent, quod perficere minime potuerunt, ut narrat Pagius, ex Annalista Lambeciano, in Stephani electione.

A Stephano autem VI, ab anno scilicet 885. usque ad annum 962. tempore Joannis XII. nullus Imperatorum, aut Regum, jus minimum sibi arrogavit, aut in Electione, aut in Ordinatione Summi Pontificis. Ottho autem Magnus, eo anno, Romæ coronatus est à Joanne Imperator primus ex Germanis, cui statim Joanni Papæ Oppida Ecclesiæ, ad id tempus recuperata, restituit, ut constat ex ejus Diplomate, cujus authographum Romæ in Castello S. Angeli asservari scribit Baronius, quo etiam confirmavit donationes factas Ecclesiæ Romanæ a Pipino, ac postea a Carulo Magno: quo in diplomate, apud ipsum Baronium, hæc habentur: *Ut omnis Clerus, & universa populi multitudo, &c. Sacramento se obligent, quatenus futura Pontificum electio, canonice, & juste fiat, ut & ille, qui ad hoc sanctum, atque Apostolicum regimen eligitur, nemine consentiente, consecratus sit Pontifex, priusquam talem in præsentia Missorum nostrorum, vel Filii nostri, seu universæ generalitatis, faciat promissionem pro omnium satisfactione, atque futura conservatione, qualem Dominus, & venerandus spiritualis Pater noster Leo sponte fecisse dignoscitur*. Annotator Baronii ad annum 847. n. 9. ostendit Leonem IV. decrevisse, ut Romani Pontificis electio justè fieret, ac secundum mores antiquos, scilicet, ut electus Pontifex non consecraretur, nisi

nisi coram Missis Imperatoris (quod etiam antea statutum fuerat ab Eugenio II.

At quantum omli emerserit ex hac clausula, constat ex eo, quòd, Defuncto Joanne XII. (cum in pseudo-Synodo, ab ipso Otthone, Leo renunciatus esset Antipapa) Romani vero elegissent Benedictum V. Legati ex Urbe directi sunt ad Otthonem, pro Ordinatione ejusdem peragenda, verùm nihil impetrare potuerunt: Nuncii vero reversi sine consensu, & voluntate Imperatoris, eumdem Benedictum Diaconum in Pontificem ordinaverunt. Exinde Imperator in iram, & furorem actus, cædes, ac deprædationes Urbium, ac Romanæ Civitatis peragens, omnia vastavit, & Benedictum verum Pontificem Archiepiscopo Hamburgensi in Germaniam captivum ducendum tradidit: postmodum vero, impio Leone mortuo, idem Ottho Imperator II. expetentibus Romanis, consensit, ut Benedictus legitimus Pontifex in suam Sedem restitueretur, quod tamen ejusdem mors impedivit. Validis argumentis Pagius, in Vita Doni II non probat assertum Sigonii, asserentis, post Benedictum VI. Romanos, sine auctoritate Imperatoris, ordinasse Pontifices. Subinde, defuncto Joanne XV, cum ob tyrannidem Crescentii, & aliorum Procerum in Urbe, declinarentur schismata in electione novi Pontificis, missi ad Otthonem III. fuere Nuncii, qui ejus regalem sententiam exquirerent, quemnam in Pontificem eligerent: Quare Ottho III, Brunonem eligendum proposuit, Virum sane regio sanguine clarum, ac optimis moribus præditum, qui dictus est Gregorius V.

Post Gregorium V. & Silvestrum II, & alios Pontifices, usque ad Benedictum VIII. cum exortum esset Schisma, & expulsus esset. a Gregorio quodam Benedictus, S. Henricus Rex Germaniæ, postea Imperator, Romam illum reductum in Sedem restituit, & ab eo eum fuisset coronatus Imperator, amplum diploma edidit, quo Jura omnia Ecclesiæ confirmavit, ac expressis verbis Constitutiones Eugenii II, & Leonis IV, quibus præcipitur, ut Pontifex, qui electus fuerit non consecraretur, nisi in præsentia Missorum Imperialium, statuit.

Prævalentibus subinde in Urbe Factionibus, præcipue Comitum Tusculanorum, monstra quædam confirmare coactus fuit Clerus Romanus in Sede Apostolica: Quare Henricus II. Romam adveniens, ut tantis malis occurreret, in Concilio Sutrii coacto, cum Gregorius VI. sponte, ob Ecclesiæ pacem, abdicasset, concorditer electus est Pontifex Suidgerus Episcopus Bambergensis: post cujus obitum ab eodem Imperatore, ut fuerat a Romano Clero rogatus, propositus est eligendus Poppo Episcopus, qui dictus est Clemens II: quo post 23. dies vita functo, iterum requisitus Imperator, eligendum in Pontificem Romam direxit Brunonem Episcopum Tullensem, qui dictus est S. Leo IX. Defuncto S. Leone, ad ipsum Henricum Romà missus est Legatus Hildebrandus, qui Virum aliquem propositum ab Imperatore, secum duceret in Pontificem eligendum, & hic fuit Gebeardus Aistettensis Episcopus. Assensum Imperatoris accessisse in electione tum Stephani X, tum etiam Nicolai II. ex eorum electionibus apparet.

Mortuo vero Nicolao II, cum super electione Pontificis exortæ fuerint contentiones inter Comites Tusculanos, & Gallesianos, ex una parte, & ex alia Episcopos Longobardorum incontinentes, & symoniacos, qui statuerunt non aliunde Pontificem accipere, quàm de Longobardia, auctore Guiberto Parmensi Regis Consiliario, homine nequissimo, hac de causa aliquos ex ipsis ad Imperatricem Regis matrem miserunt; at ubi hæc Cardinalibus innotuissent, Legationem ad eundem Regem decreverunt, quam Stephano Cardinali Presbytero ex Ordine Cloniacensi assumpto, imposuerunt, ut eligendi Pontificis libertatem impetraret: Sed, malis artibus Aulicorum, est repulsa Legatio, Stephanoque negata est audientia, qui rebus infectis Romam rediit. Summum vero periculum impulit Cardinales ad maturandam Pontificis electionem. Illum itaque elegère, quem vitæ sanctimonia, eruditio insignis, & regiminis Ecclesiastici peritia, tantæ dignitati parem fecerant, & cujus electionem Henrico Regi non ingratam fore confidebant, quòd ipsi familiaris erat: & is fuit Anselmus Episcopus Lucensis, dictus postea Alexander II. Hæc, cum audisset Imperatrix, unà cum filio graviter ferens, sine sua auctoritate gesta fuisse, Cadolumque Episcopum Parmensem, a Placentino duntaxat, & Vercellensi Episcopis, eligi jusserunt in Pseudopontificem in Conciliabulo habito Basileæ: quæ vero mala ex hoc Schismate turpissimo exundarint, habentur in Historia Ecclesiastica.

Cum postmodum anno 1073. in Basilica Lateranensi defuncti Alexandri II. peragerentur Exequiæ, exortus est magnus tumultus populi, ac fremitus, & Hildebrandus S. R. E. Archidiaconus subitò raptus est, atque Pontifex acclamatus, statimque hanc electionem confirmarunt Cardinales, eique subscripse-

pſerunt, ut ex Actis Vaticanis. Verùm Hildebrandus, cum id ægre plurimum ferret, & quamvis non ignoraret, ad ejus confirmationem, conſenſum Regis Germaniæ neceſſe minime eſſe, nec aliam viam ſibi ſuppetere ad declinandum Pontificatum, nec aliam excuſationem de non admittendo Pontificatu reperiſſet, Nuncios ad Henricum celeriter deſtinavit, per quos & electionem de ſe factam aperuit, & nè aſſenſum præberet, exoravit: *quod ſi non faceret, certum ſibi eſſet, quod graviores, & manifeſtos ipſius exceſſus nullatenus impunitos toleraret*. Sed Henricus, hiſce auditis, electioni Gregorii aſſenſum præbuit, & Gregorium Vercellenſem Epiſcopum Italici Regni Cancellarium ad Urbem tranſmiſit, qui electionem ipſam confirmaret, & Conſecrationi ejus intereſſet. Narrat Pagius primum Reges Germaniæ, quamvis Imperatores, nondum a Romano Pontifice coronatos, ſibi jus uſurpaſſe mittendi Legatos, qui Conſecrationi Pontificis præſentes eſſent: 2. Verum eſſe, Nicolaum II. jus illud attribuiſſe Henrico Regi, Conſtitutione ſua, ſed hanc obtentam fuiſſe per ſurreptionem, nulliuſque roboris fuiſſe probavit idem Auctor auctoritate Sancti Anſelmi Epiſcopi Lucenſis in Defenſione Alexandri II. ac ſtatim abrogatam fuiſſe. 3. Gregorium VII. fuiſſe ultimum, cujus electio ante Conſecrationem Regi, vel Imperatori ſignificata fuerit, & Ordinatio coram Legatis Cæſaris peracta, ut ſcribit Annotator Baronii, poſt longum examen: dici etiam poſſe Gregorium ideo diſtuliſſe Conſecrationem, uſque ad adventum Legati Henrici, nè hic Eccleſiam Schiſmate ſcinderet, ut ſub Pontificatu Alexandri II. jam evenerat.

Hæc itaque ex hiſtoria Eccleſiaſtica collecta hic referre viſum eſt, ut manifeſte appareat tyrannicum jugum ab Eccleſia toleratum fuiſſe, non alia ex cauſa, niſi ut omnium aliorum malorum execrabilius declinaret, nempe Schiſma, quod ſibi imminere cernebat à poteſtatibus laicis, quibus nec Divino, nec humano jure ullum jus unquam tributum eſt. Clerus Romanus, & Electus ipſe, ſua ſponte, & ad bonum totius Univerſalis Eccleſiæ jus ſtatim acquiſitum poſt electionem quodammodo ſuſpendebant, donec accederet Confirmatio, ſeu fieret Electi Conſecratio in Epiſcopum in præſentia Miſſorum Imperialium: At ſi neutrum denegatum fuiſſet, numquid irrita, aut nulla fuiſſet Canonica electio? Numquid recedendum Clero Romano fuiſſet ab electione peracta? Numquid per confirmationem laici Principis conferebatur Electo poteſtas in Univerſalem Eccleſiam? Peractâ illico Canonica electione, hæc poteſtas Electo, a Deo unice conferebatur, & confertur, nec unquam ab hac recedere poterat, nec poteſt, ipſe Clerus Romanus, alioquin Schiſmaticus, & a Deo reprobatus evaderet: Tantum Reges, & Imperatores in hoc agere poterant, quantum ſibi permittebatur ab ipſa Eccleſia, & ſiquid aggreſſi ſunt, abſque ejuſdem auctoritate, & conſenſu, ſtatim ab ea ſe elongarunt, ex filiis, facti crudeliſſimi hoſtes, quod paulo ante in pluribus jam narratis exemplis, ſatis eſt demonſtratum.

Sed legitime Electos ad Summum Pontificatum, ſtatim poſt Electionem, veros legitimoſque fuiſſe Pontifices ante Ordinationem, clarius conſtabit ex infra dicendis Capite IV.

CAPUT III.

De Ritu Inthronizationis Electi in Summum Pontificem: Cur excogitatus; Et cæremoniæ, quæ in eo adhibebantur. Probatur, fieri conſueviſſe, non poſt, ſed ante Ordinationem, uſque ad Sæculum XI, ac perinde Epocham Sedis Pontificum non recte deſumptam a die Ordinationis eorum a Veterum Catalogorum Auctoribus. Cur tamen neceſſe fuerit illos ſequi in Chronologia producta in parietibus Baſilicæ Sancti Pauli Via Oſtienſi demonſtratur.

POſtquam Romana Eccleſia, ad evitandum imminentia Schiſmata, injuſtum ſibi a laicis Poteſtatibus impoſitum jugum ſubire coacta fuit, non Ordinandi videlicet Electum ſtatim poſt peractam Electionem Canonicam, ſed poſt approbationem eorum, viam quandam prudentiſſime excogitavit, per quam libertas canonicæ Electionis minimè læderetur, ſed integra in ſuo robore conſiſteret, nec Principes ipſi de ſuo tyranni-

nico imperio violato conqueri possent. Electus itaque novus Pontifex, statim post Electionem, inter festivas totius Cleri, ac populi acclamationes, in Lateranense Patriarchium ducebatur, ibique constituto throno impositus, ipsius Cleri, Senatus, Optimatum, ac Judicum, totiusque populi, Adnrationis, seu venerationis, & Obedientiæ, per pedum oscula, excipiebat. Quo pacto, tamquam in veram, & corporalem summi Pontificatus possessionem immissus habebatur, quamvis non esset Ordinatione sacra perunctus.

Hæc porro explicantur ab Anastasio Bibliothecario in electione Valentini, ita scribente: *Electus, condignis laudibus, & honoris amplitudine, ad Lateranense Patriarchium deductus, & in Pontificali positus throno, cujus ovanter ab omni Romanorum Senatu pedibus osculatis, & omnibus, quæ explenda erant, ritè, ac veneranter peractis, magna sobrietas in totius sexus, & ætatis populo lætitia mansit*. Et hæc quidem peracta fuisse, notat, ante ejus Ordinationem, quæ celebrata fuit die subsequenti in Basilica Sancti Petri.

Diù verò ante Valentinum, ex eodem authore, servatum fuisse hunc ritum Inthronizationis habemus, & præsertim in Electione Cunonis de Anno 686, & Sergii primi, anno subsequenti 687. utrobique ferme iisdem verbis scribente eodem Anastasio: *Deo annuente in personam denominati Sergii, Venerabilis tunc Presbyteri, concordantes se contulerunt, eumque de medio tollentes in oraculum B. Cæsarii, & exinde in Lateranense Episcopium, cum laudum acclamationibus, deduxerunt*: eodem utique modo inthronizandum, ut clarius explicat in aliorum subsequentium Pontificum electionibus, ut mox subjiciemus.

At Cl. V. Mabillonius in suo *Commentario prævio ad Ordinem Romanum §. XVII.* (*Musei Italici* To. 2.) in hanc sententiam fertur, videlicet, *quòd, etsi Inthronizationem consecratio sæpius præcedere solebat, non nunquam tamen Inthronizatio præmitteretur*. Verum tamen est, quod ex cunctis exemplis ab Anastasio adductis, nullatenus apparet sæpius præcessisse Consecrationem, sed Inthronizationem. Et primò in Electione Joannis V. de anno 686. (ante Cunonem) notant Bibliothecarius ipse, ac liber Pontificalis: *Juxta priscam consuetudinem a generalitate in Ecclesia S. Salvatoris, quæ appellatur Constantiniana electus est, atque exinde in Episcopium ductus*: Ubi notanda sunt verba: *juxta priscam consuetudinem*. Post Joannem V. habentur Electiones Cunonis, & Sergii Primi, de quibus paulo ante egimus, & id ante ipsorum Ordinationem: quamvis paulo ante, nempe sub Benedicto III. Constantinus Pogonatus ab onere expectandi Imperialis auctoritatis consensum, aut approbatioem, Romanam Ecclesiam sublevasset: *Per quas* (scilicet divales jussiones) *concessit, ut Persona* (*ejus*) *qui electus fuerit ad Sedem Apostolicam, e vestigio absque tarditate Pontifex ordinetur*. Justinianus tamen II. filius Constantini Pogonati, atque Successor, videtur nullam habuisse rationem Paternæ jussionis, cum sub Cunone Papa, necessaria iterum fuerit Exarchi Confirmatio, sicuti etiam in electione Gregorii III. cujus confirmatio petita fuit ab Exarcho. Pagius in Vita hujus Pontificis notat, eo tempore, Sede Vacante, Regimen Ecclesiæ fuisse penes electum Pontificem, non verò penes Archipresbyterum, Archidiaconum, & Primicerium Notariorum, sicuti erat tempore S. Martini, ut ex ejusdem Epistola: Et hoc magis confirmat plenitudinem Potestatis (non vero Ordinis nondum suscepti) traditam fuisse Electo in ejusdem Inthronizatione.

Hinc est, quod Stephanus II. anno 752. electus Pontifex, & in Patriarchium deductus, atque Inthronizatus, non recte excludatur (a nonnullis) a Serie Chronologica Pontificum, eò quod tertia die post electionem subito defunctus fuerit, nondum Consecratione percepta.

Post Stephanum II. simili modo electus in Basilica B. V. ad Præsepe alter Stephanus (nempe III. quem pariter statim, (ut refert idem Bibliothecarius) *omnes sincera mente, cum laudibus, & præconiis in Basilicam Salvatoris, quæ appellatur Constantiniana, deportaverunt, & exinde in Patriarchium, juxta morem, intromiserunt*. Sed & ipsi Pseudopontifices, & Schismatici intrusionem in Patriarchium ipsum, tanti fecerunt, ut sibi suaderent adeptæ, imo usurpatæ, dignitatis potestatem, ac possessionem iniisse. Quare defuncto Sancto Paulo I. PP., & exorto Schismate, operâ Totonis Nepesinæ Civitatis Duce, a caterva rusticorum, armata manu acclamatus est Constantinus ipsius Totonis frater, qui statim a Gregorio Episcopo Prænestino, per vim adacto, Clericus effectus (erat namque laicus) illico curavit Patriarchium invadere, ibique inthronizari. Paulò post, expulso Constantino, a quibusdam acclamatus est quidam Philippus, & subito a fautoribus in Patriarchium introductus: *ibidem* (ait Anastasius in Electione Stephani IIII.

IIII.) *iu Sella Pontificali ſedens, tribuenſque denuò, ut mos eſt, pacem, aſcendens ſurſum, & menſam, ut aſſolent Pontifices, tenuit, ſedentes cum eo aliquanti ex Primatibus Ecclesiæ, & Optimatibus Militiæ.*

Poſt Stephanum IIII. electum fuiſſe Adrianum tradit Anaſtaſius, nihil tamen memorat de ejuſdem Inthronizatione in Patriarchio Lateranenſi; verùm præceſſiſſe ejus ordinationem neceſſariò putandum eſt, cum de eo referat, *in ipſa electionis ſuæ die, confeſtim eadem hora, qua electus eſt, reverti fecit Judices iſtos, Romanæ Urbis tam de Clero, quàm de militia, qui in exilium à tranſitu Domui Stephani Papæ miſſi fuerant a Paulo Cubiculario cognomento Aſiarta, & aliis impiis ſatellitibus. Sed & reliquos, qui arcta cuſtodia mancipati, ac retruſi erant, abſolvi fecit: & ita omnibus pariter cum eo exultantibus, Pontificalem ſuſcepit Conſecrationem.* Ex quibus videas, Adrianum, ſtatim ac electus fuit, nondum Conſecratus, Juriſdictionis Pontificiæ jura exequutum fuiſſe.

Nihil ſubinde attingit Bibliothecarius in Vitis Leonis III, ac Stephani V, Paſchalis I, & Eugenii II. de eorumdem poſt electionem inthrooizatione, ſed peractam fuiſſe conjiei poteſt, ex iis, quæ ab eo oarrantur in electione Valentini, quæ loco ſuperiori expoſuimus. Idemque peractum fuiſſe in electione Gregorii IV. poſt Valentini obitum, quem violenter è latibulis Eccleſiæ SS. Coſmæ, & Damiani, ſtatim ac fuit *electus, in Patriarchium introduxerunt.* Idemque de Sergio II, quem extractum ex Titulo Sancti Martini, *magno cum honore, magnaque populi comitante caterva, ampliſque reſonantibus laudibus, cum hymnis, & canticis ſpiritualibus iu Patriarchium Lateranenſe electus, atque perductus eſt: Poſtmodum conſecratus eſt*. Simili modo in S. Leonis IV. electione, ait: *Tunc omnes pergentes ad Eccleſiam, in qua degebat BB. Quatuor Coronatorum, eum coactum, invitumque exinde abſtrahentes, cum hymuis, laudibuſque præcipuis, ad Lateranenſe Patriarchium perduxerunt: quo, morem conſervantes antiquum, omnes oſculati ſunt pedes.* Hoc idem in electione Benedicti III. poſt ipſum Leonem legitur: nam violenter avulſum a ſuo Titulo Calliſti, ſeu S. Mariæ Tranſtyberim, raptumque, *ineffabili gaudio in Patriarchium Lateranenſe perducentes, Pontificali Solio, ut mos eſt Pontificum, eaque conſuetudo demonſtrat, poſuerunt.* Hæc quoque contigerunt in Electione S. Nicolai I. poſt Benedictum III. de quo habet idem Anaſtaſius: *Impetum, qui aderant facientes, de eadem Baſilica* (videlicet S. Petri, in quam Pontificatum declinaturus confugerat) *ſacris acclamationibus in Patriarchium Lateranenſe introduxerunt, Apoſtolicoque Solio poſuerunt:* poſteaque iterum perductum in Baſilicam S. Petri, præſeote ipſo Cæſare, conſecratum, ac ſubinde coronatum tradit.

Uſque ad Nicolaum Vitas Pontificum Romanorum digeſſit opus ſuum Anaſtaſius, ex quibus conſtat manifeſtè, poſt jugum impoſitum a Principibus laieis Eccleſiæ, nunquam Inthronizationi præceſſiſſe Ordinationem Electi. Idem ſervatum fuiſſe in Electione Adriani II. poſt S. Nicolaum, conſtat ex Guillelmi Bibliothecarii textù, quo, poſt Anaſtaſium, nonnullorum Pontificum ſubſequentium Vitas concinnavit, nam de ipſius Adriani electione agens, ita ſcripſit: *Ab Eccleſia S. Dei Genitricis, quæ appellatur ad Præſepe, rapitur, trahiturque ad Lateranenſe Patriarchium certatim, ac a procerum, & plebis multitudine deportatur &c.* Poſtmodum conſecratur.

Subinde deficientibus trium aliorum Pontificum ſubſequentium Vitis, ex eodem remanſerunt nobis acta Stephani VI, io quibus agens de ejus electione: ſeripſit, quod primùm perfractis foribus domus ejus, ubi eum patre manebat, *tenetur, & ducitur electus ad Titulum SS. Quatuor Coronatorum ſibi creditum, reluctans plurimum: ubi & omnes S. Romanæ Eccleſiæ Scholæ gaudeutes conjunctæ, eumdem Venerandum Electum trahentes, ad Lateraneuſe perduxerunt palatium cum omni honore, & reverentia &c. Adveniente autem proximo die Dominico, ad beati Apoſtolorum Principis Limina, omnis Romana Eccleſia, eum honorabiliter detulit, ubi & conſecratus Pontifex, ex more, celebravit ſolemnia.*

Poſt Stephanum VI. electus eſt Pontifex Formoſus Epiſcopus Portuenſis anno Chriſti 891. poſt cujus obitum, Sæculum deeimum illud incœpit, quo nihil luctuoſius Romanæ Eccleſiæ accidere potuit, quo nullum aliud indoctius, & infelicius unquam evenit: per ea namque ioſelieiſſima tempora, majorem ſuſtinuit, quam a Gentilibus perſecutionem, per Adalbertos Tuſeiæ Marchiones, poſtea per Albericos, Creſcentios, ac Comites Tuſculanos productam, qui nullo ordine, ac ritu ſervato, ſceleſtos etiam homines, pro libito, ad Pontificatum eligentes, Clerum vi adigebant, ut eos in Sede confirmarent. Electores verò id ſuſtinere cogebantur, oè imminentia occurrerent Schiſmata. Hine Roma-

mana Ecclesia, ut tot mala declinaret, quæ ob præpotentiam Optimatum in electione Pontificum evenire solebant, sæpius coacta fuit ad Cæsares Germanos recursum habere, petens ab eis sibi designari Personam, a se canonicè in Summum Pontificem eligendam. Anno tandem MXLIX propositus est ab ea eligendus, ab Henrico II, sic a Clero Romano exorato, Bruno Episcopus Tullensis (qui postea fuit S. Leo PP. IX:) hunc igitur elegit Romanus Clerus, atque Inthronizavit die 2. mensis Februarii ejusdem anni, postea verò fuit benedictus (quæ benedictio, loco Ordinationis in electo, jam Episcopo, habebatur) die 12. ejusdem: quem, notat Pagius, non a die Consecrationis, seu benedictionis, sed a die Inthronizationis suæ sedis annos, ac tempora numerasse: *Cujus rei*, (inquit) *ante Leonem IX. nullum exemplum occurrit. Ex proximioribus autem ejus Successoribus aliqui hunc morem imitati sunt, alii verò ab ipso electionis die tempora sua dinumerarunt: quæ numerandi ratio Sæculi XII. initio prævaluit.*

Sed estò, quod hic usus invaluerit numerandi tempora cujusque Pontificatus a die Ordinationis, sive Consecrationis, aut benedictionis, apud veteres Catalogorum Auctores, semper, ex nuper explicatis, id factum fuisse ob allatam rationem declinandi Schismatis, qui oriri potuissent a laicorum Principum præpotentia, constat: cum manifestissime probatum sit, electos Pontifices, statim ab eorum electione, possessionem Pontificatus iniisse per Inthronizationem, quamvis voluntarie ipsemet Electus, ob Ecclesiæ pacem, suam differret Ordinationem.

Meritò quidem S. Leo IX, ejusque Successores primitia suæ Sedis inierunt a die suæ Electionis, non autem Consecrationis, cum realiter ab ipsa die in possessionem tantæ dignitatis, ejusque Jurium immitterentur per Inthronizationis ritum: quod clarius habetur in Electione S. Gregorii VII. Acta namque Vaticana, cum Decreto ejusdem (relata a Baronio ad annum MLXXV.) narrant, eodem tempore, quo sepulturæ tradebatur in Basilica Lateranensi corpus Alexandri PP.II. de repente exortum fuisse tumultum populi, & Cleri acclamantis, & dicentis, in Summum Pontificem a S. Petro electum esse Hildebrandum S. R. E. Archidiaconum, statimque hanc Electionem Cardinales omnes confirmasse, eique subscripsisse, & Hugonem Cardinalem, ut ut cognovit omnium Vota in Archidiaconum convenisse, populum in hunc modum allocutum fuisse: *Nos Episcopi Cardinales ipsum Nobis, & Vobis in Pastorem, & Episcopum animarum nostrarum eligimus*: eodemque tempore, hoc est ipsa die 22. Aprilis, exaratum fuisse Decretum: sed antequam Decretum illud electionis promulgaretur in Basilica S. Petri, idem electus inthronizatus est in eadem Ecclesia Lateranensi; immo & Coronatus: Acta namque Vaticana, post verba ipsa Hugonis Candidi Cardinalis jam relata, subdunt: *Et continuò Universitate Cleri, & populi acclamante: Dominum Gregorium Papam S. Petrus elegit, indutus rubea clamyde, sicut moris est, & Papali Mitra insignitus, invitus, & mærens, in B. Petri Cathedra fuit inthronizatus*. Idem asserit ipse Gregorius in Epistola tertia libri primi scribens: *Violentis manibus me in locum Apostolici regiminis, cui longe impar sum, rapuerunt*. Annotator Baronii, illa verba *Papali mitra insignitus*, denotari existimat *Mitram turbinatam cum corona*. Hujus Coronationis ritus primùm mentionem facit Anastasius in Nicolai Primi electione de anno 858. sed post ejus Consecrationem peractam fuisse in Basilica Vaticana. At Gregorius VII. statim coronatus fuit post Electionem, ultra duos menses ante suam Ordinationem. Quare tam Leo Ostiensis, quàm Camerarius, & Auctores Catalogorum, ut observat Pagius, annos Pontificatus ejus a die electionis deduxerunt: sed incertum an ipsemet Gregorius id egerit, cum in Rescriptis suis nec annos Incarnationis, nec annos sui Pontificatus memoraverit.

Antiquissimus hic Ritus Inthronizationis, seu captandæ possessionis statim post electionem, quamvis pluries, pluresque Cæremoniæ immutatæ fuerint, semper retentus est, & adhuc servarur. Et primo describitur a Cencio Camerario (qui postea electus Pontifex fuit Honorius PP. III.) in suo Ordine Romano, quem circa annum 1191. scripsit: ubi *Cap. 48. n. 77. & seqq.* hæc habentur (*Apud Mabillon. to. 2. Musei Italici, pag.* 110.) *Perscrutatâ omnium Cardinalium voluntate ab aliquibus de ipsis, in quem major, & melior pars convenerit Cardinalium, Prior Diaconorum ipsum de pluviali rubeo ammantat, & eidem Electo nomen imponit: ipsumque deinde duo de majoribus Cardinalibus adextrant usque ad Altare, ubi prostratus adorat, Primicerio cum schola Cantorum, & Cardinalibus cantantibus* Te Deum laudamus, *quo finito, ab Episcopis Cardinalibus ad Sedem ducitur post Altare, & in ea, ut dignum est, collocatur. In qua dum sedet electus, recipit omnes Episcopos, & Cardina-*

les, & quos sibi placuerit ad pedes, postmodum ad osculum pacis. Surgensque de Sede, ducitur a Cardinalibus ad Sedem lapideam, quæ dicitur Stercoraria, quæ est ante porticum Basilicæ Salvatoris Patriarchatus Lateranensis: & in ea eumdem Electum Cardinales honorifice ponunt, ut vere dicatur: Suscitat de pulvere egenum, & de stercore erigit pauperem, ut sedeat cum principibus, & solium gloriæ teneat, &c. *Ubi vero ventum est ante Basilicam ipsam &c. ibidem electus sedet ad dexteram in Sede porphyrica, ubi prior Basilicæ S. Laurentii de palatio, dat ei ferulam, quæ est signum regiminis, & correctionis, & claves ipsius basilicæ, & sacri Lateranensis palatii: quia specialiter Petro Principi Apostolorum data est potestas claudendi, & aperiendi, & ligandi, atque solvendi, & per ipsum Apostolum omnibus Romanis Pontificibus; & cum ipsa ferula, & clavibus accedit ad alteram Sedem similem, & ejusdem lapidis: & tunc reddit eidem Priori tam ferulam, quàm etiam ipsas claves: in qua dum aliquantula mora quiescit, cingitur ab eo Priore zona rubea de serico, in qua dependet bursa purpurea, in qua sunt xij. sigilla pretiosorum lapidum, & muscus .... In hac secunda sede dum sedet electus, recipit omnes officiales palatii ad pedes, & postea ad osculum &c. Post hæc autem in proxima die Dominica, electus cum omnibus ordinibus sacri Palatii, & nobilibus Romanis vadit ad Ecclesiam B. Petri, ubi ante Altare majus ab Episcopo Ostiensi specialiter, & aliis Episcopis de Curia consecratur, &c.*

Notandum hic ex §. 83. ejusdem Ordinis, quod Pontifex, post suam Ordinatiunem in Basilica S. Petri, atque Coronationem, solemni Equitatu, & magno cum honore ad Lateranum revertebatur &c.& ductus à Cardinalibus per porticum ad ipsam Lateranensem Ecclesiam, & ascendens Sedem post Altare recipiebat Canonicos ejusdem Basilicæ *ad pedes, deinde obsculum pacis.*

Parum dissimiles cæremoniæ habentur io Cæremoniali Romano (apud ejusdem Mabill. loco cit. Ord. XIII.) edito jussu Gregorii PP. X. qui, cum esset Diaconus, electus est anno 1271. ubi §. 2. sic. *In primis Romana Ecclesia Pastore vacante, ille qui fuerit concorditer ab omnibus Cardinalibus, vel a duabus partibus electus in Papam, ab Universale Ecclesia Romanus Pontifex habeatur: qui, si fuerit absens, vel de Collegio Cardinalium non fuerit, ad locum in quo Cardinales sunt in Consistorio venire debet vocatus; & ipse Electionis de se factæ consensum præstare. Prior Diaconorum exuit eum cappam, seu clamydem, qua utitur, & ponit ei, si non habet albam Romanam, Camisiam, & orarium ad modum Presbyteri super humeros, si est presbyter, vel super lævam partem, si est Diaconus, & non in presbyterii ordine constitutus, & postea ponit ei mantum, & dicit:* Investio Te de Papatu Romano, *ut præsit Urbi, & Orbi, & tradit ei etiam anulum, quo uti consueverunt prædecessores ipsius, & ei Mitram competentem imponit, & petens ab eo quo nomine vocari velit, & ipsum eo nomine, quod ei placuerit vocabunt. Quo facto, facit sedere in sede, seu faldisterio, & depositis communibus calceis, si habentur rubea calceamenta papalia, calciantur eidem: & sic Cardinales omnes per ordinem, primo Episcopi, secundo Presbyteri, tertio Diaconi veniunt coram eo flexis genibus: & ipse electus eos ordinate ad pedem recipit, & ad pacis osculum, necnon & omnes alios Cappellanos suos, & cæteros Clericos, & laicos venientes ad ejus reverentiam, infimos, mediocres, & majores. Quibus expeditis, Cruce præeunte papali, processionaliter ducitur a Cardinalibus, & a tota Curia ad Cathedralem, vel aliam majorem Ecclesiam loci, in quo est Curia, si locus, in quo eligitur Civitas non existit: in qua Ecclesia ad Altare ducitur, & ante ipsum Altare erat diutius prostratus, & dum orat,* Te Deum laudamus *ab omnibus Clericis decantatur; quo decantato, Prior Episcoporum dicit* Pater noster, *& suffragia consueta, & Orationem* Omnipotens sempiterne Deus nuper Electo nostro. *Qua finita idem electus surgit ab Oratione, & dicit:* Sit nomen Domini benedictum, *& facit benedictionem.*

Hæc fere omnia verba postmodum translata fuerunt a Cardinale Joanne Cajetano Bonifacii VIII. Nepote in suum Ordinem Romanum (XIV. apud Mabillon.) §. x. cum hoc titulo: *De Investitione Papatus fienda per Priorem Diaconorum Cardinalium post electionem in Papam electi*. Ex hucusque explicatis clarissime patet, statim post Inthronizationem, electum immissum fuisse io omnimodam Summi Pontificatus possessionem, atque Institutionem, quamvis nec in sacris positus esset, ideoque statim, post peractam electionem, eumdem appellandum vere fuisse, & esse Romanum Pontificem.

Et hic maxime observandum occurrit, quod, etiamsi in prælaudato Cæremoniali Gregorii X. statutum fuerit: quod si *Electus in*

Pa-

Papam fuerit absens, vel de Collegio Cardinalium non fuerit, ad locum, in quo Cardinales sunt, in Consistorio venire debet vocatus, & ipse coelectionis de se factae consensum praestare: Nihilominus id minime observatum fuit in electione S. Caelestini PP. V, qui absens, vocatus a Cardinalibus Perusiam, ubi morabantur, ac electionem divinitus peregerant, ille potius ad se venire Sacrum Collegium jussit, ut Insignia Pontificatus sibi conferrent in Civitate Aquilae in Vestinis, quò statim audita ejus electionis fama, veloci cursu se contulerunt Reges Siciliae, & Hungariae, & infinita propemodum hominum multitudo. Ex quo resultat Coelestinum, etiam ante Inthronizationem, pro vero, ac legitimo Pontifice habitum ab ipsis Regibus, & populis, eumque potestate in Cardinales ipsos, & Sacrum Collegium usum fuisse.

Quis igitur ambigat etiam antiquiores Pontifices, verè Pontificatus jura statim suscepisse post electionem Canonicam peractam, cui etiam statim jungebatur Inthronizatio? & hoc etiam nunc observatur in Romani Pontificis electione, variatis quamvis antiquioribus Caeremoniis: nam statim ac electus est canonicè in Conclavi futurus Pontifex, ante Altare Pontificiae Cappellae sedens privatè adoratur a cunctis Cardinalibus; mox publicata Populo Electione, pluviali, ac Mitra redimitus, & in Solio positus defertur in Vaticanam Basilicam, collocatur super Aram maximam Principis Apostolorum, quae stat loco ejusdem Cathedrae, ibique flexis genibus a toto Sacro Cardinalium Collegio nomine suo, totiusque Ecclesiae, ac universi populi, excipit obedientiam, atque Pontificatus initia sumit. Nec obstat, quòd, post susceptam Ordinationem, vel Benedictionem, atque solemnem Coronationem in eadem Basilica, solemni Cardinalium, ac Senatus, & Optimatum Equitatu postea ducatur ad Ecclesiam Lateranensem *ad capiendam*, ut vulgo dicitur, *Possessionem*. Nam haec verè non est Possessio Summi Pontificatus, sed tantum Episcopatus Romani, cum ea Basilica sit ejus Cathedralis Ecclesia: Hinc est, quod a Capitulo in platea ipsa excipitur, & in Atrium perductus, ibi in Solio Pontificali positus, Claves ipsius Ecclesiae traduntur illi, & praeter obsequia Cardinalium, ad osculum pedis Capitulum excipit, & alia peragit, quae Episcopalis sui Ordinis sunt.

Tandem, quicquid senserint antiqui Catalogorum Summorum Pontificum Scriptores tempus illorum Sedis numerando, incipientes a die Ordinationis, rectè censuerunt Pontifices Saeculi XII. deducendum esse a die electionis, cum ab ipsa die summi Pontificatus dignitas, ac Jurisdictio iniatur. Unde in laudato Caeremoniali Gregorii PP. X. §. 4. statuitur hoc modo: *Quod si Electus, in quocumque Ordine fuerit, scribat aliquas litteras alicui ante suam Consecrationem, bullare faciet ipsas cum illa parte bullae, in qua sunt capita Apostolorum ex una parte: ex altera vero erit plana, cum nondum sit Consecratus in Papam, & in salutatione scribit nomen suum sic: G. Electus Servus Servorum Dei, Dilect. &c. Salutem, & Apostolicam benedictionem. Addit in fine: Datum, nec quod bulla exprimat nomen nostrum, non est appensa praesentibus: quia ante Consecrationis, & Benedictionis nostrae sollemnia non transmittitur his, quae sunt hactenus in Romanos electi Pontifices consueverunt Bullam habere ante suae Consecrationis munus, medium hujusmodi observare.*

Subinde haec habentur.

Et post datam in tali loco, hujus manu: suscepti a Nobis Apostolatus Officii anno primo. Et Paenitentiarii dicunt in data suarum litterarum; Datum etiam Anno primo Praesulatus Domini Episcopi Papae electi in Romanum Pontificem.

Non rectè igitur fecisse probantur Veteres Catalogorum auctores, Epocham Sedis Romanorum Pontificum, deducendo ejus initia a die Ordinationis, non verò a die eorum Electionis, atque Inthronizationis. Excusandi tamen sunt, eo quod, dum Vitas Pontificum exarabant, adhuc consuetudo tyrannica vigeret, consensum laicorum Principum expectandi, antequam consecrarentur Episcopi. Verùm & nos in Chronologia tum veterum Pontificum, quorum Imagines depictae fuerunt Saeculo V. Leoniano, in pariete Australi Basilicae S. Pauli, usque ad Innocentium primum, & Symmacum, tum etiam subsequentium, quae noviter accesserunt, necesse fuit antiquorum eorumdem Auctorum vestigia sequi, nè Chronologicus Ordo perturbetur, tum a libro Pontificali, tum ab Anastasio, aliisque servatus, & ne oriretur inter lectores confusio.

Verùm Capite sequenti manifestè probabimus, Auctoritatem, ac Jura in totam Ecclesiam Electo tradi, non per Consecrationem, sive Ordinationem, sed statim post consummatam Canonicam Electionem.

CAPUT IV.

Pontificium, sive Potestatem in universam Catholicam Ecclesiam non pendère a Consecratione, vel Ordinatione, sed a Deo tradi Electo immediatè post Electionem.

PLura capite præcedenti explicuimus, quæ huic nostro præsenti argumento convenire videntur; Verùm seorsim hæc, aliâ inita via, ducimus pertractanda, ut manifeste appareat Electum ad summum Pontificatum, verè appellari posse, ac debere Pontificem. Oppositam sententiam tutatus est Abbas Josephus Comes Garampius in sua erudita *Dissertat. De Nummo argenteo Benedicti PP. III*, mox in lucem edita, probare intendens, eumdem nummum percussum fuisse post illius peractam Consecrationem. Capite igitur IV. §. V. pag. 101. fortius ejus argumentum ad hoc probandum est: *Solemne enim est*, (ait) *ac iis præsertim temporibus usurpatum, ut non ante quis diceretur, aut haberetur alicujus Ecclesiæ Episcopus, aut (nam idem est) Papa, quàm esset solemniter consecratus .... quum ex Canonum veteri, constantissimaque sanctione nemo Episcopus haberi, aut dici valeat, qui sacri Ordinis charactere non sit insignitus, (ut expressè definivit Pontificale Romanum Tit. de Consecr. Episc. §. 52. ubi consulendus est Clarissi. Catalanus pag. 226. Tit. 1. n. 2.*

Primo itaque loco sistendum est in illis verbis: *Episcopus aut (nam idem est) Papa*, quibus communem cum cæteris Episcopis dignitatem, ac gradum facit. At maxima prorsus differentia interest inter Papæ electionem, ac cæterorum Episcoporum: nam electus in Episcopum, lato modo quidem Jus accipit ad rem, quam ammittere facile potest, aliquo casu interveniente, putà vel morte Pontificis eligentis, vel si in electo detegatur aliquod impedimentum Canonicum, vel gravissimum crimen. Datur, ac etiam nostris temporibus accidit, ut electus examini subjectus, minime fit approbatus, unde electio frustranea fit. Plures etiam eliguntur a Principibus laicis, ex privilegio iisdem concesso ab Apostolica Sede, & in Summi Pontificis stat eorumdem approbatio, vel exclusio.

Verùm non sic Electio ad Summum Pontificatum Romanum, nam hæc immediate fit à Deo, Spiritu Sancto in unum corda eligentium, & voluntates dirigente ita firmiter, ut electio ipsa infirmari, aut retractari nullatenus possit; ut capite præcedenti probavimus. Cum itaque electio Canonicè fuerit peracta, multum differt ab electione cæterorum Episcoporum, cum statim post Electionem potestas electo conferatur a Deo in suam Ecclesiam, ut probat C. V. Cardinalis Bellarminus, qui in Tract. de Romano Pont. p. 1. lib. 2. cap. 12. §. Ex quo; ait: *Ex quo hinc sequitur, ut qui eligitur Romanus Pontifex, eo ipso sit Pontifex Summus Ecclesiæ totius, etsi fortè id non exprimant Electores*: notanda sunt verba *eo ipso*, nempe statim post peractam electionem: subinde addit: *Summam habet in omnem Ecclesiam potestatem, ea ratione, qua Petro succedit, in quo hæc potestas ordinaria est*: Mox cap. 17. explicat, Cardinales, Electores minime tradere Electo hanc potestatem, hæc subdens pag. 324. *Observandum est enim in Pontifice esse tria*, Pontificium ipsum, *quæ est quasi forma quædam*, Personam, *quæ est subjectum Pontificatus*, & Conjunctionem unius cum altero. Pontificatus *a solo Deo*; Persona *autem est quidem a causis naturalibus absolutè; tamen, ut est persona, idest electa, & designata ad Pontificatum, est ab Electoribus, illorum enim est designare Personam. Ipsa vero* conjunctio *est a Christo, mediante actu humano Electorum: Dum enim eligunt, & designant certam personam, concurrunt ad conjunctionem Pontificatus cum illa persona. Itaque Electores verè dicuntur creare Pontificem, & esse causa, ut talis sit Pontifex, & ut habeat eam potestatem, non tamen dant ipsi potestatem, neque sunt in causa ejus potestatis. Porrò illa verba (quæ in Decreto electionis Gregorii VII.) dici solent*: quæ quidem cum ea potestate præesse volumus &c. *solum declarant, & exprimunt perfectam electionem in Successorem Petri*.

Consumatâ igitur Canonica Electione, totum Pontificium a Deo immediate confertur Electo, ita ut verè sit Petri Vicarius, ac totius Catholicæ Ecclesiæ Moderator, & Pontifex; proinde sequitur, quod sic appellari pos-

possit, ac debeat. Quòd verò elapsis seculis, ab hoc titulo Electi abstinerent, ex caussis alibi relatis, evenisse jam diximus, non quòd dubitarent, se absque Consecratione, esse legitimos Petri Successores, cum potestate super Universalem Ecclesiam, *sed hoc tolerabant* (ait idem Cardinalis) *propter bonum Ecclesiæ, quia videbant se non posse, invito Imperatore, munus suum exequi*. Et hac ipsa ex caussa Catalogurum antiqui Scriptores a titulo Pontificis abstinuerunt in singulis electis ad Pontificatum, eorumque Sedes ab illorum Consecratione tantum incundas censuerunt.

Objici tamen hic posset, quòd in electione Petri ad Pontificatum, non statim Christus Dominus ei potestatem tradiderit in Universam Ecclesiam, sed tantum post Resurrectionem suam, quando illi dixit: *Pasce oves meas*: ergo idem dicendum de electione cæterorum ad Pontificatum, videlicet non conferri illis potestatem super omnem Ecclesiam, sed tantùm post eorum Consecrationem.

Sed respondendum videtur, varias interesse dissimilitudines inter Petri, & nostrorum Pontificum electiones: Et primo valde incongruum fuisset, ut vivente Christo Domino fundatore Ecclesiæ, ac legislatore, aliud, præter se, visibile ejusdem caput constitueretur, cum ipse Dominus per se ipsum, suoque Divino consilio, ac suprema sua potestate cuncta ordinaret, atque disponeret. II. Adhuc non erat completa Ecclesiæ forma, adhuc non consummatum Redemptionis mysterium, nec ex ejus latere fluxerant Sacramenta, non adhuc indicta Universalis Ecclesiæ aggregatio per Evangelii prædicationem, ac susceptionem Baptismi. III. per verba Christi Domini *Ædificabo Ecclesiam*. Et *Tibi dabo claves &c.* (Matth. c. 16.) Petro promittitur tantum Pontificatus, non traditur; quare non fuit nisi promissio de futuro, non verò Institutio. IV. tandem, hæc Institutio non peracta fuit per Consecrationem, quando Christus Petrum ordinavit Episcopum, sed tantùm, per novam, iteratamque electionem, ac simul Institutionem. (Jo. c. 21.)

At dices frustraneam, ad minimum, fuisse hanc primam Petri electionem a Christo peractam. Minime: Nam Christus Dominus prospiciens futura, Apostolis voluit, ut quammaxima foret Dignitas Petri pateret, nam, & per hanc umbram futuræ ejus Institutionis, eidem contulit privilegia nonnulla, quæ nemini Apostolorum essent communia: Soli Petro nomen immutavit: primum Petrum in electione Apostolorum nominavit: Solus Petrus cum Domino super undas ambulavit: Petro tantùm facta fuit de Christi divinitate à Patre revelatio, Ipsi soli promissa est stabilitas Ecclesiæ, & jussio, ut pro se, & ipso tributum solveret (Matth. 17. v. 26.) ex quibus verbis, collegisse Apostolos, Petrum fuisse aliis prælatum, scribunt Origenes, Chrysostomus, & Hieronymus. Petro soli a Domino dicitur: Luc. 22. v. 32. *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Hæc itaque, & alia plura contulit in Petrum privilegia Dominus, antequam illum constitueret totius gregis sui Universalem Pastorem, suumque in tota Ecclesia Vicarium, quæ omnia singillatim enumerat *Bellarm. cap. 17. & seqq.*, quibus etiam instruendi essent futurorum Pontificum Petri Successorum Electores, ut in eam personam eligendam intenderent, quæ Petri ejusdem virtutes, ac prærogativas sectaretur.

Maxima itaque interest differentia inter primam a Christo Domino peractam electionem, & alteram, quæ fit per Electores Romani Pontificis, cum illa fuerit tantum dispositio, non verè institutio; hæc autem sit vera Institutio, quæ fit a Deo in ipso actu Canonicæ Electionis, cum traditione potestatis super omnem Ecclesiam, quæ nullatenus pendet a Consecratione, neque ab actu Possessionis ineundæ, aut Coronationis, sive alterius ritus, ac Cæremoniæ, quæ omnia adhiberi solent, ut tantum declaretur, atque exprimatur, perfectam fuisse, & esse consummatam Electionem talis personæ in Successorem B. Petri, in eamque transfusam fuisse illius potestatem.

Hoc etiam probare videtur Concilium Lateranense sub Stephano III. (nobis vero IV.) celebratum anno 769. in quo statutum fuit: *Ut priusquam Pontifex electus fuerit, & in Patriarchium deductus, omnes Optimates Militiæ, vel cunctus Exercitus, & Cives honesti, atque universa generalitas populi hujus Romanæ Urbis, ad salutandum sicut omnium Dominum properare debeat*: Ex quibus verbis constat, illum, qui esset electus in Pontificem, statim post Electionem, Dominium Summi Pontificatus sortitum fuisse, absque eo quod esset Consecratus.

Fateri quoque coguntur oppositæ sententiæ fautores, apud eundem Garampium cap. 40. pag. 80. cum Pagio in Brev. Rom. Pont. in Benedicto II. n. 5. nonnihil potestatis penes Electos Pontifices, ante Consecrationem,

jam

jam tum fuisse. Narrat enim Baronius ad annum 684. n. 2. & 3. Benedictum PP. II. nondum consecratum, Epistolam scripsisse Petro Notario Regionario, a Leone II. in Hispaniam misso cum decretis Synodi sextæ, monentem illum, ut datum sibi negocium conficeret, & ea, quæ a Sexto Œcumenico Concilio statuta fuerant, ab Hispaniæ Episcopis approbanda curaret: Ex Inscriptione ejusdem Epistolæ, quæ talis est apud Lab. to. 6. Concil. pag. 1278. *Benedictus Presbyter, & in Dei nomine electus, Sanctæ Sedis Apostolicæ, Petro Notario Regionario*, clare patet, nondum fuisse consecratum: & nihilominus, etiam in rebus Fidei mandata dedisse. Cum itaque in hac Epistola solus Benedictus electus inscriptus sit, *id est argumento* (ut observat Sandinius in Not. 1. ad Bened.) *Ecclesiæ Regimen fuisse penes ipsum, licèt nondum initiatum, ideoque exolevisse, aut abrogatum fuisse morem illum tempore Joannis PP. IV.* Præterea, quum circa annum 687. Joannes Exarchus cognomento Platyn, ad Paschalem Antipapam extollendum, in Urbem violenter irruisset, & centum auri libras expeteret, Sergius Electus, siquidem possibilitas dandi non haberet, Cantharos, & Coronas, quæ ante Confessionem B. Petri pendebant, pignori tradidit, ut habent liber Pontificalis, & Anastasius Bibl. in Vita Sergii I. Itemque Stephanus post obitum Zachariæ electus, cum tertia die in Patriarchio sederet, ac familiares causas disponeret, subito obmutuit, ac sequenti die defunctus est: præterea Paulus I. electus, & nondum Consecratus ad Pipinum Regem litteras scripsit, nomine proprio, pro Romana Ecclesia, nullis interpositis locumtenentibus, penes quos fuerat, ante, omnis Apostolicæ Sedis procuratio. Sed his addamus recentius testimonium, quamvis de eo ipso, paulò ante, mentionem egerimus. Anno 1294. Perusii consistentes Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, instinctu Spiritus Sancti, absentem, & sibi fere ignotum, Pontificem renunciarunt Petrum de Murrhone Eremitam degentem in suo Monasterio non longe a Sulmone Urbe in Aprutio. Ad eum igitur Cardinales decretum suæ electionis miserunt per Archiepiscopum Lugdunen., Episcopos Urbevetanum, & Portuensem, ac duos Apostolicæ Sedis Notarios, rogantes, ut assensum præbere, ac Perusium se conferre dignaretur: Acceptis litteris suæ electionis ægerrime tulit, fugamque tentavit, sed inopinà, & subita populi multitudine circumdatus, victusque precibus Caroli Regis, ac Latini Cardinalis judicium divinum ei comminantium, vix acquievit. Perusium tamen se conferre noluit, immo potius jussit, ut Sacrum Collegium ad Aquilæ Urbem se se conferret, quod imperium a Cardinalibus eximia reverentia exceptum est, nam in ea Urbe & Consecratus est, atque ingenti pompa Coronatus, dictusque Cœlestinus Papa V. Hac igitur auctoritate suprema usus est in totum Sacrum Cardinalium Collegium, quod totam repræhesentabat Ecclesiam, haud ignorans quidem, post ejus præstitum assensum, in se transfusam fuisse Ecclesiæ totius auctoritatem, quamvis consecratus non esset.

Meritò igitur in nostra Chronologia inter veros, ac legitimos Romanos Pontifices enumerandus fuit Stephanus II, quamvis tantum vixerit dies tres post electionem, ac id etiam prævio Oraculo SS. D. N. Papæ BENEDICTI XIV. peractum est: ac propterea, quòd Consecratus adhuc non esset, neque Coronatus, absque Pallio Pontificali, ac Tiarà coronata depictus est.

C A P U T V.

De perturbato Chronologiæ Ordine in quatuor S. Petri immediatè Successoribus, LINO, CLETO, CLEMENTE, *atque* ANACLETO, *sed rectè expresso in Serie antiquissima Pontificum, depicta Sæculo V. in pariete Australi Basilicæ Sancti Pauli.*

VAlde implexa, ac difficultatibus plena inter Ecclesiasticos Scriptores agitatur quæstio de Ordine successionis horum quatuor Summorum Pontificum, ex veterum Patrum opinionibus. Altera namque profert, Clementem, ordine primum, post Petrum sedisse; altera post Linum eundem sedisse Pontificem, tertia vel post Cletum, vel post Anacletum quarto loco Ecclesiam rexisse. Similimodo variant

riant de Anacleto, ejusque Pontificatu, nam nonnulli ex Cleto, & Anacleto, unum ex duobus constant Pontificem, alii duos revera Pontifices ponunt ætate, ac successione, diversos quidem Pontificatus, sed unum tantum Pontificem agnoscunt.

Hujusmodi nexus, & ambages, hic dissolvere nostri non est instituti; cum præcipue hanc provinciam susceperit C. V. a Schelestrate, in Opere de *Antiquit. Eccles. Dissert. 2. cap. 1. & 2.* Sat igitur erit summatim indicare, quæ summa eruditione, susoque calamo tradit: Et primo de Pontificatu Clementis immediate post Apostolum Petrum, hujus erroris fontem fluxisse demonstrat, ex quadam Epistola ipsi attributa Clementi ad Jacobum fratrem Domini scripta, in qua habetur, ipsum Clementem a D. Petro ordinatum fuisse Episcopum, sibique Ecclesiam regendam commissam: At Epistolam hanc, ex qua plures etiam præstantissimi Viri errasse probantur, validis argumentis, & rationibus esse supposititiam demonstrat, ut mirum esse videatur, veluti genuinam fuisse acceptam ab antiquioribus. Alterum erroris fontem indicat, quòd crederetur a nonnullis, plures a S. Petro simul constitutos fuisse Episcopos Romanos: Sed hoc omnino repugnare Canonibus Apostolicis, & primariæ Ecclesiæ Disciplinæ pravi, ut vivente adhuc Episcopo, nullus alius eligeretur.

De Pontificatu vero Lini, & Cleti variantes inter se, ac vacillantes opiniones, ita perstringit, ut meritò damnatis aliis sententiis, pro certo tenendum sit, Cletum, & Anacletum duos reverà distinctos fuisse Pontifices, & juxta commune Occidentalium, & Orientalium veterum Scriptorum testimonium, ita unumquemque sedisse, tali ordine, ut S. Clemens fuerit quartus Romanus Pontifex, vel si post Petrum numerari incipiat, Tertius tantum Pontifex; immo primus sit enumerandus Petrus, postea Linus, subinde Cletus, mox subsequutus Clemens, idque perspicue apparere testimoniis Sanctorum Irenæi, Prosperi, & Isidori, ex Actis ipsius S. Clementis, & ex Martyrologiis Usuardi, & Romani, Codicibus pluribus Vaticanis, & Anastasio Bibliothecario: & quod magis præstat, ex Canone Missæ, juxta vetera Diptyca, quæ in auctoritatem jam inde a primis sæculis recepta sunt ab Occidentali Ecclesia: in quibus horum Pontificum nomina hoc ordine recensentur: PETRUS, LINUS, CLETUS, & CLEMENS; qui ordo servatus dignoscitur in Serie Pontificum depicta in parietibus Basilicæ S. Pauli, quæ, antiquitatis jure, præ cæteris, summo in pretio est habenda.

Ex alio subinde errore, quòd videlicet, unus, idemque Pontifex Cletus, & Anacletus a nonnullis antiquis Scriptoribus putarentur, factum est, ut alii Cletum, omisso Anacleto, alii Anacletum, excluso Cleto, Anacletum nominarint, ac propterea Sanctus Irenæus, quem sequutus est S. Cyprianus, Cletum tantum nominavit, nulla de Anacleto facta mentione, alii vero è contra. Et ex hac commixtione plures quidem contentiones, ac difficultates exortæ sunt in Chronologia Pontificum Romanorum, ut optime adnotavit C. V. Reverendissimus P. Joseph Augustinus Orsi meritissimus Sac. Palatii Apost. Magister in egregio suo Opere *Historiæ Ecclesiasticæ To. I. lib. 2.*

Prælaudatus itaque a Schelestrate, cap. 2. post expositam magnam circa Cleti, & Anacleti Pontificatum discrepantiam, errorem ex unius Irenæi testimonio obrepsisse animadvertit: ideoque in rebus ad Romanam Ecclesiam pertinentibus standum esse potius, quàm exteris, testimonio ejusdem Romanæ Ecclesiæ; nam hæc ab antiquissimis temporibus & Cletum, & Anacletum duos agnoscit Pontifices, & utriusque festum instituit, quod patet ex antiquioribus Basilicarum Urbis Vaticanæ, & Lateranensis Calendariis, & ex Catalogorum auctoribus a tempore Liberii Papæ. Hoc quoque præstant Martyrologia Romanum, Adonis, Notkeri, & Usuardi, in quibus diversis diebus Festa indicantur tum Cleti, tum & Anacleti Pontificum: Sedisse vero Anacletum post Clementem, quinto videlicet loco, tradunt Catalogi omnes Vaticani relati a Vigniolio ad librum Pontificalem Romanum, & exteri a Blanchinio in Notis ad Anastasium Bibliothecarium. Et hæc omnia firmantur a nostra Serie Romanorum Pontificum in pariete Australi Basilicæ S. Pauli Sæculo V. depicta.

Sed & alia confusio emersit apud nonnullos, qui ex textu libri Pontificalis, ubi de Lino, legitur: *Hic ex præcepto B. Petri constituit, ut mulier in Ecclesia velato capite introiret*: & de Cleto: *Hic ex præcepto Beati Petri 25. (vel ut alibi 25.) Presbyteros ordinavit*, in eam sententiam abierunt, tum Linum, tum etiam Cletum, nequaquam post obitum Petri, Pontificatum suscepisse, sed tantùm viventis adhuc Petri (dum illum Universalis Ecclesiæ bonum in diversas provincias evocaret, Coadjutores fuisse, ad obeundas loco ipsius absentis Ecclesiasticas functiones: Immo, & Linum obiisse, adhuc urgente Ne-

ro-

ronis Persecutione, cum ibidem finis ejusdem signatur *Capione & Rufo Consulibus*, qui Consulatum gesserunt, anno Christi 69., Neronis vero 13.

Verùm hæc opinio ex uno principio vero in falsas omnino conjecturas desinit. Constat itaque ex eodem libro Pontificali, B. Petrum revera ordinasse Episcopos Linum, & Cletum; sed & causa quoque exprimitur hisce verbis. *Hic* (nempe Petrus) *ordinavit duos Episcopos, Linum, & Cletum, qui præsentialiter omne ministerium Sacerdotale in Urbe Roma, vel supervenientibus exhiberent*: Causa igitur ordinationis Cleti & Lini non fuit, ut simul, & vivente ipso Apostolo, essent Episcopi Romæ, sed ut propter Urbis amplitudinem, & frequentiam eorum, qui ad fidem accedebant, sui vice, *ministerium Sacerdotale*, id est Sacramenta ministrarent, *præsentialiter*, ut observant ejusdem libri annotatores) dum Petrus Romà abesset, ipsi præsentes, statim, ac prompti, quæ muneris Episcopalis essent, fideli populo exhiberent. Alios quoque Episcopos ordinasse plures certum est, ut habetur ex eodem libro Pontificali, & Anastasio Bibl. sed tantum specialis de hisce duobus fit mentio, cum eos ordinaverit Apostolus, ut specialiter sui essent in Urbe Coadjutores, & Vicarii.

Hanc sententiam exponit quoque Vignolus in suis notis ad librum Pontificalem, scribens: *Hinc sunt, qui a Lino, & Cleto nihil aliud actum esse existimant, quàm quòd iis à B. Petro præceptum fuerat: quo circa Joannes III. Papa ad Episcopos in Germaniæ, & Galliis Provinciis constitutos, contra Chorepiscopos, Linum namque* (ait) *& Cletum nihil legitur unquam egisse ex Pontificali ministerio potestativè, seu quantum eis à Beato Petro præcipiebatur, tantùm solum agebant*: quæ quidem subdit Annotator, *intelligi debent, quo tempore Linus, & Cletus Vicarii fuêre*.

Et hoc vere tenendum est, quamvis nulla ratio sit habenda Epistolæ Joannis III. quæ falsa, & suppositia, atque à Mercatore conficta est, quam etiam ut talem rejicit Baronius ad an. 572. & P. Franciscus Carierius in Chronol. Rom. Pontificum. ubi de Joanne III. Nam Linus, & Cletus verè fuerunt Episcopi à S. Petro ordinati, ut Coadjutores, & Vicarii sibi in Urbe essent: ejusque post ejus Martyrium successive Summi Pontifices fuerunt.

Falsum quippe est, Linum obiisse adhuc vigente Imperio, atque persecutione Neronis, imò, ut alii volunt, ante Martyrium S. Petri: Nam rectè observat Baronius, Consules in eodem libro, ac in Vitis præcipue primorum Pontificum, perperam consignatos fuisse, & superadditos, cum in ipsorum Consulum annotatione nulla prorsus fuerit habita ratio temporum, & multa inter se pugnantia, & falsa contineant: hinc aliquos, (neminem tamen ex antiquis) libri hujus auctoritate permotos, nec Linum, nec Cletum inter Pontifices adnumerasse, sed Chorepiscopos tantum asseruisse (Baron. ad ann. Christi 697.

Linum præterea, & Cletum sedisse post Petrum maxime comprobat ipse Baronius (ad ann. 69.) præclara observatione. Testimonio namque S. Irenæi, Eusebii Cæsariensis, cæterorumque tum Græcorum, tum Latinorum auctorum, indubitanter constat, Sanctum Clementem Martyrio coronatum fuisse tertio anno Imperii Trajani, idemque firmiter asseverat S. Hieronymus in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, quod etiam habetur in libro de Romanis Pontificibus: Cum itaque a S. Petri obitu, usque ad annum Trajani Tertium, intercurrat spatium 33. annorum, & ipse Clemens nonnisi novennio sedisse constet, validissima est ratio, eum tertio loco post Petrum Pontificatum gessisse, atque ante ipsum, Linum, & Cletum Cathedram Apostolicam administrasse. Cum vero uterque ordinatus fuerit ab ipso Apostolo, clare videtur, ipso vivente, tantùm Vicaria potestate functos fuisse: Post vero Apostoli martyrium, tunc legitima successione electos unum post alium, Summos Romanæ Ecclesiæ Pontifices.

Hoc apertissime tradit Eusebius, quamvis pro Cleto, Anacletum nominet. Hic enim in Hist. Eccles. lib. 3. cap. 2. de Lino ait: *Post Pauli, Petrique Martyrium, primus Romanæ Ecclesiæ Episcopatum Linus sortitò capit*. Per adverbium *sortitò*, indicare videtur, quod de electione S. Matthiæ ad Apostolatum habetur in Act. Apostolorum: (cap. 1.) *cecidit sors super Matthiam*. Subinde cap. 11. postquam indicavit decem annos Imperii Vespasiani, duosque Imperii Titi ejus Successoris, sic ait: *Linus Episcopus* (anno videlicet Titi secundo) *cum xij. annis Ecclesiæ Romanæ ministerium obisset, Anacleto* (legendum *Cleto*) *eam tradidit*: mox subdit: *XII. anno hujus Imperii* (nempe Domitiani) *cum Anacletus* (leg. *Cletus*) *Romanam Ecclesiam annos xij. Episcopus administrasset, eum sequutus est Clemens*. Demum cap. 16, ubi iterum de Successione Romanorum Pontificum; *Per id tempus* (vide-

delicet Trajani Imperatoris) *Clemens Romanam adhuc gubernabat Ecclesiam : qui post Paulum, & Petrum, Tertius Episcopalis illius Dignitatis gradum obtinuit : Linus primus erat, secundus Anacletus* (leg. Cletus.) Nihil vero refert Eusebium, Anacletum pro Cleto nominasse, ex causa jam explicata; nec annorum sedis utriusque tam accurate posuisse, nec de mensibus, aut diebus rationem habuisse, cum & in aliis tum Romanis, tum etiam aliarum Ecclesiarum Episcopis id semper servaverit.

Hic igitur accuratus Successionis Ordo ab Eusebio servatus, probatur potissimum in Serie Pontificum depicta antiquitus in pariete Australi Sancti Pauli, ubi conspiciuntur successivè 1. Petrus. 2. Linus. 3. Cletus. 4. Clemens, & quinto loco Anacletus, unà cum expressa cujuscumque eorum Sedis accuratissima Epocha.

CAPUT VI.

In assignanda Epocha Sedis S. Eugenii, Successoris S. Martini in Pontificatu, cur potius Baronii, quàm antiquorum Scriptorum, nonnullorumque ex modernis Criticis sententiæ adhærendum sit.

Liber Pontificalis, ac etiam Anastasius Bibliothecarius, Sancto Eugenio, post S. Martinum Pontificem, Sedis annos assignant duos, menses octo, dies XXIV. idemque ferè omnes antiqui Catalogi: & quamvis eruditi conveniant, Veteres omnes consuevisse, tempora cujuscumque Pontificis enumerare a die ejusdem Ordinationis, quomodocumque peractæ; nihilominus ab hac regula recedendum esse, gravissimis ex causis, quæ inter electionem, & Ordinationem ejusdem intercedunt, nunc ostendemus, ut cum Baronio vera statuenda sit Epoca Sedis Pontificiæ S. Eugenii ejusdem.

Demonstrat quippe Baronius, Ordinatum fuisse Eugenium, vivente adhuc S. Martino, sed non ut Pontificem sedisse, verùm Vicariâ tantum potestate; atque mortuo Martino, fuisse electum, sive confirmatum Pontificem, ac propterea legitime sedisse Ann. I. M. VII. D. IX.

Pagius verò in Breviario propugnat, Eugenium revera a Clero Romano electum fuisse Pontificem, absente quidem, & inscio Martino; postea verò, ipso consentiente, in Sede perstitisse, ante, & post obitum Sancti Martini: *Unde* (ait) *ruit illorum opinio, qui volunt, Eugenium, ante Martini mortem, hujus tantùm Vicarium fuisse; cum mortuo, vel absente Pontifice, Vicarius Ecclesiæ non præficeretur, sed a tribus mox memoratis regeretur*. Ruere pariter statuit opinionem Baronii, videlicet: *Eugenium, usque ad mortem Martini, per imaginem sedisse*: & accedente rursus simul antea lato consensu, legitimè sedere cœpisse.

Ab hac Baronii sententia tamen nullatenus esse discedendum clarè demonstrant tum historica facti series, tum magni roboris circumstantiæ. Synodum habuit Martinus 105. Episcoporum in Lateranensi Basilica, non tam, ut Sergius, Pyrrus, & Paulus Episcopi Constantinopolitani damnarentur, (qui jam fuerant damnati) quàm ut recens ab Imperatore Constante promulgata formula *Typus* dicta (quæ silentium indicebat tam iis, qui duas voluntates, & operationes, quàm qui unicam in Christo credebant) proscriberetur, & anathematizaretur. Interim Olympius Exarchus, qui in Italiam missus fuerat a Constante, ut Typum in Italia promulgaret, decreto Synodi perturbatus, quod ultimum erat, de Martino, si obstaret, tollendo, jussum intentat, ac propterea Spatharium suum impulit, ut dum in Missa, ab eodem Pontifice Communionem acciperet, illum interimeret: sed excæcato divinitus Spathario, Olympius postea reconciliatus est Martino. Imperator autem, etsi monitus a Pontifice, ut resipisceret, potius in furorem actus, misit Romam Calliopam Exarchum Italiæ, qui Olympio defuncto successerat, & hic violenter armato milite ingressus Constantinianam Basilicam, & Lateranense Palatium, ægrum Pontificem indignis, ac variis modis exagitatum, vinculisque constrictum, navi impositum in Orientem direxit: Cumque in itinere annum egisset ærumnis vexatus, inde Constantinopolim adductus est S. Pontifex.

Quid quid actum fuerit a Calliopa in actu ipso, quo Pontificem captivum fecerat, te-

testatur ipsemet S. Martinus in Epistola data die XVII. Septembris anni Christi 654. qua die appulit Constantinopolim, elapso jam anno, & mensibus a sua captivitate, ad Elitherium ita scribens: *Quibus cum fostu introeuntibus*, (idest in Basilicam) *jussio a Calliopa porrecta est Presbyteris, & Diaconis, in qua humilitatis meæ abjectio continebatur, quòd irregulariter, & sine lege, Episcopatum subripuissem, & non essem in Apostolica Sede dignus institui, sed omnimodis in hanc Regiam Urbem transmitti, subrogato in loco meo Episcopo: quod necdum factum est, & spero, quod nec aliquando fiet: quia in absentia Pontificis, Archidiaconus, Archipresbyter, & Primicerius locum præsentant Pontificis, &c.*

Tantum verò abfuit, ut alterius Pontificis electioni, sicuti urgebat jussio Imperatoris, atque Calliopas expetebat, assentiretur Clerus Romanus, ut necesse fuerit, noctu asportari extra Urbem ad Portum Romanum sanctum Pontificem, nè sequeretur seditio: nam testatur id non contigisse Martinus, usque ad illud tempus, quo scribebat Epistolam, nempe post annum, & menses.

Cum itaque sanctus Pontifex in Urbe Regia ad sex integros menses in carcere detentus, & postquam dirissima quæque passus fuisset, Pontificiis insignibus exutus, ac seminudus, catenis collo, totoque corpore vinctus, publicè per Urbem Constantinopolitanam a carnificibus tractus, jussu Constantii exulare Chersonam in Ponto Euxino jussus est. Quod autem Calliopas inutiliter tentaverat, ut scilicet alter eligeretur in locum Martini Pontifex, id iterum aggressus est; quod jam in mandatis acceperat a Constante. Denuo igitur jussionem porrigit Clero Romano, & urget: & Romanus quidem Clerus *diu reluctatus*, (subdit Baronius ad an. 652. n. 2. *nè tamen cogeretur subire periculum, quod imminebat, ut nisi ipse eligeret, daretur invitis ab Imperatore Pontifex, qui ejusdem cum eo esset hæresis propagator*, (*Vicarià tamen, dum Martinus viveret præfecturo*) *Eugenium &c. elegit. Virum &c.* Ubi vero de obitu S. Martini, & electione Eugenii, hæc habet: *Ubi autem Romæ ejus obitus innotuit, nullus alius quæsitus est, qui ipsi succederet. Sed qui tunc sederet, per imaginem saltem, Eugenius, ut diximus, inventus est, accedente rursus semel antea lato consensu, legitimè sedere cœpit: ut nonnisi ab hoc tempore ejus Pontificatus tempus sit numerandum*. Hæc Clariss. Baronius, quamvis in Chronologia temporis cum exactiori calculo modernorum minime concurrat.

Acta itaque horum duorum Pontificum tantis obvoluta sunt tenebris, ut componi minime possint absque luce hac Baronii; per quam, & sanctitas Eugenii, ab antiquis Scriptoribus maxime commendata, & ab Ecclesia ipsa approbata, integra salvatur, & prudentia Cleri, in tanto rerum discrimine elucet: Ut videlicet Eugenium ordinandum eligeret Episcopum, qui Vicarià tantum potestate, viventis Martini vices gereret in iis, quæ sunt Ordinis, non verò in regendo toto corpore Ecclesiæ in iis, quæ essent Juris Pontificalis, itaut à Catholicis dignosceretur Martini viventis Coadjutor, sive Vicarius, ab hæreticis autem crederetur Pontifex.

Huic tamen sententiæ objicit Pagius: *Cum mortuo, vel absente Pontifice, Vicarius Ecclesiæ non præficeretur, sed a tribus mox memoratis regeretur*. Id probare conatur exemplo Epistolæ a Clern Rnmano datæ ad Scotos anno 639. super controversia de celebratione Paschæ, cujus verba protulimus Cap. II. harum Animadversionum pag. 6. ex cujus Inscriptione apparet, quod Sede Vacante, tunc per obitum Severini PP., locum Apostolicæ Sedis servabant quatuor Romanæ Ecclesiæ sacri Viri, ex quo, infert, non consuevisse ipsam Ecclesiam per Vicarium regi.

Sed eruditissimus Auctor in hac regula duas implicat longe dissimiles circumstantias, cum dicat: *Mortuo, vel absente Pontifice, Vicarius non præficeretur*: Nam certum est, quòd mortuo Pontifice, a Clero Romano præfici non poterat Vicarius, qui Pontificia auctoritate Ecclesiam regeret. Vivente tamen Pontifice, & absente, nihil implicat, ut eligi potuisset Vicarius Episcopus, qui in rebus, quæ tantum essent Ordinis, non verò supremæ auctoritatis, Vicariam præstaret operam. Hoc satis superque prnbatum est Capite V. ubi de Lino, & Cleto paulo ante egimus, qui Vicariam operam præstarent absenti ab Urbe ipsimet Apostolo Petro, *qui præsentialiter in Urbe non erat, omne ministerium sacerdotale exhiberent*. Sed etiam quoad temporalia, Vicarios adhibitos, & constitutos ab ipsis Pontificibus antiquioribus post eorum mortem, cum videlicet ad Martyrium ducerentur, apparet ex testimonio tum libri Pontificalis, tum Anastasii Bibliothecarii. In vita namque S. Lucii legitur *Potestatem dedit omnis Ecclesiæ Stephano Archidiacono suo*; idque per-

actum

actum fuisse a Cornelio Lucii prædecessore indicant, scribendo: *Ante passionem suam omnia bona Ecclesiæ tradidit Stephano Archidiacono suo*: (quamvis nonnulli volunt hæc verba ex vita Sancti Cornelii in vitam Sancti Lucii translata), sed hoc nihil refert; nam & ipse quoque Stephanus electus Pontifex post Lucium, id egit, omninò, nam habetur: *In carcere ad arcum Stellæ fecit Synodum, & omnia Vasa Ecclesiæ Archidiacono suo Xysto in potestatem dedit, vel* (pro &) *Arcam pecuniæ*. Idem fecisse eumdem Xystum II. erga S. Laurentium legitur in Actis ejusdem Sanctissimi Archidiaconi. Ex his itaque quis non intelligat antiquos Pontifices Martyrio proximos, Vicarias suas vices in administratione rerum temporalium, ac bonorum Ecclesiæ, Vacante Sede, alteri tradidisse, nempe Archidiacono, quamvis is revera Vicarius minime appellaretur? Observat quippe Cl. V. Vignolius (ad Pontificalis librum, in Vita S. Xysti ejusdem: *Hic Archidiaconus, in Ordine Romano, Vicarius Pontificis dicitur. Ejus Imago quædam in Cardinali S. R. E. Camerario habetur, penes quem, post mortem Pontificis, quod ad publicam rerum administrationem pertinet, per novem dies, & donec Comitia pro novi Pontificis electione inita sunt, potestas, & omne jus est*. Id quoque contigisse tempore Liberii PP., cum secundò pulsus fuisset Sede (eo quod Ariminensi Professioni subscribere renuisset) scribit Card. Baronius ad annum 359. n. 13. *Quo quidem tempore neminem reperimus in locum ejus substitutum Episcopum, sed ab ipso Liberio Damasum Presbyterum Vicarium esse relictum*. Si itaque Vicarii constitui poterant pro administratione rerum temporalium, Sede Vacante, cur etiam non poterant constitui ad rerum spiritualium exercitationem, cum, vel Pontifices, per se ipsos, vel in exilium actos, vel longa infirmitate detentos, vel alia ex causa impediti, sacra administrare non poterant?

Sed his omnibus prætermissis, verè Sanctum Eugenium minimè fuisse electum Pontificem, vivente, immò & repugnante, atque inscio S. Martino, clarissimè patet ex mox dicendis. Eo namque tempore, quo electus, & ordinatus dicitur S. Eugenius, tum ipse, tum Clerus Romanus certissimi erant de voluntate S. Martini, non dimittendi Pontificatum, nec consentiendi alterius electioni, ut scripserat Constantinopoli sub die 17. Septembris anni 654. (post sex integros menses exactos Constantinopoli, qui tandem (teste Baronio) idibus Maji anni sequentis Chersonam delatus est. Post præfatum mensem Septembris electus est Eugenius: Ergo si electus fuisset ut Pontifex, absque ullo dubio, tam Clerus Romanus, quam ipse Eugenius fuissent Schismatici, & à Deo reprobati, & Electio omnino nulla, atque reprobata à sacris Canonibus, & contra veterem Ecclesiæ disciplinam. Neque tam turpi nota inurendus est Clerus Romanus, neque Eugenius: Non Clerus, qui tamdiù improbis, ac nefandis Imperatoris jussionibus fidelitèr, firmitèrque restiterat: Non Eugenius, qui Canones, & Disciplinam callebat, nam à libro Pontificali, & Anastasio Bibliothecario, eximiis laudibus celebratur per hæc verba: *Clericus à cunabulis fuit, benignus, mitis, mansuetus, omnibus affabilis, & sanctitate præclarus*.

Nec tollit difficultatem Pagius, asserendo, revera Eugenium ordinatum fuisse vivente, & inscio S. Martino, sed postea, eo consentiente, fuisse verum Pontificem: nam posito quòd postea consensisset Martinus, semper verum est, Eugenium ùt Apostaticum, & schismaticum sedisse pro toto illo tempore, quo sedisset inscio, & non consentiente ipso Martino. Verùm hic consensus Sancti Martini, qui tamquam fundamentum suæ assertionis à Pagio ponitur, nullatenus probari potest, utpote ex obscurissima latebra productus: nempe ex alia Epistola Martini, quæ scripta dicitur ab eo ad quemdam Amicum (extat to. 3. Concil.) post Pascha anni 655. (*ex eodem Pagio*), mense videlicet sexto post Ordinationem Eugenii, in qua sic legitur: *Verumtamen Deus, per intercessionem S. Petri, stabiliat corda eorum in Orthodoxa fide, & confirmet contra omnem hæreticorum, & adversariorum Ecclesiæ nostram personam, & immobiles custodiat, præcipuè* PASTOREM, QUEM AIS NUNC PRÆESSE MONSTRATUR: Ex quibus extremis verbis Pagius infert, *S. Martinum approbasse, & ratam habuisse Eugenii Electionem*.

Sed pace tam eruditi Viri, unde ex hac Epistola erui potest electio Eugenii? unde expressus Martini consensus, & adprobatio? Cui verò scripta fuit? non quidem Clero Romano, immò nec alicui ex ejusdem cœtu, sed homini privato, & omnino ignoto, verùm nec Romæ existenti. Præterea observat Bencinius, in Notis ad Anastasium in Vita S. Martini, sanctum Pontificem, extremis verbis hujus Epistolæ, ubi de *Pastore* &c. intellexisse de Pyrrho, qui eo ipso anno, Apostata factus, denuo invaserat Thro-

 num

num Constantinopolitanum, idque probari ex appendice Actorum ipsius S. Martini (To. eod. 3. Conciliorum:) Ubi orat S. Pontifex Deum, ut avertat ab Ecclesia mala, quæ ob Pyrrhi apostasiam, & iterum invasum thronum Constantinopolitanum imminere videbantur; & ut stabiliat corda eorum, nempe populi Constantinopolitani in fide Orthodoxa, & etiam ex apostasia reducat ipsum Pyrrhum, qui tunc, ut Pastor eis præesse monstrabatur: Hinc meritò ipse Bencinius observat, falli vehementer eos, qui ex hac epistola colligunt, Eugenium subrogatum fuisse à Clero Romano ipsi Martino adhuc viventi, & omnino inscio; ac propterea standum esse verbis S. Martini in prima epistola expressis *Quòd nec dum aliquando factum est, & spero, quod nec aliquando fieri habeat.*

Ad constabiliendam, quippe, atque confirmandam veram electionem, requirebatur expressus, ac realis Martini consensus, & adprobatio, quod minime apparet in enunciata epistola: & hanc S. Martinus, ut in re maximi momenti, pro pace universalis Ecclesiæ, per epistulam ipsi Clero Romano, scribere debuisset. Patent quot controversiæ exortæ fuerint circa electionem Felicis II. tempore Liberii Papæ, contendentibus nonnullis, an legitimus esset habendus Pontifex. Sed Cardinalis Perronius, in sua ad magnæ Britanniæ Regem responsione, & Cardinalis Bellarminus, in suo *Defensorio Felicis Papæ*, in Appendice subjecta ab Henschenio ad tertium tomum Sanctorum mensis Aprilis, ostendunt, Felicem verum fuisse Pontificem (vivente Liberio) eò quod, in antiquo Catalogo, & in libro Pontificali legatur, quòd cum Liberius in exilium deportaretur, *& congregantes se Sacerdotes, cum consilio Liberii, ordinaverunt Episcopum in ejus locum, Felicem Presbyterum*: ex quibus constat intercessisse expressum consensum, ac voluntatem Liberii, & Felix legitimè sedit ann. I. M. III. D. II. quo tempore condemnavit Constantium Imperatorem Arianum: sed postmodum cum fuisset revocatus Liberius, expulsus est ab ipsis Arianis Felix, qui ultrò cedens, in prædiolum suum Via Portuensi secessit, ibique ab hostibus Fidei exagitatus, sanctè decessit. Vigilius verò nunquam pro legitimo Pontifice habitus est, nisi post mortem Silverii in exilium acti, cum nunquam Silverius in ejus electionem consenserit, nec eam unquam adprobaverit. Eapropter ipsemet Vigilius (ut observat Baronius ad annum 540.) cum audisset mortuum Silverium, atque miracula edentem, se se in ordinem redegit, locumque præbuit sacris habendis Comitiis: tunc verò Clerus Romanus, ad evitandum schisma, quod dirè vexaturum erat Ecclesiam, si alium elegisset, Vigilium ipsum Pontificem creavit.

Denique Pagius subdit (ubi de S. Eugenio n. I.) *Dicendum est, mendum esse in Anastasio, ubi dicitur Martinum sedisse annos vi. M. I. dies xxvi. nam præterquamquod hoc pacto sedisset tantum usque ad 31. mensis Augusti, quod ejus mortis diem falsum esse constat: Nec Anastasius, nec Catalogorum auctores soliti sunt Pontificibus attribuere tempora, quæ post eorum abdicationem, aut depositionem fluxerunt, sed ea tribuunt successoribus quomodocumque ordinatis.*

At Textus Anastasii nun est corrigendus in Epocha Sedis annorum VI, sed tantum mensium, ac dierum, (qui est error amanuensium) latius namque habetur in libro Pontificali, qui Martino assignat Sedem annorum VI, mensium vero duorum, quamvis, eodem exscribentium errore, dies apponat XXVI. Rectissimus itaque calculus sic habendus. Martinus electus est die v. Julii anni DCXLIX. Decessit die XVI. mensis Septembris annu DCLV. Unde resultat Epocha Sedis ejus An. VI. M. II. ac D. XII. Cum itaque Catalogi omnes, aliique Codices conveniant in Ann. VI. & cum libro Pontificali in Menses II. & Catalogi Vaticani Tertius, & Urbinatensis (ut exhibet Vignolius, & calculo superius indicato ex ipso Pagio) resultent Dies XII. recta statuenda Epocha S. Martini in Annis VI. M. II. ac D. XII.

Corrigenda igitur est Epocha Sedis Sancti Eugenii, quam ex suppositione, quod legitimus fuisset Pontifex vivente ipso Martino, sedisse tradunt Anastasius, aliique Catalogorum Scriptores, annos II. M. VIII. D. XXIV. Cum probatum satis sit, ab obitu tantum Sancti Martini verum sedisse Pontificem Ann. I. M. VII. D. XIV. inclusa ejus mortis die.

CA-

CAPUT VII.

De Romanis Pontificibus ab Urbano VI. usque ad Martinum V. durante Schismate, rectè in Chronologia appositis, quamvis a nonnullis pro dubiis habeantur.

SEx in Chronologia numerantur Pontifices, quorum electiones, causà diuturni, ac luctuosissimi Schismatis in dubium a pluribus revocantur: Ii fuerunt URBANUS VI. BONIFACIUS IX. INNOCENTIUS VII. GREGORIUS XII. ALEXANDER V. & JOANNES XXIII. Tot, tantisque difficultatibus horum Pontificum electiones fuerunt implicitæ, ut quidquid certi statnendum sit, nec Concilia, ad id Schisma extinguendum congregata, nec subsequentes Pontifices pronunciaverint, sed quasi in dubio reliquerint: nam pro utraque parte innumeræ propè disputationes institutæ fuerunt, & non pauci libelli promulgati, ut testatus est Sanctus Antoninus Archiepiscopus Florentinus, qui vivebat paulo post ejusdem Schismatis extinctionem (*p. 3. tit. 22. cap.* 2. hisce verbis: *Peritissimos Viros in sacra pagina, & Jure Canonico habuit, toto illo tempore, quo duravit id Schisma, utraque pars, seu Obedientia, ac etiam religiosissimos Viros, & quod majus est, etiam miraculis fulgentes: Nec umquam potuit quæstio illa decidi, quin semper remaneret apud plurimos dubia: nam etiamsi necessarium sit credere, sicut unam esse Catholicam Ecclesiam, non plures, ita & unicum ejus Pastorem Vicarium Christi: Tamen si contingat plures per Schisma creari, seu nominari Pontifices Summos uno, & eodem tempore, non videtur saluti necessarium credere istum esse, vel illum, sed alterum eorum, qui scilicèt fuerit canonicè assumptus. Quis autem fuerit canonicè electus, non tenetur quis scire, nec Jus Canonicum: sed in hoc populi sequi possunt majores suos, seu Prælatos.*

Quamvis verò, ex eodem S. Antonino, quæstio hæc sic decidi minimè potuerit, nec Ecclesia ejus decisionem umquam tentaverit, in facto tamen videtur approbasse, atque approbare, supradictos fuisse, & esse habendos ut legitimos Summos Pontifices: Nam primò, eorum Acta circa universale regimen, pro illo tempore, quo legitime sederunt, (exceptis iis, quæ ad fovendum Schisma pertinebant) approbavit: II. Eorum nomina Chronologiæ inseruit, tamquàm legitimorum Pontificum, & pro veris Pontificibus eos nominavit. Ex opposito verò Robertum Gebennensem, primo loco, in Schismate electum contra Urbanum VI. sub nomine Clementis VII, ac post eum, Petrum de Luna, sub nomine Benedicti XIII. nnmquam Pontifices nominavit, eorumque Acta non admisit, immò ut Schismatica reprobavit, ac semper, ut falsos Pontifices, intrusos, & Apostaticos, & a Corpore Ecclesiæ, per gladium Excommunicationis, pluriès excisos, reprobavit, atque rejecit, ac tamquam blasphemos, perjuros, atque obstinatos Schismatis fautores, damnavit.

Sed ut clariùs constet, legitimas horum Pontificum extitisse electiones, necesse videtur per singulas recensere, quæ ad veritatem magis præstant detegendam. Et quoad Urbanum VI, fertur, illatam fuisse Cardinalibus vim, & metum à Populo Romano, ut Romanum, vel saltèm Italum Pontificem eligerent, & ex hoc timore adactos, eos progressos fuisse ad electionem unius extra Collegium, nempe Bartholomæi Prignani Archiepiscopi Barensis, qui nomen Urbani VI. assumpsit. Hinc, post ejusdem Urbani Coronationem, & obsequia præstita ut, vero Pontifici, ab eo recessisse Cardinales Gallos, atque Anagniæ collectos juridicè intimasse Urbano, ut Pontificatum deponeret, quòd sciret, se non esse legitimè electum, adeòque non esse verum Pontificem: subindè Fundos in Regni Neapolitani ditione progressos, ibi elegisse Robertum Cardinalem Gebennensem, sub nomine Clementis VII.

Verùm cardo quæstionis non tantùm est, an vis illata fuerit, quod tamen a nullo negatur, sed utrùm talis ea fuerit, quæ Viris Constantibus justum metum incutere potuerit: & utrùm, si ejusmodi electio fuit in aliquo vitiata, ex post factis convaluerit. Certò namque constat, Cardinales Gallos, postquam cessasset metus, & vis populi Romani, & ratam habuisse electionem Urbani, & pluriès, per Obedientiam eidem præstitam, & plura obsequia tamquam vero Ponti-

tifici exhibita, convalidasse peractam electionem, atque confirmasse. Inter tot sibi invicem pugnantes Tractatus, ex utraque parte editos, quà negantes, quà asserentes, & quorum nonnulli typis etiam vulgati fuerunt, pluresque Spondanus se vidisse testatur in Bibliothecis Sancti Victoris Parisiensis, & Fuxensi Tolosæ, nec non xxaii. Volumina, quæ habentur in Vaticana, extat maximi ponderis scriptum celeberrimi Baldi Juris Consultorum sui temporis facilè principis, cum sententia: *Tit. Si quis aliquem, & in Tract. de Schismate*, qua, etsi vim, metumque in creatione Urbani apertissimè agnoscit, multis tamen rationibus, & argumentis, tam ea iis, quæ tunc geri contigit, quàm ex subsequentibus, omninò censet Urbanum fuisse verum Pontificem.

Inter cætera, quæ ab utraque parte conscripta fuerunt, quæ in suis Annalibus Ecclesiasticis exhibet C. V. Spondanus auctor sincerus, & nulli partium adhærens, habetur *Factum* (ut fert titulus) *Magistri Jacobi de Sena*, seù potiùs, ut ait Baluzius, de Seva, quod posteà editum est to. iv. Hist. Universitatis Parisiensis, eidem Universitati missum eodem anno 1378. die 3. Julii in favorem Causæ Urbani VI, io quo, etsi vim illatam eludit, nihilominùs (ait Spondanus) satis eam indicat in electione, cum Populus Romanus electionem Pontificis Romani, vel saltèm Itali expeteret. Explicat igitur Jacobus, Cardinales, ante ingressum Conclavis, discordes fuisse, tam Gallos inter se, nempè Lemovicenses, qui plures erant numero, tam cum aliis, quam etiam cum Italis, quod dissidium agnoscunt paritèr cæteri omnes auctores; Cum enim essent xvi, & ex his tantum quatuor Itali, Gallos non Lemovicenses convenisse cum Italis, ut potiùs Italus eligeretur, quàm Lemovicensis; tædebat enim eos longioris Lemovicensium Pontificatus, eum Clemens VI, Innocentius V, & Gregorius XI. ea eadem omnes provincia fuissent; Lemovicenses autem statuisse, si non possent Lemovicensem, Italum eligere extra Collegium, nempè præcisè Bartholomæum Prignianum Archiepiscopum Barensem, familiarem olim Cardinalis Pampilonensis, qui erat Lemovicensis, & pro Gallo ab iis habitum, tum quòd multo tempore conversatus fuisset Avenione, tum etiam quòd esset ex Regno Neapolitano, quod erat in manibus Gallorum. In Conclavi, post tractatus particulares seorsum habitos, cum, numeratis votis, Cardinalis de Agrisolio Lemovicensis à Barensi stans, cernens ultra duas partes in eum concurrere, procedere vellet ad ejusdem nominationem, Cardinalem Ursinum Romanum, ut eam impediret, sperantem se ipsum eligi, proposuisse expedire ad eludendum populum, qui clamabat se velle habere Papam Romanum, ut vocaretur aliquis Frater Minor, & imponeretur ei Cappa, & Mitra, & ipsi alibi alium eligerent: sed reliquos Cardinales Lemovicenses respondisse, nolle se facere Populum Idololatram, nec damnare animas suas: atque illicò in Barensem concordasse sufficientem numerum Cardinalium. Quòd verò timerent, si publicaretur Electio, antequam Barensis in Palatium venisset, aliquid ei sinistri à Romanis obventurum in itinere, eo quod non esset Romanus, advocasse eum in Palatium, & cum illo (ne qua de ejus electione suspicio esset,) nonnullos alios Prælatos, tamquam ad ardua quæque negotia pertractanda. Qui cum advenissent, & haud omnes in Conclave sunt introducti, iterum Cardinales libero consensu Barensem nominasse in Papam. Cum verò interim populus vidisset portam Conclavis apertam ad exportanda vasa argentea Cardinalium in locum tutum, nè diriperentur, portam unam aperuisse, nè Cardinales exirent, antequam facta esset publicatio Papæ: Tunc Cardinales Ultramontanos sibi timentes, quod non elegissent Romanum, induxisse Cardinalem Sancti Petri, qui Romanus erat, Papam se fingere: & dum populus ei attenderet, cæteros omnes recessisse à palatio, Sex Castro S. Angeli se se includentibus, tribus extra Urbem abeuntibus, cæteris quinque in domibus suis se se continentibus, solo remanente in Palatio Cardinale S. Petri, qui post cæterorum abscessum, declamavit populo, se non esse Papam, sed Barensem: idque gratum habentes Magistratus Urbis, obedientiam ei exhibuisse: Ipsum tamen recusasse accipere, donec accedentes ad eum Cardinales, tam qui intra Urbem, quàm qui in Castro erant, eumdem denuò, & unanimitèr elegerunt; quorum precibus is tandèm devictus, cum timore, & tremore consenserit.

Huc usque laudatus Jacobus de Sena, seu de Seva, vim quidem eludens, nihilominùs satis eam indicans (inquit Spondanus) quem Franciscus de Urbino Episcopus Faventinus, sic apud Baluzium col. 1083. appellat *Valentissimus Doctor, & Miles, Advocatus antiquus, natione Provincialis*: cujus relationi similia habet S. Catharina Senensis pluribus in Epistolis, pro legitima

Ba-

Barensis electione ad diversos tunc scriptis, & alii omnes, quicumque pro eodem Urbano VI. tractatus ediderunt. Cum itaque constet & Cardinales Gallos, antequam ad Electionem procederent, liberè Vota in Barensem contulisse, & post publicatam electionem, cum Populus Romanus gratam accepisset, & sublatus esset quicumque metus, itaut Cardinales omnes iterum ad Conclave reversi, *denuò, & unanimitèr eumdem elegerint*, indubitatum apparet, legitimè, & Canonicè electum fuisse Pontificem; eò magis, quòd renitens ipse Electus, eorumdem *precibus tandem devictus, cum timore, & tremore consenserit*.

Mox subdit Pagius (n. XVI.) Cardinales Gallicanos, uno excepto Roberto Gebennensi, aliis Cardinalibus Avenione existentibus, Urbani electionem intimasse, atque liberam, & concordem extitisse, idque significantes litteris, quæ referuntur ab Oldoino in novis additionibus ad Ciaconium: nec debere credi iis, qui aliter narrarent, aut scriberent &c. Immò & Joannem de Grangia Cardinalem Ambianensem, è sua Legatione redeuntem die XXV. Aprilis, in publico Consistorio reverentiam, & obedientiam Urbano exhibuisse: cæterosque Cardinales, quandiù Romæ manserunt, omnia consueta eidem præstitisse obsequia, atque ita se cum eo, tam in gratiis pro se ipsis, aliisque petendis, quàm denique in omnibus publicis, & privatis actionibus, cum eo, tamquam cum vero, & legitimo Pontifice se gessisse. Nec porrò valet ipsorum Cardinalium, postea adducta, excusatio, quòd metu evidentis periculi id egerint, cum & metus omnis omninò cessaverit, & hæc studia, non solùm publicè, sed etiam privatè præstiterint Urbano per menses fere tres; nam electio peracta fuit die IX. Aprilis a. 1378, & Cardinales alii ab Urbe se se subduxerint mense Junii, ut infrà dicetur. Reos enim, per id tempus, se fecissent ejus sententiæ, quam prætulerant, nempè se *fecisse populum Idololatram, & damnasse animas suas*.

Sed reverà non hanc extitisse præcipuam causam horum Cardinalium Gallorum ab Urbano secessionis, & schismatis conflandi, testantur plures auctores, inter quos Ciaconius, hanc magis intempestivam secessionem in eumdem Urbanum, hanc habuisse originem. Cum enìm ante Pontificatum claris virtutibus in omnium oculis eluceret, Pontifex factus, visus est, aut numquam eas habuisse, aut unico velut momento, cum maximè iis indigeret, eas amisisse: Nam in celsissima dignitate locatus, se statim rigidum, durum, asperum, inexorabilem, arrogantem, atque cunctis hominibus, & iis præsertim, qui de eo erant benemeriti Cardinales, ingratum, quibus honesta petentibus, cuncta negando, & gravissimis objurgationibus, cum aliis Prælatis, vexatos ad subsequens schisma parùm opportunè incitavit. Statìm enim a sua Coronatione mores Cardinalium omnium acerrimè redarguit, pompam, superfluas epulas, domesticorum copiam rescindere jussit; iis, qui munera, & pensiones à Principibus acciperent, pœnas comminatus est: duris increpationibus eosdem Cardinales lacessiit, quòd clandestina cum hostibus Ecclesiæ consilia agitarent, ob non redditam subitò S. Angeli Arcem ab eo, cujus fidei tradita fuerat sub Gregorio XI, eosque atrocitèr minatus fuit. Ex hoc ipsi Cardinales, inquit Ciaconius, eum delirum, & fatuum esse existimantes, exitialis schismatis consilia clam agitare cœperunt.

Conjuratione itaque in eum facta, Cardinales omnes Galli, uno excepto Petro de Luna Hispano, specie vitandi æstus Romani, Gallis maximè adversi, Anagniam, ubi præteritam æstatem cum Gregorio XI. transegerant petierunt, non quidem omnes simul, sed singulatim, diversis temporibus adfuerunt, ad finem mensis Junii: Urbano quoque cum IV. Italis Cardinalibus Tibur concedente: Cum eo nihilominùs iidem Cardinales, uti cum vero, & legitimo Pontifice tractare per litteras, & Nuncios non cessarunt, quousque res suas ita disposuissent, & deliberata absque periculo exequi possent. Hinc mense Julio, coram Petro de Corso Archiepiscopo Arelaten. S. R. E. Camerario protestati sunt, in electionem Barensis, ex vi illata sibi, consensisse; proindèque esse nullam, ipsumque vocarunt in Jus ad deponendum Pontificatum: utrinque plurès missi Nuncii, Religiosi, Prælati, & Cardinales Oratores; tandem Galli Purpurati in Schisma prolapsi, in Urbanum sententiam promulgarunt, eum non esse verum Papam, sed intrusum & anathematicum, hortantes per Epistolas circulares, & cunctos Christi Fideles exorantes, ne eidem ullatenùs adhærerent: mox Fundos se recipientes sub tutela Comitis ejusdem Urbis, & Britonum, aliorumque armigerorum, quos in sui custodiam accerserant, Pseudopontificem crearunt Robertum Cardinalem Gebennensem sub Clementis VII. nomine, die XX. Septembris ejusdem anni 1378, ac sequenti die, ante Ecclesiam majorem co-

coronarunt: & ita initium habuit pestiferum hoc Schisma, quod, post ipsum Robertum, etiam electo in ejus locum Petro de Luna, ad XL. annos in Ecclesiam Dei perduravit, nec extinctum est, nisi post Constantiense Concilium.

Luctuosam Historiam, fuso calamo, explicant in Annalibus Raynaldus, atque Spondanus, ac etiam ex eisdem refert Pagius in Vita Urbani VI, & hæc brevitèr hìc attingenda duximus, ut ejusdem Pontificis vera, ac legitima electio appareat, & quo Jure, rejectis à Chronologia Gebbennensi, ac Petro de Luna, habitus semper fuerit inter veros, ac legitimos Romanos Pontifices.

Ex hoc fundamento, extra dubium est, ritè, atque rectè Sacrum Cardinalium Collegium, post obitum Urbani VI. anno 1389. Summum Pontificem renunciasse BONIFACIUM IX, die 11. Novembris, antea vocatum PETRUM, sive *Perinum Thomacellum* Presbyterum Card. Tit. S. Anastasiæ. Vixit autem Pseudo-Pontifex Robertus, dictus Clemens VII, usque ad annum 1394, diemque obivit extremum XVI. Septembris, cum Universitatis Parisiensis, de ineunda via Pacis, & Unionis Ecclesiæ per cessionem Papatus, rejecisset: Cardinales verò ejusdem Partis die 26. ejusdem mensis, suum ingressi Conclave elegerunt Petrum de Luna, publicaruntque Pontificem sub *Benedicti XIII.* nomine, die 28. ejusdem, cum tamen, antequam ad electionem procederent, nè schismatis fautores esse viderentur, confecissent Jurisjurandi formam, qua omnes, & singuli se obstrinxerunt, laboraturos se fideliter, & diligenter, quatenus ad eos pertineret, in tollendo schismate operam daturos, & quæ ei, qui foret electus, auxilium, consilium, & favorem ad unionem Ecclesiæ faciendam, & quicunque eligeretur observaturum, sine excusatione, vel dilatione, etiam usque ad cessionem inclusivè, si Cardinalibus, qui tunc forent, vel majori parti eorum, pro bono pacis, & Ecclesiæ videretur expedire.

Electus igitur Petrus de Luna iterum jurejurando ad prædicta firmius se obstrinxit, sed labiis magis, quàm animo, ut ex post factis manifestissime apparuit. Nam cum Carolus Franciæ Rex extirpationi schismatis totus intentus, anno sequenti 1395. cum præcipuos Antistites, & Doctores Parisiis congregasset, iique decrevissent, viam cessionis commodiorem, & compendiosiorem esse, neque aliam exquirendam, aut sequendam, Petrus de Luna, seu Benedictus, hanc viam cessionis rejecit, aliasque minus aptas vias proposuit: Et quamvis hæc via cessionis approbaretur tum à Cardinalibus suæ factionis, tum etiam ab Universitate Parisiensi, postea à Studio Oxoniensi, & Rege Angliæ, aliisque Regibus, & doctissimis Universitatibus, ac viris, omnis iste conatus in irritum cessit, adeo ut etiam Petri de Luna partis Cardinales subtractionem ab ejusdem obedientia amplexi fuerint: at ille obstinatior in suo sensu perstitit, ita ut per quinquennium ferè inclusus in Palatio Avenionensi, veluti derelictus permanserit, donec operà quorumdam Francorum, simul & Aragoniurum, clam inde eductus, eidem a Gallis restituta fuerit obedientia, post quæ anno 1404. Nuncios ad Bonifacium IX, direxit: quibus parum benigne acceptis, ipse Bonifacius interim, accedente ad dolorem calculi febre, die prima Octobris ejusdem anni, e vivis sublatus est.

Extincto Bonifacio, Cardinales a Nunciis Petri de Luna, adhuc Romæ existentibus, sciscitati sunt, num mandatum haberent ex parte Benedicti ad cedendum præsumpto Papatui? quoniam si id habuissent, jam decreverant non ultra procedere ad electionem, quousque super extinctione Schismatis provisum foret. Cum autem Nuncii respondissent, mandatum hujusmodi se non habere, Cardinales, ne Ecclesia Dei Pastore diutius careret, ad Electionem processerunt, atque die XVII. ejusdem mensis, unanimi concordia, Pontificem renunciarunt *Cosmatum Melioratum* Presbyterum Cardinalem Tituli S. Crucis in Jerusalem, qui nomen assumpsit INNOCENTII VII. Hic statim per Encyclicas litteras Archiepiscopis, aliisque Prælatis datas, indixit Generale Concilium celebrandum Kal. Novembris. Sed interim, cum dissidia inter Romanos, & Pontificem, de regimine Urbis, exorta fuissent, Innocentius Viterbium migrare compulsus est. Res nihilominus pro extinctione Schismatis agitata est inter Innocentium, & Benedictum, adeout Benedictus simulans se ad unionem paratum, Genuam usque accesserit, datis hinc inde litteris; Re tamen infecta, e vivis sublatus est Innocentius VII. die VI. Novembris anno 1406.

Post obitum Innocentii, Cardinales ingressi Conclave numero XV, cautionem præmiserunt in hunc modum conceptam: *Promisit, juravit, & vovit, ut unusquisque eorum, idque chyrographo solemni inscripsit, si Pontificem eligi se contingat, depositurum se*

se Pontificatum, si adversarius Pontifex id faceret, idque illi statim per litteras significaturum, & invitaturum ad hoc ipsum faciendum, procuraturumque insuper omni via, & modo unitatem, idque bona fide, & sinè ulla fraude: promissionem, & Votum, & jusjurandum, quod ipse præstitisset, omnibus Regibus, Principibusque, per suas litteras, primo quoque tempore, significaturum, quo eos testes haberet obligationis suæ: Ita scribit Leonardus Aretinus Innocentii VII. & Gregorii scriba, seù Secretarius, in *Historia Rerum Italicarum*, & *Epistolar. lib.* 1. *Epist.* 3.

Hisce supra Sancta Dei Evangelia solemniter juratis, paulò post, Patres elegerunt Pontificem *Angelum Corarium* Venetum, die 2. Decembris, qui Gregorii XII. nomen assumpsit, iterato prius Juramento, & Voto, quod jam ante electionem emiserat. Et certè hanc tunc fuisse Gregorii mentem constat ex ejus litteris datis ad Benedictum XIII. ante suam coronationem, & ex aliis scriptis ad Cardinales Benedicti, & ad Reges, Principes, Respublicas, & Universitates: Nihilominus postea, Imperii dulcedine degustata, & suorum promovendorum affectu, Doctrinæ, Religionis, pietatis ac morum probitatis, de quibus antea commendabatur, tergiversationibus derelinquendi Pontificatum, ac collusionibus cum adversario, contra præstitum Juramentum, famam commaculavit. Nam etsi Petrus de Luna, idemque Gregorius viderentur procedere, sive ad speciem, sive ad effectum Unionem procurandi, collusiones tamen adeo patuerunt, ut uterque illudere potius videretur. Spes vero Unionis tota evanuit, cum Gregorius, contra fidem Sacramenti in electione sua præstitam, de non creandis Cardinalibus, sub die 9. Maji Anni 1408. quatuor novos creavit: ex qua creatione, inter Gregorium, & Cardinales veteres, orta est dissensio, atque simultas, nullaque superfluit amplius spes de Unione Ecclesiæ. Et cum jam plures Juris doctores celeberrimi statuissent, Gregorium, & Benedictum, reos Juramentorum suorum, teneri, quacumque detrectatione, sive vera, sive falsa, deposita, ad Unionem procurandam; Immo etiam & Cardinales, si aliter fieri non posset, Concilium ad id celebrare, & alium Pontificem eligere debere.

Hinc Cardinales, putantes revera Gregorium, tamquam perjurum, & schismatis fautorem a Jure Pontificatus excidisse, & ex hoc vacare Apostolicam sedem, sibique tantum onus incumbere Viam, & modum quærendi ad convellendum schisma, ex Urbe Lucana (ubi Gregorius cum Patribus morabatur) subducere se se cœperunt, ac Pisas commigrare. Ibidem, jam metu liberi, ab eo appellarunt hoc modo: primum à Gregorio irrationabiliter, & secundum non rectam rationem decernente, ad ipsummet, secundum rectam rationem, & melius informatum: deinde ab eodem, uti Vicario, ad Christum Dominum, qui judicaturus est vivos, & mortuos: itemque ad Concilium Generale, à quo, & in quo solerent gesta etiam Pontificum Summorum pertractari: ac demum ad Papam, & Pontificem futurum, cujus esset gesta inordinata sui decessoris in melius reformare.

Denique, post plura hinc inde agitata, die 25. Junii ejusdem anni 1408. statuerunt, Cardinales Concilium convocare, Pisis inchoandum die 25. Martii anni sequentis 1409. datis Epistolis ad Universos Christi fideles, & Episcopos, ac Principes, ac legatis ad Reges, & Principes missis.

Quamvis autem objiceretur a multis, celebrari non posse Concilium Universale, absque auctoritate Summi Pontificis Romani: Nihilominus visum est pluribus hoc tunc necessarium fuisse, cum nullâ aliâ via, ad extinguendum schisma procedi posset, cum & inter duos contendentes, qui, tamquam perjuri, à quocumque Jure Pontificatus jam excidissent, ac proinde Sedes Apostolica pro vacante haberetur, & ex hac causa ad Cardinales pertinere certum Pontificem eligere. Eo magis, quod in ipso Concilio nihil de Fide foret pertractandum, sed tantum de schismate tollendo, quod percupere uterque contendens, etiam cum dubiæ dignitatis abdicatione, significaverat, ac Voto, & Juramento præstare promiserat, ac utriusque Obedientiæ Cardinales in hoc conveniebant: Immo acceptissimum fuit toti Orbi Christiano, & Principibus etiam parti oppositæ adhærentibus. Ad illud itaque celebrandum convenerunt Cardinales XXV. Patriarchæ 4. Episcopi 182. Abbates 290., inter quos capita, & Generales omnium Ordinum S. Sepulchri Theutonicorum, Rhodiorumque Magistri, Universitatum Parisiensis, Tholosanæ, Aurelianensis, Andegavensis, Cracoviensis, Cantabrigensis, Bononiensis, Florentinæ, aliarumque Deputati. Legati quoque Metropolitanarum, & Cathedralium Ecclesiarum ultrà Centum; Theologiæ, sacrorumque Canonum supra trecenti Doctores: Oratores denique Galliæ, Poloniæ, Bohemiæ, Cypri, Siciliæque Regum. Ducum quoque Bavariæ, Burgun-

gundiæ, Lotharingiæ, Brabantii, Brandeburgi, omniumque ferè Germaniæ Principum, præter alios Hispaniæ, Aragoniæ, Hungariæ, Sveciæ, Norvegiæ, Daniæque Reges, qui tandem huic Pisano Concilio adhæsere: Hæc Ludovicus Maimburgus in Tractatu: *De Magno schismate Occidentis*, Gallica lingua exarato: Quo argumento probare visus est, hoc Pisanum Concilium, non modò Œcumenicum fuisse, sed Unum ex Majoribus Conventibus, qui unquam in Ecclesia peracti sunt, cujus postea asserto subscripserunt Natalis Alexander (loc. cit.) Bossuetius, aliique recentiores. Huic providè & aliud argumentum præmiserat Maimburgus, nempe, re in ipso Pisano Concilio, mature, lenteque discussa, Benedictum XIII. & Gregorium XII., quamquam eorum alter verus esset Pontifex, à Papali dignitate fuisse ejectos, initiisque suffragiis fuisse electum Alexandrum V. quem pro vero, legitimoqne Pontifice, & totam fere Ecclesiam, si paucos excipias, Benedicto, Gregorioque addictos, agnovisse: & ipse Alexander, quamvis notæ sanctitatis, mortique vicinus, ubi fuiri solet ambitio, se verum Pontificem professus est.

Hæc, inter alia plura, refert C. V. Josephus Catalanus in Historia Concilii Pisani to. 4. Conciliorum pag. 165. & seq., Ubi tamen §. 39. subdit, Maimburgum, pluribus confutasse doctissimum Virum Cardinalem Cœlestinum Sfondratum in sua Gallia Vindicata 2. edit. Dissertat. III. §. III. pag. 597. cujus etiam rationes indicat adductas ab ipso Cardinale. Paulò ante, nempe §. 37. præmiserat Catalanus, Clarissimum Virum, summumque Theologum Josephum Augustinum Orsi, ex Officio Secretarii Sacræ Congregationis Indicis a SS. D. N. Benedicto XIV. ad gradum Magistri Sacri Palatii Apostolici meritissime assumptum, libris editis confutasse Bossuetium, qui in defensione Cleri Gallicani, part. 2. lib. 9. cap. 12. tanti hinc Synodum fecit, ut non sine temeritate, ipsius auctoritatem rejici posse affirmaverit.

Verùm, quæstione hac difficillimæ solutionis in suo statu relicta, & adhuc à doctissimis viris agitata, ad rem nostram est, Alexandrum V. tamquam verum, legitimumque Pontificem susceptum fuisse, & agnitum ab Ecclesia Romana, & in Catalogum Romanorum Pontificum relatum, ita ut à nemine Chronologorum umquam fuerit exclusus. Et quamvis verum sit, Alexandrum V. pro vero Pontifice agnitum non fuisse ab iis, qui adhærebant vel Benedicto, vel Gregorio rejectis a Concilio Pisano, certum tamen est, maximam Christiani Orbis partem electionem Alexandri, tamquam legitime peractam à Collegio Cardinalium, agnovisse. Præstat igitur hoc loco Sententiam afferre Clarissimi Viri Cardinalis Petri de Alliaco, cujus Doctrinam amplexum est Concilium Constantiense, qui rerum, quæ tunc fiebant, callentissimus, eodem Constantiensi Concilio Librum exhibuit de Ecclesiæ, & Cardinalium potestate, in quo primam Conclusionem his Verbis expressit: *Licèt Concilium Pisanum fuerit legitimum, & Canonicè celebratum, & duo olim contendentes de Papatu, justè, & Canonice condemnati, & electio Alexandri V. fuerit Ritè, ac Canonicè facta, prout hæc omnia tenet obedientia Domini Nostri Papæ Joannis XXII. tamen duæ obedientiæ duorum contendentium probabiliter tenent Contrarium, in qua opinionum diversa, & adversa Veritate non sunt minores difficultates Juris, & facti, quàm ante Concilium Pisanum erat de Justitia duorum Contendentium.*

Id verum extitisse compertum fuit, quòd per Concilium Pisanum minime extinctum fuit schisma: Nam mortuo Alexandro V. Bononiæ, expletisque Novendialibus à 17. Cardinalibus in Conclavi reclusis subrogatus est Balthassar Cossa Neapolitanus, tunc Bononiæ Legatus, non vi, aut dolo, ut perperam scripserunt Platina, & Nauclerus: Cum vero ad tollendum schisma, quod potius invaluerat, Joannes indixit Concilium Generale in continuationem Pisani, Constantiæ celebrandum: quod & inchoatum est die prima Novemb. anni 1414. ab ipso apertum, in id maxime incumbente, magno Zelo, & patientiâ Sigismundo, Imp., & magna Patrum constantiâ, absolutum spatio annorum trium, ac sex fere Mensium: eique interfuerunt quatuor Patriarchæ, Cardinales 29. Archiepiscopi 47. Episcopi 270. & cum his Abbatum, Priorum, Aliorumque Ecclesiasticorum, & Doctorum maximus numerus, præter Principum, Procerum, Comitum, & Oratorum multitudinem, itaut aliquando inventa sint, uno, eodemque tempore, Constantiæ 30. vel 40. Millia equorum.

In secunda igitur Sessione, quæ habita fuit die 2. Martii anni 1416. Ipse Joannes, sedens in Cathedra, ante Altare, conversus ad Concilium, professus est, spopondit, promisit, vovit, ac juravit (toi enim diversis verbis rem firmavit) Deo, Ecle-

clesiæ, & Concilio dare pacem Ecclesiæ, per viam suæ simplicis cessionis Papatus, eamque, re ipsa implere, si & quando Petrus de Luna, Benedictus XIII. & Angelus Currarius, Gregorius XII. dicto Concilii audientes, Papatui, quem prætendebant, per se, vel per procuratores suos, cederent; atque etiam in quocumque casu cessionis, vel decessus; qua de re confecta est Bulla.

At Joannes postea jam facti pœnitens, dissimulato habitu, clam aufugit, & per diversa loca: Interim sess. 3. Confirmatum est Concilium, nè ob fugam, seu absentiam Joannis, aut aliorum quorumcumque Prælatorum, dissolveretur: & sess. 4. publicatum fuit Decretum de potestate Concilii supra Papam, quod *Jo. Card. de Turrecremata l. 2. de Eccl. cap. 99.* de ipso tantum Constantiensi, pro extirpatione schismatis collecto, & unione, ac reformatione Ecclesiæ in capite, & membris, intelligendum autumat, non de quocumque alio Concilio.

Sess. autem XII. die 29. Maji celebrata, lecta est Sententia depositionis Joannis à Papatu, & absolutionis omnium Christianorum ab ejus Obedientia, cum prohibitione, nè quis amplius eum Papam nominaret, aut ei tamquam Papæ, quocumque modo adhæreret; eumque sub custodia Sigismundi Imperatoris honestè custodiendum statuit Concilium, reservatis sibi aliis pœnis, quibus pro ipsius criminibus plectendus foret, suo tempore declarandis. Quam sententiam Joannes, publico Instrumento, ratam habuit, die ultima Maji, qua pure, simpliciter, ac libere Papatui cessit, depositis omnibus ornamentis Papalibus, quæ quinque annis, ac quindecim diebus gestaverat. Inde vacavit Sedes usque ad novam electionem annos duos, Menses 4. dies 10.

Sessione XIV. die 4. Julii admissa est, atque laudata à Concilio renunciatio, ac cessio Papatus Gregorii XII. facta ejus procuratorio nomine à Carolo de Malatestis: & tunc confirmata fuerunt quæ Gregorius in administratione sua rite gessisset, & recepti ab ipso creati Cardinales, qui sex numerabantur: Et Gregorius ipse, Cardinalatus dignitate retenta, creatus est Legatus Marchiæ Anconitanæ, & declaratus Card. Episcopus Portuensis, secundus à Pontifice.

Sessione XVI. delecti sunt Comites itineris Sigismundi ad Regem Aragoniæ, & Petrum de Luna, qui eum ad abdicationem inducerent, exemplo Joannis, & Gregorii: Sed bis inter se collocuti de modo abdicationis, re infecta, ob multiplicia Petri subterfugia, delusiones, & ambiguitates, omnes, recesserunt. Hinc, sessione XXVII. cui interfuit Imperator, lecta est definitiva sententia depositionis Petri de Luna, & absolutionis omnium ab ejus obedientia.

Sessione XLI. prædictarum trium factionum Cardinales numero Viginti, unà cum selectis è quinque Nationibus triginta Electoribus, ingressi Conclave, tertio post die; nempe Jovis Undecima Novembris an. 1417. elegerunt in Summum Pontificem *Odonem de Columna* Romanum, Diaconum Cardinalem, qui in honorem S. Martini, in cujus festo electus fuit, Martinus dictus est hujus nominis Quintus, & ingenti omnium lætitia collocatus est in Solio. Quo Pontifice exoptatissima cunctis fidelibus tandem pax Ecclesiæ reddita est; quamvis non totaliter extinctum schisma, vivente adhuc Petro de Luna, qui opibus Regis Aragoniæ suffultus, obstinatè obiit in sua perfidia, sub finem Novembris anni 1424. cui non nulli ex ejus pseudo-Cardinales subrogarunt Ægidium Munium Barchinonensem, dictum Clementem VIII. Tamen Petrus Card. de Fuxo Ord. Minorum, iterata sua Legatione, sublatisque difficultatibus, inter Martinum Papam, & Alphonsum Regem, induxit ipsum Intrusum ad abdicationem, quæ subsequuta est 26. Julii an. 1428. & ob hoc ipse Munius creatus est Episcopus Majoricensis, & ita omnino deletum est tam dirum schisma, quod ultra annos 40. Catholicam proscidit Ecclesiam.

Ex hactenus præmissis apparet, rectè quidem à Romana Ecclesia pro veris, legitimisque Pontificibus habitos fuisse electos ab Urbano VI. usque ad Concilium Constantiense: Nam primo loco, ut damnatos, falsos, & schismaticos unà cum eorum Actis reprobavit Gebbenensem dictum Clementem VII. & Petrum de Luna dictum Benedictum XIII. qui, fere toto schismatis tempore, ad 40., & amplius annos vexarunt Ecclesiam: 2. loco ex historia Electionis Urbani VI. probabilior sententia esse videtur, quòd, cessato metu furentis populi Romani, Cardinales ipsi electionem, per tot eidem præstita obsequia, cum ipsemet obedientiam recipere nollet, illam liberrime instituisse, atque approbasse: ac proinde à Cardinalibus ejusdem obedientiæ, illi defuncto subrogatum ritè fuisse Bonifacium IX. nec in dubio habita fuit ejus Electio, per annos circa quindecim, quibus sedit: Sicuti etiam Innocentii VII. ejusdem Successoris; Nam Bonifacius in sanctorum album retulit S. Birgittam,

F 2

gittam, ut habetur in Lectionibus Breviarii Romani (& quod etiam factum fuisse traditur ab aliis duobus subsequentibus Pontificibus, fuit potius confirmatio, & approbatio Canonizationis factæ à Bonifacio IX.) Quoad Concilium Pisanum, quamvis S. Antoninus eum Conciliabulum appellaverit, nihil refert, cum, quamvis Sanctus Vir fuerit, tamen in rebus de facto, ac Jure pendentibus, & ipse errare potuerit; cum revera in nonnullis aliis in historiam suam relatis, erraverit, nec in iis infallibilis habetur: sicuti, & S. Vincentius Ferrerius innocenter erravit, sequutus per multum temporis partes Petri de Luna, donec de Veritate certior factus illum deseruit, & legitimi Pontificis obedientiam amplexus est. In dubio namque veri Pontificis, cum Petrum de Luna constaret, haud legitime sedere, Gregorius vero XII. à suo Jure cecidisset, quòd perjurus, & schismatis fautor esset, Sacri Cardinalium Collegii erat, ad tollendum schisma, convocare Concilium: quare Insignis Theologus Fr. Franciscus Carriere Minor. Conventualium in sua Historia Chronologica Pontificum Romanorum, sub Alexandro V. agens de hoc Concilio ita scripsit: *Quem* (nempe Alexandrum V.) *Verum, & legitime Electum fuisse Papam dubitare non licèt: Nam tempore schismatis, cum non est certus Pontifex, perinde est, ac si nullus omnino esset, tuncque Ecclesia, seù Concilium, eum, ex facultate sibi a Christo data, eligit: alioquin deseruisse eam videretur, si multis dubiis, & incertis pro summis Pontificibus se gerentibus, obedire teneretur, hinc brevi sine dubio destruenda.*

Idem quoque est asserendum de Concilio Constantiensi, (etiamsi indictum non fuisset à Joanne XXII.) Sed cum verè coactum fuerit ab ipso Joanne, & pro Œcumenico ab omnibus habeatur, hoc maxime probat legitime ipsum Joannem electum fuisse Romanum Pontificem, atque sedisse usque ad ejus depositionem peractam ab eodem Concilio.

CAPUT VIII.

De Consuetudine Romanorum Pontificum mutandi sibi nomen, cum assumuntur ad Apostolicam Sedem. Calumniæ Etherodoxorum in eos præcipuè, qui valedicentes Sæculo, vetera sua nomina deponunt, & nova sibi arrogant. Primum mutandi nominis autorem probatur, Deum fuisse in Veteri Testamento, postmodum a Christo Domino, id peractum in Ecclesia sua: Tandem explicantur difficultates, quæ occurrunt in Chronologia Romanorum Pontificum, ob ejusdem nominis similitudinem.

NOnnullæ difficultates frequenter occurrunt in Chronologia Romanorum Pontificum, ob ejusdem nominis assumpti similitudinem, itaut oriri possit confusio in assignando vero numero Pontificum, & quoti fuerint tali nomine insigniti, ac vocati. Præstat tamen hoc loco primùm audire, ac refellere calumnias, & scommata, quibus alieni ab Ecclesia feruntur in Pios quosque Viros, qui valedicentes sæculo, religiosa Instituta dum amplectuntur, nomen sibi in Baptismate inditum abjicientes, aliud noviter assumunt. *Hoc idem esse* (præcipuè Lutherani Centuriatores prædicant), *ac renunciare Baptismo, in quo quisque vetus, propriumque nomen accepit*: quam calumniam non nulli eorum etiam detorquent in Romanum Pontificem, quòd jam electus a priori suo nomine diversum aliud assumere soleat.

At quid mirum, si in re tam parvi momenti stylum suum convertant Hæretici, qui cuncta Ecclesiæ Dei, sive Ritus, sive Cæremonias carpere, & canino dente mordere, & evertere, ac dissipare conantur, quamvis validissimis rationibus, & argumentis ea cuncta probare, illorumque conatus frangere ac dissipare, felici quidem successu, aggressi sunt Clarissimi Viri Cardinales Baronius, & Bellarminus, aliique Insigniores Catholici Theologi, atque Scriptores. Sed falsissimum hoc esse Commentum adversariorum apparet primo etiam aspectu: Nam renunciare Baptismo, idem est, ac Religioni Sanctissimæ valedicere, aliamque oppositam amplecti, & per apostasiam profiteri; At id principaliter non pendet à nominis mutatione, sed voluntatis: Sicuti nec olim abrenunciatio cultus Idolorum, ac Gentilismi pendebat à mutatione nominis in

in iis, qui Christianam Fidem amplectebantur, sed a mutatione voluntatis, & animi. Plurimi namque eorum, dum Baptisma susciperent, nomina eadem retinebant, quibus antea appellari consueverant: etiamsi nomina fuissent Deorum, quos antea colebant, atque venerabantur: In Historia Ecclesiastica Eusebii Cæsariensis, & in Actis Martyrum Africanorum, plures Coronatos legimus nominibus appellatos, Martis, Apollinis, Ammonii, Bacchi, Dionysii, Æsculapii, Romuli, Mercurii, Saturni, Sylvani, Cinthiæ, Lucinæ, Veneris, Fortunæ, & similium, ac etiam eorum, qui ex his derivare noscuntur, putà, Martini, & Martinæ, Apollinaris, & Apolloniæ, Veneris, & Veneriæ, Fortunati, & Fortunatæ, Saturnini, & Saturninæ, Martini, & Martinæ, &c. Immo in Epistolis D. Petri, & Pauli, & in Actis Apostolorum frequèns occurrunt nomina probatorum Christianorum, videlicet Apollinis, Sylvani, Apellen, Narcisi, Hernæ, Jasonis, Sosipatri, & Nymphæ. Eusebius vero ipse Hist. lib. 8. memorat, nonnullos alios ad Christianam Fidem traductos, nomina Deorum, quæ habebant illa deposuisse, & alia Prophetarum veteris testamenti assumpsisse; nihilominus præter plurima ex supramemoratis, Deorum nomina retenta a fidelibus, hoc capite ipso, mentionem facit de duobus Martyribus Episcopis, quorum alter Æsculapius, alter Ammonius appellabatur. Proinde Cuperus in Monumentis Antiq. pag. 190. demonstrat, non consuevisse nomina Gentilitia deponi, cum ex Gentilibus ad Christianam Fidem convertebantur: atque eruditus Fabrettus (*Cap.* 5. Antiq. Inscript. fol. 151.) cum eo sic statuit: *Non culpabile fuit Gentilibus Christianis factis Deorum nomina non deposuisse, ut pluribus ostendit Cuperus.* Nihilominus observandum est, quod Baronius animadvertit in Notis ad Martyrol. Romanum, sub die XVI. Februarii, ubi agitur de SS. Martyribus Ægyptiis Elia, Hieremia, Isaia, & Samuele, ita scribens: *Hi etenim, ut ad Christum conversi sunt, profana sibi indita a parentibus nomina respuentes, SS. Prophetarum sibi imponi nomina cupierunt*; *scribit Dionysius Alexandrinus, peculiare olim fuisse nuper conversis ad Fidem, ut Apostolorum, aliorumque Sanctorum, quorum fidem essent amplexi, etiam sibi nomina sumerent apud Eusebium lib. 7. cap. 20. In eamdem sententiam plura disserit S. Joannes Chrysostomus hom. 21. in Genesim, multisque inculcat, non nomina Gentilium, & Avorum esse filiis imponenda, sed Sanctorum, qui virtutibus effulserunt, & Dei amicitia digni fuerunt.* Quo S. Chrysostomi testimonio edocemur, etiam ejus tempore, morem viguisse apud Christianos, nomina Gentilium filiis imponendi. Si itaque professio Christianæ Religionis minime pendebat a nomine Gentili, vel non dimisso, vel suscepto cum baptizarentur noviter ad Fidem conversi, quis non agnoscat, quam calumniose hæretici mordeant consuetudinem, eorum fidelium, qui, sæculo renunciantes, unà cum sæculari habitu, etiam nomina, sub quibus Mundo, & pompis ejus, ac vanitatibus militaverunt abjicientes, alia Sanctorum nomina assumunt, quos sibi proponunt imitandos in sacra nova militia? quinimmo eos laude dignos esse dicendos, cum plene adimpleant monitum Apostoli dicentis (ad Coloss. c. 3.) *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, induite novum eum, qui renovatur in agnitionem secundum imaginem ejus, qui creavit illum.*

Nec porro damnanda est hæc nominis mutatio, si ejus prima attendatur origo. Primus namque auctor ejus fuit Deus ipse in veteri Testamento: postmodum in Evangelio a Christo Domino approbata, in usumque deducta, & utrobique dignoscitur arcanis mysteriis tum præteritorum, tum futurorum gestorum plena. Ut igitur ostenderet Deus se Abram constituisse futurum multarum gentium Patrem, nomen Abram, *in Abraham*, mutavit, cujus nominis productio fœcunditatem illam contineret, ei dicens (*Gen. c. 17. v. 1.*) *Non ultra vocabitur nomen tuum Abram, sed Abraham, quia Patrem multarum gentium constitui te.* Ita non diu post, Jacob nomen mutavit *in Israel*: Cum enim sanctus ille Patriarcha diu luctatus esset per totam noctem cum Angelo, atque mystica illa in lucta prævaluisset (*Ibid. c. 34. v. 28.*) ait illi Angelus: *Nequaquam Jacob appellabitur nomen tuum, sed Israel, quia si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines prævalebis*: iterumque illi apparens Dominus (*Ibid. c. 35. v. 10.*) mutationem nominis confirmavit dicens: *Non vocaberis ultra Jacob, sed Israel erit nomen tuum: & appellavit eum Israel dicens: Ego Deus Omnipotens, crescere, & multiplicare; Gentes & populi Nationum ex te erunt, & Reges de lumbis tuis egredientur.* Novo igitur eo nomine explicatur tanti Viri præterita fortitudo, & exprimitur felix futura ex eo propagatio Gentium, & Nationum, ac Regum.

Ad rem tamen exquisitè se offert mutatio-

tio nominis facta a Christo Domino in persona Simonis, quem primum ad Apostolatum vocavit, & quem, primo in congressu secum habito, sic affatus est. (*Jo. c. 1. v. 40.*) *Tu es Simon filius Jona: tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus*. Promisit tunc mutationem Nominis, postea vero adimplevit, quando Simoni a Patre facta fuit excellentissima illa de Christi Divina filiatione revelatio, quæ singularis prærogativa in nomine Petri mirabiliter continebatur: Tunc enim Dominus, dixit illi (Matt. c. 16. v. 17. *Beatus es Simon Barjona, quia caro, & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in Cœlis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus*. Cum quoque in eodem nomine designaret Petrum futurum esse Ecclesiæ fundamentum, & hoc quoque explicavit Dominus statim subdens: *Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*: & hæc quidem Apostoli decora, ita ex ore Christi prolata, explicuit S. Leo PP. serm. 1. in suam assumptionem: *Et ego dico tibi, hoc est, sicut Pater meus tibi manifestavit Divinitatem meam; ita & ego notam facio excellentiam tuam, quia tu es Petrus, id est, cum Ego sim inviolabilis Petra, Ego lapis angularis, qui facio utraque unum, Ego fundamentum, quod nemo potest aliud ponere: tamen Tu quoque Petra es, qui mea virtute solidaris, ut quæ mihi potestate sunt propria, sint tibi participatione communia; & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*. Hæc itaque mutatio nominis ex Simone in Petrum a Salvatore facta, fuit plena mysteriis, in se referens, ipsius Apostoli præteritam, futuramque excellentiam.

Aliud quoque exemplum mutatinnis nominis exhibuit Dominus in duobus aliis Apostolis, videlicet Jacobo Zebedæi, & Joanne ejusdem fratre, ut legitur in Marci cap. 3. v. 17. nam, cum seligeret Christus duodecim Apostolos, *& imposuit nomen Simoni Petrus, & Jacobum Zebedæi, & Joannem fratrem Jacobi, & imposuit eis nomina Boanerges, quod est filii Tonitrui*. Quo forsam præsignaretur, quod, præ cæteris, futuri essent Christo ipsi familiariores, ac testes ejusdem admirandæ Traosfigurationis in monte excelso, & audituri vocem Patris de Cœlo dicentis: *hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite* (Matth. 17.) Alia quoque mysteria forent observanda in mutatione Nominis ex Saulo in Paulum, peracta à Christo Domioo, postquam ex Persecutore nascentis Ecclesiæ, factus est, Vas Electionis, ut nomen Christi portaret coram gentibus, & filiis Israel, & Doctor Gentium à Deo fuit constitutus.

Hisce, aliisque passim occurrentibus in Historia Ecclesiastica exemplis de mutatione nominis, manifeste apparet, quàm perverse garriant in Catholicos fidei nostræ Adversarii, cum hanc consuetudinem calumnientur, idem esse, ac renunciare Baptismo, dicentes.

Sed dici posset, si Christus nomen mutavit primo suo constituto Vicario, & totius Ecclesiæ Pontifici, cur non omnes ejusdem in Cathedra successores Romani Pontifices, eodem titulo Petri appellati sunt? quin potius, nec per plura sæcula mos invaluit penes Romanos Pontifices sibi nomina mutandi, oec uoquam Petri ipsius oomen assumendi.

Sed in hoc maxime considerandum est: primò, quod sicut Petri auctoritas, atque potestas, & primatus Ecclesiæ ab ipso Principe Apostolorum in ejusdem Successores transierunt, non tamen ejusdem Privilegiorum, ac Excellentiæ, & prærogativæ participes facti sunt. Non enim illorum quis immediate revelationem ab ipso Patre de Christi Divinitate unquam accepit, sed per fidem edoctus est: Nec ab ipso Christo Domino adhuc in carne visibili ejus constitutus Vicarius; nemo tot privilegiis, quot Petrus, auctus est: Unde factum est, ut tantum nomen ejusdem, à successoribus in tali, ac tanta veneratione habitus fuerit, ut reverentiæ, ac summi obsequii causa, ab eorum nullo fuerit usurpatum: Nam Joannes XIV. electus Pontifex anno 984. & Sergius IV. anno 1009. cum antea vocarentur nomine Petri, reverentiæ causa erga Principem Apostolorum, proprio ipso nomine Petri dimisso, alter Joannes, alter Sergius appellari voluerint.

Platina, ex Mariano Scoto, tradit primum fuisse Romanorum Pontificum, qui oomen mutaverit, Sergium II. eo quod nomen haberet indecens tanto Sacerdotio, videlicet Os *porci*. At hoc fabulosum esse tradit Cardinalis Baronius ad an. 844. (quo sedit ille Sergius II.) ita scribens §. 1. *Quos delectat fabulas veris intertexere, hunc primum fuisse tradunt Romanum Pontificem, qui creatus Papa nomen sibi mutavit, & quod nomen indecens tanto Sacerdotio visus esset habere: Sed scias, id factum à Sergio IV. Neque id accidisse ob turpitudinem nominis, sed reverentiæ causa. Cum enim ille Petrus vocaretur, indignum putavit eodem se vocari*

ri nomine, quo Christus primum ejus Sedis Pontificem Principem Apostolorum ex Simone Petrum nominaverat: Verùm id factam primum ab Octaviano, qui vocatus est Joannes XII. alii tradunt. Quod revera Sergius IV. ante Pontificatum Petrus appellaretur id clare constat ex epitaphio ejusdem ab eodem Baronio relato ad annum 1012. §. 1. ubi legitur.

In quo (id est folio) *mutato nomine Præsul,*

Sergius ex Petro, sic vocitatus erat.

Sed Sergius IV. imitatus est exemplum supradicti Joannis XIV. qui electus Pontifex anno 984. cum *Petri* nomine esset insignitus, ejusdem reverentiæ causa erga Principem Apostolorum, eo dimisso, Joannes appellari voluit.

Verùm nec Joannes XIV. primus fuit ex Romanis Pontificibus, qui nomen sibi mutaverit, ut innuit Baronius supra relatus, & alibi ad an. 955. aliique tradunt. Nam cum Octavianus iste esset filius Alberici Patricii Romani, defuncto Agapito PP. II. suggerentibus sibi Romanis, ex Clerico tantum Apostolicam Sedem invasit: Clerus tamen Romanus, ut schisma malorum omnium perniciosissimum evitaret, legitimis suis suffragiis illum in Pontificatu confirmavit. Guillelmus Bibliothecarius notat, Octavianum, proprio deposito nomine, se Joannem appellari jussisse, vel quod ejus Patruus in Pontificatu *Joannes XI.* appellatus esset, vel ut saltem, novi nominis assumpti causa, benè audiret in adulatorum acclamationibus: *Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Joannes.*

Sigonius de Regno Italiæ, ad an. 884. putavit Adrianum Papam III. ante Pontificatum fuisse appellatum *Agapitum*, & hoc etiam innuunt Ciacconius, & Oldoinus in nova ad eumdem additione; At Marianus Scotus, & Sigebertus, crasso quidem errore, indicarunt, ante hunc Adrianum, alium sedisse Pontificem nomine Agapitum, sed fabulosè omnino, cum a nullo Scriptore nostrate eorumdem temporum, historiæ memoretur iste Agapitus, ac propterea meritò expellendus est à recta Chronologia Pontificum Romanorum: verùm suboriri posset dubium, an forsan Adrianus prænomen habuerit Agapiti, at cum numquam in usu fuerit, (ut patet ex libro Pontificali, & Anastasio Bibliothecario) prænomina apponendi Romanis Pontificibus, & hoc, cum cæteris, omissum fuit.

Causam quoque mutandi sibi nominis apud Romanos Pontifices, præcipue Sæculo X. emersisse volunt non nulli, ob quamdam barbariem nominum exterarum nationum. Nam Gregorius V. Saxo-Germanus, nomine *Brunonis* deposito, Gregorii titulum assumpsit: Ita Silvester II. patria Aquitanus, antea Gerebertus appellabatur: Clemens II. natione Germanus Episcopus Brixenorum, prius *Swidgerus*; Damasus II. antea *Poppo*, S. Leo IX. antea *Brano* Episcopus Tullensis, Victor II. antea *Gebeardus* Episcopus Aistettensis; Stephanus IX. Lotharingus prius *Fridericus*. Quos imitati sunt alii Pontifices, quamvis natione Itali, etiam non referentes nomina exterarum nationum, ac difficilis pronunciationis; & exceptis paucis, hæc consuetudo etiam usque nostra ad hæc tempora producta, atque servata esse dignoscitur.

Sed quoad mutationem hujusmodi nominum, quæ aliquam barbariem præseferunt, antiquius præcessit exemplum (non tamen in Romano Pontifice) Nam S. Leo Papa II. sæculo VII. cum Romæ consecrasset in Episcopum Moguntinum Sanctissimum Virum Wilfridum Presbyterum, mutato illi nomine, deinceps eum appellari voluit *Bonifacium*; portendens in hoc novo nomine, qualis futurus esset in opere: Nam hic fuit celeberrimus Germanorum Apostolus, & inclytus Catholicæ Ecclesiæ Martyr, cujus Acta recitat Surius ad diem 5. Junii, quo die ejus memoria recolitur in Martyrologio Romano.

Sed notandum est, quod licèt Romanus Pontifex, aliud nomen sibi assumere soleat, revera tamen illud, quod sibi inditum est in Baptismate, non deponit: Nam etsi in Diplomatibus, Bullis, ac litteris Apostolicis nomine assumpto utatur, nihilominus signandis supplicationibus (quæ perpetuò in Archivo Apostolico remanent) se propria manu subscribit eo ipso nomine, quo priusquam Pontifex crearetur appellari consueverat. Sic Innocentius XII. signatus legitur *Antonius*, Clemens XI. *Joannes Franciscus*; Innocentius XIII. *Angelus*; Benedictus XIII. *Vincentius Maria*; Clemens XII. *Laurentius*, & BENEDICTUS XIV. feliciter regnans, *Prosper*, ut fecerant alii eorum prædecessores Summi Pontifices. Unde potius videtur assumptum nomen referri posse ad eorum dignitatem ostendendam, cum nullatenus priscum nomen in Baptismo susceptum deponant.

Nil tamen refert qualiscumque fuerit causa, & origo hujus consuetudinis mutandi

di nomen, certum tamen est, ex similitudine ejusdem nominis, non nullas emersisse difficultates, quæ aliquando Chronologiam Pontificiam perturbant: nam cum a prisco tempore quisquis Electus proprio in baptismate nomine etiam in Pontificato vocaretur, tractu temporis factum est, ut idem nomen cum alio concurreret, quare necesse fuit, ut qui antea præcesserat appellaretur hujus nominis Primus, subsequens II. alter III. IV. V. & sic deinceps: Putant tamen nonnulli, S. Leonem Papam IX. (qui sedit anno 1049.) primum fuisse, qui nomini suo apposuerit notas numerales, ut quotus esset inter ejusdem nominis Pontifices dignosceretur, ut tradit C. V. Joannes Franciscus Baldinus Clericorum de Somascha Præpositus Generalis in Eruditis suis ad To.4. Anastasii Bibliothecarii annotationibus. Id tamen ante Leonem IX. prætermissum fuisse ab antiquis Scriptoribus non est credendum, cum ex hoc turbationes multæ, atque errores in Chronologiam exortæ fuissent: Et revera, Numerales notas, quæ ex libro Pontificali, Anastasio Bibliothecario, & aliis Catalogorum Scriptoribus Nominibus singulorum Pontificum annexæ leguntur, additæ ab ipsis auctoribus creduntur. Et hæc opinio magis astruitur, quod Sergius PP. II. qui sedit anno Christi 844. eum in Titulum Equitii, seu S. Martini in Montibus, plura Sanctorum corpora intulisset, in prægrande marmoreo monumento, quod ibidem affigi jussit, se revera secundum hujus nominis nominavit, per verbum *Junioris*. Ita enim legitur: *Temporibus Domni Sergii Junioris PP.* &c. Sic quoque Sergius PP. IV. qui sedit anno 1009. In Epitaphio, quod apposuit Sepulchro Silvestri II. specialiter illum Silvestrum Secundum fuisse hisce sensibus tradit:

Iste locus Mundi Silvestri membra Secundi
Venturo Domino conferet ad sonitum &c.

Sed & hoc pluribus aliis antiquis exemptis probari facile posset. Et hæc distinctio numeralis inter ejusdem nominis Pontifices necessaria fuisse a primis Ecclesiæ sæculis, videtur, cum enim non semel, sed frequenter intruderetur aliquis Pseudopontifex, & a nullis, ut verus ac legitimus Papa habitus fuerit, si auctores memorati in veris numerandis Pontificibus numeralia elementa prætermisissent, maxima confusio exorta fuisset & inexplicabiles ambages. Difficultates igitur, quæ hoc super argumento adhuc occurrunt in Chronologia, versantur in Classes Octo diversorum Nominum Summorum Pontificum, nempe circa FELICES, STEPHANOS, MARTINOS, JOANNES, LEONES, SILVESTROS, BONIFACIOS, atque BENEDICTOS.

I. Prima igitur quæstio agitatur inter Ecclesiasticos Scriptores de Pontificibus FELICIS nomine insignitis; an scilicet Felix II. inter hos sit enumerandus, vel ab his excludendus. Utraque opinio suas habet Patronos, suasque rationes, eosque enumerat, illasque refert Pagius in Breviario, ubi de hoc S. Pontifice: & ex eo Ant. Sandinius in suis notationibus *ad Vitas Romanorum Pontificum*, sub eodem Sancti Felicis II. pag. 85. Qui autem pro Felice contendunt eum verum legitimumque Pontificem fuisse, maximo nituntur fundamento, quòd in libro Pontificali in vita Liberii Pontificis habeatur: cum Liberius in Exilium duceretur, *Congregantes se Sacerdotes, & cum consilio Liberii, ordinasse in locum ejus Felicem*: accedente igitur consensu Liberii, coque Juri suo renunciante, legitimè electus, a serie Romanorum Pontificum haud est excludendus: quod probe ostendit C. V. Cardinalis Bellarminus in sua *defensione Felicis*, & ab Henschenio in Append. & to. 3. Aprilis, subjecta. Plura in favorem S. Felicis hujus digessit in Annalibus Card. Baronius ad an. 357. inter quæ non leve argumentum esse videtur, quòd cum anno 1582. 4. Kalendas Augusti, cum stylo contradicentium, valde ejus causa opprimeretur, ut videlicet ejus memoria è Martyrologio Romano tolleretur, eo ipso die, quo ejusdem S. Felicis in Ecclesia ejus natalis agi consuevit, nempè 4. Kal. Augusti, opportunè ipsemet visus est, causam suam per se acturus, cum admiratione, redivivus comparuisse. Inventus namque fuit in Ecclesia SS. Cosmæ, & Damiani in foro Romano Sarchophagus, in quo Corpus ejus jacebat, cujus Inscriptio hæc referebat: *Corpus S. Felicis Papæ, & Martyris, qui damnavit Constantium*. Nihilominus, stantes contra Felicem (*ut ait Sandinus*) eam humilem Inscriptionem dubiam revocant esse, nec rem decernere contendunt, quòd Marcellinus, & Faustinus coævi, Felicem defunctum simpliciter dicant, sine mentione Martyris, & Constantium ab hoc Felice damnatum nullus scripserit antiquorum. Sed utcumque sit, ejus memoria tamquam Papæ & Martyris celebratur in Martyrologio Romano 4. Kal. Aug. Ut legitimum tamen Pontificem semper habitum fuisse constat ex libro Pontificali, & ex Anastasio Bibliothecario, aliisque Cathalogorum collectoribus. At magis hoc probant nostræ Picturæ, in pariete Australi

Ba-

Basilicæ S. Pauli, sæculo V. Leoniano depictæ, ubi, post Liberium, visitur expressus Felix. Post Felicem IV. qui sedit anno Christi 526. nullus alius Felix habetur legitimus Pontifex. Nam Felix dictus V. schismatice electus in Concilio Basileensi Apostatico contra Eugenium IV.; in Chronologiam admittendus non est: qui tamen post annos fere decem, cognito errore, forte absque sua culpa, commisso, ultrò, cum nomine, Pontificalia insignia dimisit.

II. Quæstio occurrit in Pontificibus STEPHANI nomine appellatis, ob Stephanum II. electum anno 752. Nam hic, post electionem ductus in Patriarchium Lateranense, & inthronizatus, 3. post die, apoplexia oppressus decessit (de quo jam plura notavimus pag. 20., & alibi.) Hinc a pluribus, ob brevitatem temporis, sive quòd non fuerit ordinatus, è Catalogo Pontificum exploditur, & propterea non nulli ita illum cum Stephano III. confundunt, ut ex duobus Pontificibus unum tantum conflare videantur. Alii vero, ut Pagius in Breviario, a Stephano III. & deinceps, sic illos enumerant, Stephanus II. aliis III. & ita de reliquis. Videas, itaque quæ prædicto capite tertio Animadversionum exposuimus.

III. Inter Pontifices MARTINOS intercedit difficultas. Nam post S. Martinum I. qui sedit anno 649, nullus alius Martinus revera Pontifex est electus usque ad annum 1281., quo sedit Martinus IV. qui proprie dicendus est II. Hujus erroris causa ea fuit, quòd sub annis Christi 882. & 942. duo creati fuerint Pontifices, nomine *Marini* appellati; ii, errore communi, additâ littera T. loco Marini, dicti sunt *Martini*. Verùm Catalogi antiqui utrumque appellant *Marinum*. Cum vero anno 1281. assumptus esset Pontifex Simon Momptius natione Gallus, Nomen assumpsit *Martini*, dictusque est hujus Nomenclationis IV. Similiter anno 1417. creatus Papa, in Concilio Constantiensi, Oddo Cardinalis Columna, assumpto Martini nomine, appellatus est Martinus V. & ita communem existimationem sequuti sunt. In nostra Chronologia producta in parietibus Basilicæ S. Pauli, ubi exponuntur duo Marini, primo in Epigraphe additum est: *Marinus I. dictus Martinus II.* alteri *Marinus II. dictus Martinus III.* & in serie subsequentium sub nomine Martini, *Martinus II. dictus IV. & Martinus III. dictus V.*

IV. Differentia occurrit in Pontificibus JOANNIS Nomine nuncupatis, & hic non parvi momenti difficultates intercedunt. Nam usque ad Joannem XIV. rectâ omnes gradiuntur, nam electus est anno Christi 984, sed cum, anno paulo post, Romam è Constantinopoli, quò aufugerat, nefarius Pseudopapa Bonifacius venisset, ab eo comprehensus est, ac in Castrum S. Angeli reclusus, fame, ac veneno necatus interiit. Pagius in Chronico, post Benedictum VII, & prædictum Joannem XIV. alium electum fuisse Joannem Roberti filium tradit, qui (ut ait Marianus Scotus) Pontificatum tenuit 4. menses tantum, & id pro certo esse habendum educit Pagius ex Chronico Malejacense, seu S. Maxentii, (licet in anno auctor illius fallatur) ubi legitur: *In sequenti anno tres Apostolici apud Romam mortui sunt, Joannes scilicet XIV. Bonifatius VII, & Joannes filius Roberti*. Iste vero Joannes filius Roberti, ab Hermanno Contracto, Baronio, aliisque prætermittitur, sed in quibusdam Catalogis appellatur Joannes xv. At cum immediate post Joannem XIV. supramemoratum, revera in Apostolico throno alter Joannes Patria Romanus ex patre Leone postea Presbytero, de regione Gallinæ albæ, reperiatur, qui sedit Annos x. M. IV. Dies XII. & ex pluribus chartis ejus, constet, se in iis, appellasse Joannem XV. Pagius difficultatem excurrit, dicendo, Joannem Roberti filium, vel tantum fuisse electum, vel verum non extitisse Pontificem. At si Canonice fuisset Electus, absque dubio verus Pontifex fuisset, & alter Joannes post eum, se Joannem XVI. non XV. subscripsisset.

Pagius in Breviario, ubi de Gregorio PP. V., tradit Joannem Episcopum Placentinum a. 992, favore Crescentii, Apostolicam Sedem invasisse, dictumque Joannem XVI, qui, non diu post, ab Othone Imperatore comprehensus, lingua, manibus, oculisque privatus, ab injustè occupata Sede exturbatus est: post hæc testimonio Chronographi Magdeburgensis, subdit quæ senior Pagius in Critica ad Baronium annotavit: nempe in Catalogis, in quibus hic Joannes recensetur, addito numero XVII. (post Silvestrum II, in censum relato Joanne Roberti filio, & appellato Joanne XVI) ideo eo numero indicari, ex ratione, quam tradit Papebrochius in Conatu Chronico Historico, inquiens: *Licèt enim non fuerit unquam verus Pontifex hic Joannes XVI. tamen extabant, sub eo nominis numero, sparsæ toto Orbe, pro occasionum diversitate, Epistolæ, ac Bullæ: quæ cum veri Pontificis deinde actis confunderentur, (si hic quoque, (nempe Joannes XVII.) vocaretur Joannes XVI. necef-*

esse habuit Silvester II. Decessor permitterc, ut vocaretur Joannes XVII.

Hoc Papebrochius, & Pagius quoque Senior ad annum 998. n. 19. *Sic* (inquit) Joannes iste, licèt Antipapa, *Joannes XVI. appellandus, quòd duo subsequentes Pontifices ejusdem nominis, ejus aliqualem rationem habuerint, alterque Joannem XVII. & alter Joannem XVIII. in suis rescriptis se nuncupaverit*: Et post relatum sensum Papebrochii, subsequitur. *Hoc vero etiam nos sequemur, nè, si cum Baronio, & recentioribus passim velimus, expuncto pseudopapa, imminuere numerum, publicis, & privatis eorundem, ac sequentium temporum Actis adversemur*. Quibus rationibus adactus, Junior Pagius Joannem XVI. quamvis Antipapam nun exclusit a sua Chronologia, ac subsequentem, Joannem XVII. appellavit, cæteros hujus nominis eodem ordine numerando.

Baronius verò, ad annum 1003. alia via huic differentiæ occurrit. Nempe, quòd defuncto Silvestro II. in ejus locum subrogatus fuerit Joannes, cognomento *Siccus* reverà dicendus XVI.) ac dictus XVIII. cui, cum sedisset menses tantum quinque, & dies aliquot, successit alter Joannes, verè XVII, dictus autem XIX; sed Marianus Scotus ejusdem Sæculi Scriptor Joannem priorem appellavit XVII, subsequentem vero XVIII; at frequentiori usu obtinuit, ut hic posterior nominaretur XIX. at hoc præter omnem rationem, cum hoe numero ineludantur Schismatici Pseudo-Pontifices: Rectius tamen Hermannus Contractus, illum XVI. hunc vero XVII. (prætermisso illo Placentino, qui in schismate sedit contra Gregorium V.) appellat. Subinfert mox Baronius, si tamen ad evitandum in numero ejusdem nominis Pontificum confusionem, atque perplexitatem, quæ lectoribus molestiam posset afferre, non pro meritis singulorum, sed communi assertione, nullum interim præjudicium inferentem veritati, numerare duos Joannes hoc anno (nempe 1003) Pontifices, priorem XVIII. posteriorem XIX, quem tradunt fuisse *Fasanum*, ereatumque 12. Calendas Decembris.

Nos verò in Chronologia Basilicæ Sancti Pauli, in qua (exclusis omnino falsis quibusque Pontificibus) legitimi, & veri tantum erant recensendi, absque eo quod cogeremur numerum augere, post Joannem XV. & Gregorium V. atque Silvestrum II, prætermissis duobus, vel certò Schismaticis, vel omnino dubiis, enunciavimus subsequentes Joannes veris numeris signatos, cum additiune aliorum numerorum, quibus communiter appellari consueverunt: Ut JOANNES XVI. *dictus* XVII. JOANNES XVII. *dictus* XVIII. JOANNES XVIII. *dictus* XIX. JOANNES XIX. *dictus* XX. *ac etiam* XXI. JOANNES XXII. *dictus* XXIII. *&* XXIV.

V. Eàdem ex supradicta causa, nè videlicet legitimis Pontificibus adscriberentur Bullæ ab intrusis, & illegitimis datæ, error irrepsit in numero Nominum Pontificum, qui LEONES se appellarunt. Nam cum de anno Christi 963. intrusus fuisset ab Otthone I. Imperatore, tune Rege Germaniæ, quidam nefarius, & impiissimus homo Octavianus, hic se Leonem VIII. appellavit, seditque contra Joannem verum Papam hujus Nominis XII, a quo postea in Synodo Romana, habita anno sequenti, anathemate percussus est; Cum itaque Leo in pseudo-Synodo a se habita, aliquot Constitutiones edidisset ad favorem ipsius Otthonis, inter quas illam, quæ habetur apud Gratianum *Dist. 63. cap. 23. In Synodo &c.* quæ ab ipso Gratiano inconsideratè in Decretum relatæ fuerunt, de quibus Baronius ad Annum Christi 779. post num. 5. Nè igitur Constitutiones hujusmodi possent attribui vero, ac legitimo Pontifici, factum est, ut legitime electus Romanus Pontifex a. 1049. *Bruno* Episcopus Tullensis, assumpto Nomine LEONIS, non titulo Octavi, sed Noni appellatus est. Nos vero in nostra Chronologia, excluso hoc illegitimo Leone VIII. sic S. Leonem indicavimus. LEO VIII. dictus IX. & in sequentibus, LEO IX. dictus X, & LEO XI. reverà dicendus X.

VI. De SILVESTRIS minor occurrit difficultas, nam post Silvestrum II. nullus alius legitimus extitit hujus nominis Pontifex. Nam Silvester Tertius, quem nonnulli Chronologi, perperàm inter Benedictum IX, & Gregorium VI. collocant, cum fuerit illegitimus, omnino a recta Chronologia est rejeiendus. Certe scribit Hermannus Contractus, Scriptor eorum temporum, Benedictum IX. multis eriminibus insimulatum, Sede Apostolica à nonnullis Romanis Proceribus factionis Ptolomæorum, & in ejus Sedem Joannem Cardinalem Episcopum Sabinensem fuisse intrusum, qui Silvester III. nuncupatus fuit, occupavitque Cathedram mense uno, ac diebus 19. Nam Benedictus, annitentibus Tusculanis Proceribus, pristino statui est restitutus: hæc eadem refert Leo Ostiensis in Chronico Casinensi lib. 2. cap. 79. Sed, quamvis & ipse Benedictus intrusus fuisset, nihilominus, accedente Cleri Romani suffragio, le-

legitimus Pontifex fuit. Joannes verò, nullo modo a Clero Romano approbatus fuit: quare meritò a Chronologia excludendus, ut faciunt Baronius ad annum 1044, ac etiam Pagius in Breviario.

VII. Non parum implicatur Chronologia Pontificum Romanorum in BONIFACIIS. Post Formosum anno Christi 896. Sedem Apostolicam invasit Bonifacius quidam, qui appellatus est hujus nominis VI. At cum constet ex Canone III. Concilii Romani celebrati sub Joanne IX. hunc Bonifacium jam antea de Subdiaconatu, postmodum de Presbyteratu fuisse depositum, & populari manu in Sedem invectum per vim, Baronius ad annum 897. §. 1. aliique eum secuti, eum minime Romanos inter Pontifices enumerandum statuunt. Oldoinus in Addit. ad Ciacon. to. I. ait: *Multi tamen Bonifacium inter Romanos Pontifices nominant, & Bonifacium VI. vocant, ut Ciaconius supra, Panvinus in Epitaph. Rom. Pont., S. Antoninus, Joannes Bisdominus in Chronicis Senarum, & alii: nonnulli verò Baronii sententiæ adhærentes, illum ex Pontificum Albo expungunt, cum, Formoso, populi tantum violentiâ, successerit*. Et hanc intercessisse violentiam constat, ex verbis indicati Concilii Romani, ubi legitur, Bonifacium, *primùm de Subdiaconatu, postmodum de Presbyteratu depositum, manu populari, sublevatum*. Hunc inter Pontifices recenset Pagius in Breviario, quem sequitur Sandinus in Vitis Pontificum: Nos vero prætermittimus cum Baronio, & aliis, inter quos Pater Franciscus Carriere in sua Chronologia, in qua, ubi de Stephano VII. ad annum 897. relato, sic ait: *Sicque Bonifacius invasor Sedis pulsus est, qui eam tenuerat quindecim dies, non numerandus inter Pontifices, ait Spondanus, utpote homo nefarius bis gradu depositus, à Diaconatu primum, deinde a Presbyteratu, & demum a Joanne IX. in Romana Synodo, novem annis postbac damnatus*.

Inter BENEDICTUM VI. & VII. ad annum Christi 974. nonnulli referunt DONUM II. alii tamen Donum Benedicto præponunt, sed hæc nullius momenti est difficultas. Panvinus, & Baronius, Donum post Joannem XIII. ante Benedictum VI. sed inter utrumque Benedictum interferunt Bonifacium quemdam hominem scelestissimum, Nomine *Franconem*, Ferrutii filium, Cardinalem, qui manu violenta Benedictum VI. captum, in Carcere strangulari jussit, Sedemque Apostolicam invasit, eàque per annum, & mensem detentâ, per Benedictum VII. expulsus, & expoliatâ suis omnibus ornamentis Basilica Vaticana (Baron. ad annum Christi 985.) Constantinopolim aufugit. Itaque meritò a Romanorum Pontificum, tamquam nefarius, & sacrilegus Sedis Apostolicæ invasor exploditur, nam & sedente Joanne XIV, Constantinopoli reversus est, qui suorum factione potens, Pontificem denuo in Arcem S. Angeli, quæ tenebatur a suis, post quartum mensem, fame perire coegit, ac mortuum exposuit spectandum præ foribus Castelli; ipse vero, quarto post die, sacrilegus prædo repentina morte percussus est, ejusque cadaver cæsum, & lanceis confossum, nudum per pedes tractum, insepultum abjectum est, licèt eum quidam Clerici postea sepelierint.

Hominem itaque tam nefarium, & impium Invasorem Apostolicæ Sedis ab omnibus Chronologiis meritò excluditur a Chronologia Pontificum: hæc tamen fusius exponenda duximus, nam Leo Ostiensis lib. 2. Capite 4. Benedicto VI. immediate successisse Benedictum VII. tradit.

Exclusis itaque duobus hisce Bonifaciis a recta Chronologia Romanorum Pontificum, cum reverà Pseudo-Pontifices fuerint, sequitur, quod post Bonifacium V, qui sedit anno Christi 619. nullus alius legitime sederit usque ad ann. 1294, quo creatus est Pontifex, post S. Cœlestinum V., Benedictus Cajetanus, qui appellatus est *Bonifacius VIII.* revera tamen dicendus *VI.* Sicuti etiam alius Bonifacius post eum dictus IX. revera est appellandus VII. Nec est, quod eorum aliquis, per assumptionem numeri, errorem communem approbaverit, sed communem appellationem fuerit sequutus. Hinc in Epigraphe *Bonifacii VIII.* exprimitur *VI. dictus VIII.*

VIII. Classis est inter BENEDICTOS. Nonnulli inter dubios Pontifices reponunt Benedictum V, qui sedit anno Christi 964: eò quod, ut autumant, electus fuerit vivente adhuc Joanne XII: At hoc minime probari potest, nec per hoc a numero legitimorum Pontificum est expungendus: Nam, ut notat Baronius ad annum eumdem, Joannes decessit die decimatertia Maji, & paulo post, nempe circa diem 15. ejusdem mensis, electus est Benedictus V.: urgebat namque tam sollicitæ electionis necessitas, cum instaret Pseudopontifex dictus Leo VIII. diu antea, & violenter intrusus ab Ottone I. Imperatore, damnato, ut exauctorato impiè Joanne XII. in conventiculo Episcoporum: quicquid in oppositum

ſcripſerint Luitprandus, aliique Schiſmaticorum fautores: In hoc itaque rerum periculoſiſſimo ſtatu, neceſſe erat, ut Clerus Romanus ſollicite occurreret, nè apoſtaticus Leo, tamquam Pontifex legitimus acciperetur, ſed verus Pontifex crearetur, inconſulto ipſo Imperatore Schiſmatico: Defuncto igitur Joanne XII. legitimo Pontifice, ſtatim ad Electionem Benedicti V. proceſſit. Quare immerito inter dubios Pontifices recenſetur Benedictus V. Adam Canonicus Bremenſis (teſte Baronio in Annal. ad ann. Chriſti 965.) verus Chronographus teſtatur, Benedictum virum fuiſſe ſanctum, & dignum Sede Apoſtolica, atque ab Hamburgenſi Epiſcopo (cui ducendus in Germaniam traditus fuerat ab Otthone) in magno honore detentum: Cum vero Romani ab Imperatore poſtulaſſent ſibi reſtitui Benedictum legitimum verum Pontificem, & jam Ottho ipſe poſtulata conceſſiſſet, ipſe Benedictus Hamburgi in pace quievit. Sed ejuſdem oſſa, ſub Otthone III. hujus Otthonis Nepote, ejuſque juſſu, per Epiſcopum Bremenſem, Romam tranſlata eſſe, auctor eſt Ditmarus, ut planè, licèt ſerò, cognitus fuerit Eccleſiæ Romanæ Pontifex verus, ac legitime electus.

Poſt Benedictum IX, qui ſedit ab anno Chriſti 1033, & abſque controverſia ut legitimus habitus eſt Pontifex (quamvis intruſus, tamen, accedente Romani Cleri ſuffragio, legitimus habitus eſt Pontifex ultra annos 11.) non legitur alter Benedictus ſub titulo X. hujus nominis Pontifex, niſi poſt Bonifacium VIII. ubi notatur Benedictus X. dictus XI. qui ex Ordine Prædicatorum electus eſt Pontifex anno 1303. nulla facta mentione de Joanne Mincio, qui ab aliquibus inter legitimos Pontifices enumeratur, ſub nomine Benedicti X, cum hic neque a Baronio, neque ab aliis inter legitimos Petri Succeſſores recenſeatur, quamvis Platina, & nonnulli illum in Seriem Pontificum retulerint. Hujus cauſam patrocinatur Clariſs. Vir, & Archiepiſcopus Firmanus Alexander Borgia in ſua eruditiſsima Hiſtoria Civitatis, & Eccleſiæ Velitrenſis, (cujus antea Joannes Epiſcopus fuerat) *lib.* 3. *à pag.* 171. *uſque ad* 180. Non inficiatur tamen Illuſtriſsimus Præſul, vitio, violentia ac præpotentia Comitum Tuſculanorum ſuæ Familiæ, fuiſſe in Sedem Apoſtolicam peractam ejuſdem Intruſionem, ac nullam proinde extitiſſe electionem, ut ſuſe deſcripſit Leo Oſtienſis (qui floruit anno Chriſti 1000) in ſuo Chronico Caſinenſi, lib. 2. cap. 101. e 102. Ibi namque legitur, (ut etiam explicatur a Baronio ad annum 1058.) quòd Stephanus X. ex Urbe recedens, cum Florentiam procederet, univerſum Clerum, populumque Romanum, ſub diſtricti anathematis excommunicatione conteſtatus eſt, ut ſi prius ipſum mors contingeret, quàm Hildebrandus Romanæ Eccleſiæ, tum adhuc Subiaconum, qui communi omnium conſilio, pro quibuſdam Reipublicæ negotiis ad Imperatorem in Germaniam mittebatur, Romam rediret, nullum omnino Pontificem eligere auderent, ſed uſque ad reditum illius Sedes Apoſtolica ſineretur vacare, ejus, demum ordinanda conſilio: Profectus vero in Tuſciam Stephanus, contigit ejus obitus Florentiæ 4. Calendas Aprilis ejuſdem anni 1058. Tamen ubi audita eſt illius mors, factiones, quæ aliquando conticuerant metu Imperatoris repreſſæ, inbiantes rurſus Apoſtolicæ Sedis Invaſioni, ſive eſſent ex Comitibus Tuſculanis, ſive Ptolæmeorum, Gregoriorum, aut Creſcentiorum familiis, aliiſque, armis, divitiiſque potentibus, into unà conſilio, nocte, per vim Eccleſiam invadentes, Joannem Veliternenſem Epiſcopum Papam conſtituerunt, Benedicti illi nomine impoſito, ejuſdemque per Eccleſiæ Oſtienſis Archipresbyterum, eàdem violentia coactum, conſecrari (*ſeu meliùs dicendum, Benedici, erat enim Epiſcopus*) fecerunt; cum interim, qui tunc erant Romæ, Petrus Damiani Epiſcopus Oſtienſis, aliique ejus Collegæ Cardinales, hoc deteſtantes, atque anathematizantes, per diverſa latibula fugere coacti eſſent. Hæc ex Leone Oſtienſi illorum temporum, vel paucos poſt annos, Scriptor.

Quamvis verò hæc intruſio nullius roboris fuerit, ut de ſe patet, alii verò contendunt, electionem fuiſſe roboratam, per Obedientiam eidem præſtitam, ac per novem menſium ſpatium productam ab Eccleſia, Cl. Vir Archiepiſcopus Firmanus, etiam auctoritate Cardinalis Nicolai de Aragonia, in Vitis Pontificum Romanorum, qui, poſt narratam violentem Joannis intruſionem, ita ſubſequitur: *Tamen, ut in aliis Chronicis epertè, & clarè habetur, ei obeditum fuit novem menſibus*: Mox indicat, plures Catalogos enumerare illum inter Pontifices, ac ſediſſe memoratos menſes novem, idque probari quoque, eo quod Nicolaus Boccaſinus ex Ordine Prædicatorum aſſumptus an. 1303. appellari ſe fecerit Benedictum XI. Prætera ſtatuit, Epiſtolam S. Petri Damiani ſcriptam ad Henricum Ravennatenſem Archie-

chiepiscopum, quam Baronius ad ann. 1058. refert, & quæ in ea leguntur dedecoris Pseudopontificis, pertinere non ad Joannem, sed ad Cadaolum Episcopum Parmensem, electum in Schismate contra Alexandrum legitimum Pontificem, nam in ea nulla mentio fit neque Joannis, neque Cadaoli Pseudopontificum, nec Nicolai, neque Alexandri legitimorum Pontificum: nec eamdem Epistolam recenseri inter Epistolas S. Petri Damiani genuinas, diligenti studio collectas ab eruditissimo P. D. Constantino Cajetano, ab eoque dispositas in ejusdem S. Petri editione, eamque apposuit lib. 3. Ep. 4. Nam in illa Pseudopontifex describitur homo prorsus stolidus, desidiosus, & nullius ingenii, prorsusque litterarum expers.

Attentis nihilominus hujusmodi oppositionibus, Joannem, seu Benedictum Decimum hunc enumerandum minime duximus, cum veris, legitimisque Romanis Pontificibus, vestigia calcantes Baronii, Pagii, Francisci Carrier, Antonii Sandini, & aliorum Scriptorum, & qui tamquam Pseudopontificem illum à Chronologia rejecerunt: Nam per Obedientiam illi præstitam, instauratam fuisse nullitatem ejus Intrusionis, nullo modo probari potest: Hæc enim Obedientia exhibita illi fuit, non ab Ecclesia, sed tantummodo à suis Factionariis, nam potior, ac excellentior, ac dignior pars Ecclesiæ Romanæ, nempe Cardinales, ut patet ex supradictis, timore adacti, factum detestantes, & anathematizantes, per diversa latifunda fugere coacti fuerunt; & post Hildebrandi reditum ex Germania, Senas convenerunt ad creandum verum, ac legitimum Pontificem: ex quo clarè patet, eosdem Cardinales, nunquam toto illius temporis spatio, consensisse in electionem Joannis: nam si aliquando consentissent, eique obedientiam præstitissent, nunquam ad electionem alterius Pontificis devenire potuissent, & electio Nicolai II. nulla extitisset.

Apparet etiam ex eo, quod, electus Nicolaus traditur Concilium Sutrii statim convocasse, ad Joannis causam exeutiendam, ad quod convenerunt non solum Episcopi Tusciæ, sed & Longobardiæ, à quibus omnibus cum exagitata fuisset ipsius Joannis Causa, nulla reperta fuit ejus intrusio, & tamquam Sedis Apostolicæ invasor damnatus, & exauctoratus fuit.

In favorem tamen Joannis, refert laudatus Borgia pag. 178. nonnullos tradere, quòd Joannes, audità convocatione Concilii Sutrini, tamquam Pacis, & Unitatis Ecclesiæ amator, deposuerit ornamenta Pontificalia, seseque in patriam, nempe Velitras, receperit, adeoque revera ipsum renunciasse. At, cum Concilium actum fuerit mense Januarii sequentis anni 1059. nec constet Joannem deposuisse Pontificalia ante sententiam exauthorationis per ipsum prolatam de damnatione illius, sed tantum fertur se in patriam recepisse, die 24. ejusdem mensis, quo jam erat absolutum Concilium, constat, non sponte Pontificalia deposuisse ornamenta. Neque id probatur asserendo, Joannem ipsum, postquam Nicolaus II. Romam se contulisset, iterum ad Urbem accessisse, veniam a Pontifice petiturum. Sed quamvis namque pœnitens exceptus, tamen admissus est tantum ad Laicam Communionem, quæ Presbyteris, & laicis in pœnam graviorum criminum imponebatur, itaut neque Missam celebrare, neque cum Clericis communicare possent. Cum itaque Joannes neque Veliternensi suæ Sedi postea fuerit restitutus, immo nec ad Clericalia munera admissus, congruum est credere, non ultrò usurpatæ dignitati illum cessisse: cum jam cognovisset peractam fuisse Electionem Nicolai II. accedente etiam voluntate, & approbatione Imperiali.

Sed nec unquam probari potest, legitimam fuisse intrusionem Joannis, ejusque Sedem, eo quod peracta fuerit *à Ducibus Romanis*, cum, de eo tempore, convenire soleret & populus in electione Pontificis, & interesse, atque approbare: nam quamvis conveniret, non juris erat populi, nisi consensus, & approbatio electi per Cardinales, & Clerum: Quod, data occasione hujus Schismatis, idem Nicolaus II. postquam Romam accessit, eodem ipso anno, convocato alio Concilio, hoc expresse declaravit speciali Decreto, relato à Baronio anno prædicto §. 15, & à Labb. to. 9. Concil. pag. 1013. & à Gratiano Dist. 23. cap. *In nomine Domini*, ubi legitur; de Electione Papæ: *In primis Cardinales Episcopi diligentissime simul de Electione tractantes, mox ipsi Clericos Cardinales adhibeant, sicque reliquus Clerus, & Populus in consensum novæ electionis accedat*: Cum itaque in Inthronizatione Joannis, nec Cardinales Episcopi, nec Clerici Cardinales, sed tantum Duces Romani laici interfuerint, vitiatam omnino extitisse probatur electionem, seu Intrusionem, nec unquam ullo modo postea, per obedientiam non à Cardinalibus præstitam, pro legitima habendam esse ejus per novem menses Sedem, ac propterea meritò excludendum tam-

tamquam Schifmaticum à Chronologia Romanorum Pontificum.

Nullius quoque roboris est, quòd electus in Summum Pontificem Nicolaus Boccafinus, ex familia Fratrum Prædicatorum, fanctitate non minus, quam eruditione confpicuus, anno 1303. affumpto *Benedicti* Nomine appellatus fuerit XI. Cum enim ab Intrufione Joannis, five Benedicti X, ultra duo fæcula præteriffent, & jam ex pluribus Catalogis perperam fuiffet annumeratus inter Pontifices Benedictus X, accidit ut, innocenti errore, Nicolaus legitimus Pontifex fuerit appellatus Benedictus XI, fed incaute omninò. Id porrò accidit in Electione fa. me. Benedicti PP. XIII. Cum enim innumero populo ejus Electio fuit enunciata e Conclavis feneftra fupra januam majorem Bafilicæ Vaticanæ, ut moris eft, à Cardinali primo Diacono, loco Benedicti XIII. pronunciatus eft Benedictus XIV. quo numero complectebatur etiam Petrus de Luna, qui pfeudo-Pontifex appellatus fuit Benedictus XIII. Qui error tamen cognitus paulo poft emendatus eft, per veram nuncupationem *Benedicti XIII*, quamvis reverà juftè appellandus effet (exclufo Benedicto X.) Benedictus XII; ficque, cum ab anno 1740. creatus fuiffet Pontifex Maximus Profper Lambertinus Cardinalis Epifcopus Bononienfis, affumpto nomine Benedicti, numerum XIV. implevit, qui fumma eruditione, ac pietate Clariffimus fapientiffimè Romanam Ecclefiam regit, diuque in commune totius Reipublicæ Chriftianæ bonum feliciter fedeat.

Tandem ficuti nullius momenti eft auctoritas, qua utuntur nonnulli ad recenfendum in numerum Romanorum Pontificum Leonem VIII, (qui peffimus extitit inter alios invafores Apoftolicæ Sedis) ita falluntur, qui Benedictum X. non effe rejiciendum a Chronologia, eò quod, Benedictus, qui poft eum fecutus eft, Vir planè fanctus fe appellari permiferit hujus nominis XI.

Cum tandem hoc Capite de Nominibus Romanorum Pontificum abundè egerimus, vifum eft, aliquid effe dicendum de fabulofo quodam CYRIACO à quibufdam memorato in Actis SS. Urfulæ, ac Sociarum ejus VV. & MM. & præcipuè à variis Scriptoribus eorundem Actuum, relatis a Baronio in Notis ad 21. Octobris, ubi de Sancta Urfula, qui omnes addunt de quodam Romano Pontifice Cyriaco nomine, qui cum Romam acceffiffent prædictæ Virgines, abdicato Pontificatu, fe comitem illis tradit itineris, habita prius Revelatione, quòd illarum foret focius Martyrii. At Clariffimus Baronius To. 1. Annalium, ad annum Chrifti Chrifti 237. pluribus argumentis, id omnino falfum, & alienum à veritate demonftrat. Hoc quoque clariffime probat, *Hermannus Flefen. S. Cuniberti, atque ipforum SS. Virginum Coloniæ Canonicus, in Hiftoria SS. Urfulæ, & Sociarum*, à Fr. Zacharia Lipelloo Chartufiano relata poft 4. Tomum Vitarum Sanctorum, edit. Coloniæ Agrippinæ anno 1596. Ad explodendam itaque hanc fabulam, fufficiat hic afferre fententiam prælaudati Baronii ad prædictum annum 237. *Non audiendi* (ait) *penitus recentiores quidam, qui, poft Pontianum, introducunt Cyriacum quemdam Romanum Pontificem, cujus nulla prorfus extat mentio in ferie Romanorum Pontificum à Latinis defcripta, ut in libro de Romanis Pontificibus, vel apud Optatum Milevitanum, vel Auguftinum, vel Crefconium, aliofve Indices Vaticanos; nec apud Græcos, ut Eufebium, Nicephorum, Chronographicum, vel alios: adeo ut nec quidem digna fit, quod pluribus confutetur fententia, quippe quæ nulla penitus nituntur ratione, vel teftimonio antiquorum, ex Commentitiis tantum Actis illius Martyrii S. Urfulæ, & Sociarum, quæ in noftris annotationibus refervavimus.*

Et hoc quidem magis aftruitur documento noftræ Chronologiæ in Bafilica Sancti Pauli, in qua neque inter Pontianum, & Anterum, (nec alibi) apparet ifte fabulofus Cyriacus.

CA-

CAPUT IX.

De diversa specie Vestimentorum, seu Ornamentorum Pontificalium, juxta rationem temporum adhibita in hac serie Romanorum Pontificum: & primò de PALLIO *(ut dicitur)* PHILOSOPHICO, *quo exornatæ conspiciuntur Imagines Sæculo V. depictæ in pariete Australi hujus Basilicæ S. Pauli.*

IMagines Pontificum à S. Petro usque ad Innocentium I. superstites in Australi pariete Basilicæ S. Pauli, Sæculo V. Leoniano depictæ, præter amplam in vertice capitis Clericalem coronam, nullo alio ornamento decorantur, nisi *Pallio*, (ut ajunt) *Philosophico*, Tunicæ injecto, quod ab humero dextero in inferiorem partem defluit, atque circum scapulas ductum, ab humero sinistro expansum, latiùs pectoris partem protegit, intra quod etiam brachia, manusque continentur: Ejus verò Pallii extensio, & amplitudo usque ad inferiores partes, minimè videri possunt, cum in Circulo, seu clypeo ipsæ Imagines pictæ sint, & pectore tenus tantùm emineant.

In hisce XLII. instaurandis, aliisque reliquis usque ad Symmachum, quæ in pariete Boreali averso in totum perierant, ac postea restitutæ sunt in pariete occidentali Soli opposito, cur servata omninò fit hujusmodi Pallii forma; & quanta mentis amplitudine, & eruditione, ad servandam antiquitatem, id imperatum fuerit a SS. D. N. BENEDICTO PAPA XIV. rei antiquariæ Cultore eximio, ut videlicet, superinductis tantum novis coloribus, quantum fieri potuisset, effigies prototypis suis similes restituerentur omnino, hoc capite est explicandum. At primo loco hujus moris pingendi, videlicet Palliatas Imagines hujusmodi, altius nobis est educenda causa, ea origine, acceptione, & vario usu Pallii Philosophici etiam apud priscos Christianos.

Tertullianus Tertii Sæculi Scriptor disertissimus, cum Pallium, more Christianorum, suscepisset, utpote qui severiorem vitæ verè Philosophantium, amplexus esset, atque, ob hoc, popularium repræhensionem incurrisset, librum egregium *De Pallio* in ejusdem vestimenti laudem conscripsit. Hoc cæteris indumentis nobilibus fuisse ostendit, excogitatum quidem à Græcis, Philosophiam, & animi cultum, ac vivendi rationem haud vulgarem profitentibus: Ex his, ad alias nationes quoque translatum, ac subinde ad Christianos, qui veræ sapientiæ se esse sectatores profiterentur; itaut, ex hoc honestissimo paludamento, primo aspectu, dignoscerentur: ac proinde apud Gentiles usurpari consuevisse illud Adagium *De Toga ad Pallium*, cum quis à Gentilismo, Christianam fidem amplecteretur. Formam vero Pallii ita describit: *Pallii extrinsecus habitus, & ipse quadrangulus, ab utroque latere regestus, & cervicibus circumstructus in fibulæ morsu, humeris adquiescebat.* Mox agens de differentia inter Togam, & Pallium, post explicata incommoda Togæ, subdit: *At pallio nihil expeditius, etiamsi duplex, quod crateris more, nusquam vestiendo componitur quippe tota molitiæ ejus aperire est solutim, id est, uno circumjectu, humerum velam exponit, vel includit cætero, qua in humerum adhæret, nihil circumfulsit, nihil circumstringit, nihil de tabularum fide laborat, facile se se regit, facile reficit, etiam cum deponitur.*

Verùm hæc forma Pallii, quæ describitur a Tertulliano, Pallii est tantum communis, & vulgaris: Nam Octavius Ferrarius in egregio suo opere; *De re Vestiaria lib. 1. cap. 4.* distinguit Pallium, quod erat vulgare, à Pallio, quod erat propriè Philosophicum: inter utrumque tamen non aliud discrimen fuisse observat, quàm, quod *Vulgare* erat quadratum, & ea duabus partibus consutum, & fibula in humeris nectebatur: Philosophicum verò, fusius, & semirotundum, ad instar nostri, quod nempe & rejici in humerum poterat, & duplicari, totumque Corpus involvere, atque eidem opus fibulà non fuisse; alioquin rejici, nec duplicari potuisset: Vulgare autem Pallium, ac quadratum, quod infibularetur, nec rejiciebatur in humerum, nec duplicabatur. Cum ergo Tertullianus in Pallii descriptione, & quadrangularis formæ, ac fibulæ meminerit, constat eum de Pallio tantum vulgari, non de Pallio vere, & proprie Philo-

losophico locutum fuisse, quamvis & illud ita ad hujus formam accederet, ut etiam Philosophicum appellaretur. Ferrarius idem *par. 2. lib. 4.* per singula capita, summa eruditione, explicat quicquid hoc super argumento desiderari possit: & in Analectis agit de varietate Palliorum apud Asiaticos, Judæos, cæterosque Orientales.

Clariss. Vir Baronius ad A. C. 197., (nondum forsam perceptà hac distinctione utriusque Pallii, nempe vulgaris & communis, & verè, ac proprie Philosophici) in eam sententiam se adduci profitetur, ut opinatus fuerit, inter Christianos, non omnes, sed perpaucos Pallium induisse; illos nempe, qui arctius vitæ genus amplecterentur, & eminentioris Philosophiæ cultum profiterentur: nimirum, ut, sicuti eo habitu inter Gentiles eminerent Philosophi, ita inter Christianos effulgerent, qui arctioris vitæ vinculis, & Monachismo se se mancipassent: idque probare nititur testimonio S. Hieronymi in Epistola ad Furiam, & Marcellam, Origenis, Eusebii, Silviani, & Patrum Concilii Grangrensis, qui cap. x. manifeste distinguunt Pallium a communi Christianorum veste, docentque Pallio uti consuevisse sanctioris propositi viros. At admissa distinctione, ac diversitate Palliorum, utraque sententia subsistere poterit, ut videlicet pallio Communi, & vulgari cæteri uterentur Christiani, Philosophico autem vero, ac proprio, qui arctioris propositi amplecterentur Instituta.

Appositè quidem Card. Baronius ad A. C. 57. censet, Christianos, sicuti à Judæis hominibus, nempe ab Apostolis, ad pietatem essent instituti, ita etiam ab eisdem potius, quàm à Græcis Philosophis, indumenti formam, id est Pallium, fuisse mutuatos, iis tamen rejectis, quæ ad antiquæ legis cæremonias spectare viderentur.

Constat namque, & hoc Pallii indumento usos fuisse Judæos, ex præcepto Dei (*Num. c. x1. v. 18.*) *Loquere ad filios Israel, & dices ad eos, faciant sibi fimbrias per angulos palliorum, ponentes in eis victas hycinthinas*: & alibi passim, per sacras paginas, de Pallio fit mentio. Hinc meritò suspicari possumus, Gentiles Philosophos Pallii usum, & formam à sacris litteris didicisse, & tamquam honestius indumentum, ad se transferre potuisse. Apertissime namque probat C.V. Huetius Episcopus in suo insigni Opere tit. *Demonstratio Evangelica*, *Propos.* 4. nempe Gentiles plurima ex libris Moysis suffuratos fuisse, & ad se, in suumque usum transtulisse.

Sed & apud Judæos quoque duplicis Pallii formam extitisse dicendum est, nempe communis, & vulgaris, quo cæteri uterentur, atque specialis, per quod studiosiores legis Domini, & severioris vitæ professores discernerentur. De communi pallio, quadrato utique, habet cap. 22. Deuteronomii v. 12. *Funiculos in fimbriis facies per 4. angulos pallii tui*. Pallio quoque usos fuisse speciali Prophetas, à quo inter cæteros dignoscebantur, educitur: Cum enim Pythonissa mulier, instante Saule, formam Samuelis suscitasset, & ab ea Rex sciscitatus esset, cujus esset formæ, ait illa: (*1. Reg. cap. 28. v. 14.*) *Vir senex ascendit, & ipse amictus pallio: & intellexit Saul, quod Samuel esset*: Si namque Pallium commune, & cuique congruum fuisset, non tam facile Saul percipere poterat formam esse Samuelis. Præterea amplitudinem Pallii Ahiæ Prophetæ (3. Reg. c. 11. v. 30.) describit Textus Sacer hoc modo: *Apprehendensque Ahias pallium suum novum, quo coopertus erat, scidit in duodecim partes*: De Pallio quoque Eliæ frequens fit mentio in lib. eodem *c. 19. v. 13. & lib. seq. cap. 22. & alibi*: ac tandem Esdram Sacerdotem, & legis Domini interpretem, cum audisset legis transgressiones, scidisse pallium suum, & Tunicam, testatur ipsemet (*Esd. lib. 1. c. 9.*)

Inter alios legis Domini, & severioris vitæ professores, effulsit Secta Pharisæorum. (Pharisæus namque hebraicè *Segregatum*, atque etiam *declaratorem* sonat) Hi omneque separatè ab Israelitis viventes, sanctiorem vitam profitebantur, ac legem Domini populo declarabant, de quibus Josephus *lib. 3. Antiquitatum cap. 8.* ait: *Viguit in Judæa secta quædam, & factio quorundam hominum, qui propter religiosum vivendi modum, quem observabant, tantæ erat apud plebejos authoritatis, ut quid quid ad Divinum cultum, & solemnes precationes spectaret, juxta eorum responsa, & interpretationem fieret. Immo Pontifex Hircanus, alioquin populo suo gratissimus, inde cæpit populo suo displicere, quod ipse, & frater ejus Pharisæis infesti essent. Tanta est eorum authoritas apud populum, ut etiamsi Regi obloquerentur, aut Pontifici, fidem tamen in eis vulgus haberet*. Hæc secta, ut tradit S. Epiphanius de Hæresibus, sui initio, rectis quidem principiis constituta fuit, sed temporis progressu in multa Vitia, & errores, & in hypocrisim prolapsa est, quæ publicè Christus Dominus execratus fuit, ut legitur. *Matth. cap. 23.* & de eis idem

Jo-

Josephus *lib.* 17. *cap.* 3. scripsit: *Genus hominum astatum, arrogans, & interdum Regibus infestum, ut & jam eos impugnare non vereantur*.

Quòd autem Pallio amicti procederent Pharisæi haud obscure habetur, cum Dominus illis exprobraverit (*Matth. cap.* 23. *v.* 5.) dicens: *Dilatant enim Philacteria sua & magnificant fimbrias*: fimbrias videlicet palliis appositas, ampliores portantes, ut majori in veneratione ab hominibus haberentur. Pernecesse igitur est, pallium Pharisæorum,& legis doctorum diversum fuisse a pallio communi cœterorum hebræorum, qui sanctiorem vitam, & singulare Institutum minime profitebantur.

At si Pharisæi, & Magistri, legisque Mosaicæ Doctores Pallio fimbriato utebantur, æquum est credere, & eo ipso usum fuisse Dominum nostrum Christum, qui communiter titulo *Rabbi*, hoc est *Magistri*, etiam ab ipsis Judæis, ac Pharisæis appellari consuevit: (*Jo. cap.* 13. *v.* 13. *& alibi*. De fimbriis ejusdem vestimenti, utique ab humeris ad talos usque defluentis testimonium habetur *Matth. cap.* 9. ubi de muliere, quæ sanguinis fluxum patiebatur, dicente intra se: *si tetigero fimbriam tantum vestimenti ejus salva ero: & accessit retro, & tergit fimbrias vestimenti ejus: & salva facta est mulier ex illa hora*.

Quot fuerint Christi Domini vestes haud clarè explicatur in Evangelio; sed ut, ex S. Eutymio, observat Cornel. à Lapide *in Matt. in c.* 27. *v.* 16. ubi milites, cum eum Crucifixissent, scidisse traduntur vestes ejus in 4 partes, integrà relicta veste inconsutili: hinc tria fuisse putantur Domini Vestimenta; primam quidem Vestem fuisse ad instar *Indusii*, seu *interulæ*, quæ ad carnem adhibetur: alteram fuisse Inconsutilem, quæ interulæ superponebatur, & *Tunica* appellabatur: Tertiam vero & extimam, *quæ totum* hominem contegebat, & honorifice exornabat, videlicet *Pallium* suis fimbriis exornatum. Immo, & sub nomine Vestimenti Dominici,Pallii formam acceptam fuisse observat idem à Lapide *in cap.* 13. *Jo. v.* 4. ubi legitur: *surgit à Cœna, & posuit Vestimenta sua*: cum hoc minime referri possit ad Interulam, neque ad Tunicam Inconsutilem, alioquin Corpus indecenter nudatum remansisset, *necesse esse id intelligi de Vestimento extimo, videlicet de Pallio*.

Itaque, juxta Legis superius explicatæ præscriptum, & consuetudinem, Magistrorum in Israel, atque sapientiorum, qui legem declarabant, sanctioremque vitam profitebantur, ac etiam juxta traditiones Ecclesiæ (quas mox indicabimus) negari non potest, & Christum Dominum, hoc honestissimo, atque decoro indumento, Pallio videlicet fimbriato, dum in humanis ageret, usum fuisse: ac propterea, id laudi ejusdem Pallii vertendum, quod de Pallio scripsit Tertullianus: *Gaude Pallium, & exulta: melior jam te Philosophia dignata est, ex quo Christianum* (immo & Christum ipsum) *Vestire cœpisti*.

Sed non tantum Christum Dominum, immo & Apostolos, postquam sequuti sunt Dominum Redemptorem, hoc Indumento usos fuisse, non obscurè, ex textu Evangelii educitur; nam, cum præceperit eis Dominus, nè duas tunicas haberent, in regula tamen Institutionis eorum (*Matt. c.* 5. *v.* 40.) sic ad eos loquutus est: *Et ei, qui vult tecum Judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium*. Unde videtur, ultra tunicam unam, & pallium eos habuisse. Sed quoad usum Pallii in Christo, atque discipulis ejus, admodum inhærendum esse videtur traditioni Ecclesiæ Catholicæ, quæ tum Domini, tum Apostolorum ejus Imagines, palliatas utique exponere consuevit ab initio, ac per subsequentes ætates.

Et quoad eas, quæ Christum Dominum repræsentant, testatur Eusebius Cesareensis Episcopus (*Hist. Eccl. lib.* 7. *cap.* 14. se Statuam æneam vidisse Cæsareæ Philippi, eidem Salvatori erectam ab Hemorrhissa, postquam, tactu fimbriæ vestimenti ejus, sanata fuit, in cujus basi peregrina quædam, & insolitæ herbæ species enascebatur, quæ quidem ubi ad ænei Vestimenti fimbriam excrevisset, morbis cujuscumque generis medicandi virtutem, & facultatem habebat: Ita etiam de ea *Sozomenus Hist. lib.* 5. *cap.* 20. (quam quidem Statuam impie dejecit, atque contrivit Julianus Apostata) De illa quoque *Nicephorus Callistus lib.* 6. *cap.* 15. Et hi omnes Græci Scriptores, decenter ornatam fuisse, & gravitate, vestitu ad talos usque demisso, *diploide* amictum describunt: quo super verbo *diploide*, laudatus Ferrarius *lib.* 4. *pag.* 903. *in Edit. apud Grævium, to.* 6.) sic ait: *Diplois pro Pallio usurpatur, ut Eusebius lib.* 7. *cap.* 14. *de statua Christi Domini, & Hemorrhissæ*: Nec dubium est, hanc mulierem, statim, post beneficium acceptum, statuam æneam illi erexisse præ foribus domus suæ, in Paneade Urbe, postea Cæsarea Philippi appellata, prope quam, æneam quoque aliam fuimet sta-

ftatuam poft pedes ejus provolutam, & fimbriam veftimenti ejus attingentem, efformari voluit.

At de ufu Pallii, quoad Chriftum Dominum, & Apoftolos, nullum majus teftimonium haberi poteft, quàm certiffima, & nunquam intermiffa Traditio Ecclefiæ Catholicæ, tum Græcæ, tum Latinæ, quæ fere femper eorum Imagines Palliatas pingere confuevit, & fidelium venerationi exhibere. Eufebius namque memoratus, poftquam de fupradicta Chrifti, & hemorrhiffæ ftatua egiffet, ftatim fubdit: *Nec plane mirum, eos, qui ex Gentilibus pregnati, à Salvatore, dum inter homines vivebat, beneficiis affecti fuiffent, ita effeciffe; cum & nos Petri, & Pauli, & Chrifti etiam ipfius Imagines in picturis colorum varietate expreffas, confervatafque afpexerimus. Id propterea, ficut verifimile eft, quod majores noftri ad gentilis confuetudinis fimilitudinem quàm proxime accedentes, eos, qui tamquam fervatores illis fuiffent, id eft, qui illis aliquid falutis, & fubfidii attuliffent, apud fe honore ad hunc modum afficere confueverunt.*

Hoc maxime quoque probatur ex hiftoria Imaginis Acheropitæ, quam in linteo faciei fuæ admoto divinitus impreffam tranfmifit Abagaro Regi Edeffæ: qui ipfum D. videre cupiens, pictorem Hierofolymam direxerat, ut eum Prædicantem coloribus exprimeret: quæ hiftoria, ut genuina, & vera approbata fuit à Patribus Concilii Nicæni II. à Stephano PP. in Concilio Romano, & ab Hadriano I. in fua ad Carolum Magnum Epiftola, ut refert Baronius ad annum Chrifti 31. num. 23. & 944. & alibi.

Antiquiffimæ igitur Tabulæ, græcè depictæ, fi quæ fuperftites adfunt, Imagines Chrifti, & Apoftolorum exhibent pallio utique amictas, quas inter cenferi debet, quæ in Vaticana Bafilica fervatur, & quam Conftantino Imperatori oftendiffe traditur S. Silvefter. In ea namque tum Chrifti, pectore tenus, tum & Principum Apoftolorum Petri, & Pauli Imagines pallio tunicæ injecto refulgent. In Noftro opere hiftorico Ven. Sacelli ad Sancta Sanctorum de Urbe apud Lateranum, plura hoc fuper argumento, a cap. 33. ac per fubfequentia, congeffimus, ac præcipue pag. 205. Chrifti Domini effigiem opere Encauftico in ære elaboratam, altitudinis palmorum trium protulimus, quæ fervatur in Mufeo Kircheriano Collegii Romani Soc. Jefu, quam Bonannius, in fuo Mufeo, Cap. 2. ad ætatem Conftantini refert: & hæc pallio fupra tunicam, defluente ad inferiora corporis, amicta confpicitur: alia plura etiam pag. 228. indicavimus Græcorum Imperatorum numifmata, Imaginibus Salvatoris ipfius palliatis utique infignita, cum hoc lemmate IC XC, circum verò IHS XRS REX REGNANTIUM.

Ex Ecclefia itaque Græca in Latinam dimanavit hæc traditio, & confuetudo pingendi Chriftum, & Apoftolos Pallio amictos. Antiquiora namque monumenta, quæ nobis fuperfunt id aperte demonftrant: Duo tantum (quòd fciam) Chrifti Imagines Romæ in Lateranenfi Bafilica extant, opere mufivo elaboratæ, altera, quæ populo Romano apparuit in Confecratione ipfius Bafilicæ, a Sancto Silveftro peracta, & inter tot incendia, & ruinas, non fine prodigio, fervata, ac a Nicolao PP. III. in abfida reftituta: altera verò, quæ in fronte ejufdem Bafilicæ erat, nunc vero in novæ porticus conftructione, in medio tympani fuperioris eft collocata: Utraque vero pallio fupra tunicam injecto clare refulget. Sed Conftantino antiquiora documenta non defunt in vetuftiffimis facris Martyrum Urbis Coemeteriis, in quibus fuperfunt adhuc pictæ Imaginis Chrifti, & Apoftolorum pallio decoratæ, ut videre eft in Operibus Romæ Subterraneæ Bofii, & Aringhii, præter non nullas alias, quæ noftris temporibus repertæ funt; quas graphyce delineatas protulimus in notis ad Acta Sancti Victorini Epifcopi Amiternenfis, & Martyris.

At fi quid dubii occurrat, hujufmodi Imagines delineatas fuiffe non primis illis, fed pofterioribus fæculis, aliæ nobis in promptu funt, quas dubitare Ratio non finit, elaboratas fuiffe temporibus, in quibus urgebant Perfecutionum procellæ. Sepulchris namque plurimorum Martyrum fæpe affixa reperiuntur vitra quædam ex duabus tabulis compacta, quas inter, in folio auri extenfo, acutiffimo ftylo artificiofe delineatæ Imagines Chrifti, atque Apoftolorum confpiciuntur: quæ vitra, in parte poftica, refperfa fanguine recenti eorumdem Martyrum, extra ipfa fepulchra affixa, atque calce firmata fuere à primævis illis fidelibus in fignum eorumdem martyrii. Horum plura videas apud predictos Romæ Subterraneæ auctores, fed maxime apud cl. me. Canonicum Buldethum in Opere de Coemeteriis lib. 1. per totum caput 39. Quare negari ullatenus poteft, hujufmodi Imagines, tempora Perfecutionum referre. Hunc morem

rem servatum fuisse per posteriores ætates, & usque ad XIII. sæculum, videas in Musivis Basilicarum Urbis, seu ipsarum Absidis, quas Imagines ære sculptas profert C. V. Ciampinius in suis libris *De ædificiis Constantini Magni, atque Veterum monimentorum*.

Hunc tandem morem adhuc servari, atque probari ab Ecclesia, nostris, etiam temporibus cernimus. In exemplaribus namque utriusque Testamenti (approbantis à Sacro Concilio Tridentino) tum Gothico, tum Communi charactere impressis, ad singula fere Capita Evangeliorum ære Sculptæ visuntur Imagines Christi, & Apostolorum ejus nullo alio ornamento decoratæ, quàm Pallio, ad formam utique Philosophici, ab utroque humero defluente, & tunicæ injecto, ex parte tamen dexteri lateris, plerumque Dominus manum, & brachium exerit, sive prædicantis, vel miraculum aliquod agentis more.

Hæc quidem, fusius forsan, quàm oportebat, non verò frustra, nec longè a nostro instituto, commemoranda fuerunt, nè fucum facere videatur alicui videre primorum Pontificum Imagines depictas in parietibus Basilicæ S. Pauli, hoc unico, sed tam decoro, & honestissimo amictu exornatas, quo & usus fuerit Maximus, omnium tum veteris, tum novi Testamenti, Pontifex *appellatus a Deo*. Ad Hebr. c. 5. v. 10.) Pontifex juxta ordinem *Melchisedech*, & quo etiam amictu vestitus apparuit Joanni (Apoc. c. 1. v. 13.) *Vidi similem Filio hominis vestitum podère*: & (cap. 19. v. 16.) Et in vestimento scriptum: *Rex Regum, & Dominus Dominantium*. Podèris autem vestimentum, Pallium fuisse, paulo ante, ostendimus.

Verùm hic quæstio instituenda est, an isti antiquiores Romanæ Ecclesiæ Pontifices, hujusmodi Pallio, tanquam vestimento civili usi fuerint, necne. Certum est, medio Sæculo Christi tertio, S. Stephanum I. Pontificem instituisse, *Ut Sacerdotes, & Diaconi nusquam sacris vestibus, nisi in Ecclesia uterentur*. (Baron. ad ann. Christi 260.) Ex quo conjici potest, Ecclesiasticos Viros exterioris, ac civilis habitus formam induisse, & quidem cœteris laicis communem, ac etiam Pontifices, ita ut nullatenus discernerentur ab eis: id namque temporis ratio deposcebat; cogebantur enim, vel inter privatas domos, vel in Cœmeteriis delitescere, nè a persecutoribus dignoscerentur. Et quamvis Tertullianus, qui floruit initio tertii Sæculi, communem faciat usum Pallii tum apud Laicos, tum etiam apud quoscumque Christianos, (quod forsan tum vigebat in Africa, ubi versabatur) nihil tamen tradit hunc usum fuisse apud Præsules Ecclesiarum: ibi namque, ut antea probavimus, agit de Pallio quadrato, & communi, non verò de Philosophico propriè dicto.

Sed neque pacatis persequutionum Gentilium procellis, Episcopos, & præcipue Romanum Pontificem, hujusmodi Pallio Philosophico, tanquam vestimento civili, & extimo, usos fuisse, firmari ullatenus posse videtur. Thomasinus *De vet. & nova Ecclesiæ Disciplina To. 1. lib. 2. cap. 43.*) agens de Civili Clericorum habitu in Occidente, per priora quinque sæcula, pro certu habet, tum Clericos, tum & Episcopos, communi cum laicis usos fuisse vestimento: & hoc maxime probare contendit, quòd S. Cœlestinus PP. I. (sedit hic ann. Christi 423.) vitio verterit quibusdam Episcopis Gallicanis, quòd affectantes Monachorum vestes, Pallio amicti incederent, ut veste potius, quàm moribus, & doctrina a cæteris discernerentur: en verba ab eodem Pontifice scripta in Epistola ad eosdem anno 428. *Didicimus quosdam Domini Sacerdotes superstitiosi potius cultui inservire, quam mentis, & fidei puritati. Amicti pallio, & lumbis præcincti credunt se Scripturæ, non per spiritum, sed per litteram impleturos &c. Discernendi a plebe, vel cæteris sumus, doctrinà, non veste, puritate, non cultu*. Ex hisce enim verbis extremis apparet, & ipsum Cœlestinum non alio vestimento Civili, & extimo discerni voluisse a cœteris, vel a plebe: Sed ex testimonio ejusdem Pontificis, nec apparet, Pallium illud fuisse verè, & propriè Philosophicum, sed tantùm Monasticum, quo amicti se austeriorem Monachorum vitam amplexos fuisse profiterentur, ut solebant Episcopi Orientalis Ecclesiæ. Hi namque, cum ex cœtu Monachorum ad Pontificales Sedes regulariter assumerentur, pallium, quo in Instituto Monastico utebantur, nullatenus etiam, in Ecclesiæ dignitate positi, dimittebant, ut fusius probat exemplis idem Thomasinus: Hinc factum est, ut plures quoque Episcupi Occidentis, affectantes se quoque sequi feveriorem Monasticam vitam, pallium utique, more Orientalium, assumerent: *Ita factum est* (ait Thomasin.) *ut in Oriente, æque in Occidente, Episcoporum pars magna sensim Monasticæ disciplinæ, & professioni se implicuerint: ex eaque Episcopi deinceps omnes multa hauserint, quæ in suum ordinem transferrent*.

H 2 Cum

Cum itaque nullo fundamento stabiliri possit, Romanos priscos illos Pontifices hac Pallii forma, tamquam civili, & extimo vestimento, per priora illa quinque Sæcula usos fuisse, siquis, in re, aliàs difficillimæ conjecturæ, sit locus, in hanc sententiam ferimur, ut Pallio verè philosophico, ea ætate, depictæ fuerint hujusmodi Pontificum Imagines, nonnisi decoris, ac honoris gratia: idque fuisse deductum ex antiquissima consuetudine ab initiu in Ecclesia servata, ut Imagines Christi Domini (sicut etiam Apostolorum), nonnisi hoc vestimento amictæ pingerentur: ut videlicet, eàdem pallii forma insignii apparerent, qua exprimi soleret Christi Domini effigies, qui primus, & maximus Ecclesiæ, quam fundavit, æternus Pontifex est, cujus & ipsi veri, & legitimi Vicarii fuerunt: Et hanc, quam in ejusmodi Pontificum Imaginibus habitus formam conspicimus, Pallii Philosophici esse, non est dubitandum: *Totus porro* (ut ait Ferrarius p. 2. l. 4. c. 8. *compositi Pallii decor in eo erat, ut dextera parte sinistro humero imposita contineretur brachium, aliquando etiam manus* (cum videlicet nulli gestus, sive actiones essent peragendæ) *Cum verò Oratores verba ad populum facerent, non modò manum, sed quoque totum bruchiam exertum fuisse credere par est*: hoc vero modo conspiciuntur expressæ Imagines tum Christi, & Apostolorum, qui exhibentur seu prædicantes, seu aliquid extento brachio operantes, seu manu peragentes.

Hìc tandem, nonoulla observanda remanent circa colorem pallii, quo nostrorum Pontificum Imagines exurnantur. Certè color iste albus est in subflavum leviter degenerans: Ferrarius lib. cit. c. 5. Monachorum, & Ascetarum pallium fusci coloris tradit, qui color partim lanæ ex albo in pullum degenerat, quod assumpsisse constat Christianos verinris philosophiæ, ac sanctioris vitæ instituta amplectentes, vile quidem, sed tamen in pretio habitum, cum peculiare esset Sapientiæ tegmen; Pallia quoque Albi coloris fuisse indicat apud honestiores, & nobiliores: at cap. XVII. ubi precisè, ac fusius de colore Pallii agit, post plura docte, & erudite congesta, verisimile tradit, etiam Philosophos, qui se aulæ servitio mancipassent, ac divitibus eruditam operam adjecissent, colorem in pallio mutasse, eum videlicet, qui hæris suis maxime placuisset: *Nam* (ait) *ad captandam ingenii famam, stultos divites omne genus doctorum familiæ aggregabant, Poetas, Rhetores, Geometras Græculos, quos credibile est (exceptis Philosophis) in pallio quidem nam hoc eorum insignes traductos, & tamen colore, qui esset reliquæ familiæ peculiaris. Forsasse etiam Philosophos ipsos, ne fusco pulloque Tribonio heri oculos læderent, ac velut familiam funestarent, coactos esse, quæ pars servitutis erat, pallio eos colores adsciscere*: Sed de *Tribonibus* rubri coloris apud Rhetores, hoc observat Basilius Presbyter in oratione Nazianzeni: *Tribones sunt pallia quædam Rhetborum, quidem Rubra sunt, & Phænicei Coloris*. Ælianus l. 4. c. 21. Veteres *Athenienses* purpurea sibi circumdant pallia, pictas vero induebant tunicas. Purpura enim magno erat io pretio, & insigne Regum: & hoc divinæ Scripturæ comprobatur (*Esth. cap. 8. vers. 16.*) testimonio, ubi de Mardochæo: *Fulgebat vestibus Regiis, hiacynthinis videlicet, & aeriis, Coronam auream portans in capite & amictus serico pallio purpureo*.

Hinc est, quòd veteres nostri Christiani, cum Christi Domini Regiam authoritatem, imo etiam Divinam, in ejus Imaginibus pingendis, vellent exprimere, vel Apostolorum ejus honestissimam nobilitatem, colores in pallio sive aureos, sive hiacynthinos, sive rubeos, aut flavos adhibuerunt, & hunc morem imitati sunt posteriores, & per singula sæcula, ut liquidò habemus in antiquis, quæ supersunt Basilicarum Urbis musivis. Et primo quidem in absida Lateranensis Ecclesiæ Imaginis Salvatoris, quæ in consecratione ejusdem à S. Silvestro peracta, pectore tenus depicta populo Romano apparuisse dicitur, forma pallii conspicitur rubri coloris, fimbriis aureis, atque hiacynthinis exornati. Idemque apparet in alia simili Imagine Salvatoris, jam tempore Constantini fronti ejusdem Basilicæ affixa, quæ in tympano novæ porticus, recèns magnificentissimè a Clem. XII. constructæ, collocata fuit. Idem color hiacyntinus, seu Ceruleus habetur in pallio Christi Domini fimbriis purpureis exornato, ac tuoicæ purpureæ injecto, in Triclinio Leoniano à S. Leone III. constructo, XI. Apostolorum Imagines hinc inde stantes, pallio quidem, sed albo, fimbriis purpureis in extremitate ejus exornato apparent: quod Triclinium cum paucos ante annos omnino periisset, ejusdem Imagines; (in absida à SS. D. N. in platea ipsa magnificenter constructa, iisdem coloribus antiquis, juxta vetera exemplaria, quæ in Vaticana Bibliotheca asservantur, restitutæ sunt, opere musivo) Apostolorum verò pallia album referunt

runt

runt colorem, in prasinum, seu viride aliquantulum declinantem. In Absida Basilicæ S. Marci à Gregorio IV. constructa, Salvatoris stantis imago Palio purpurei coloris fulget: idemque videre est in Diaconia S. Mariæ in Domnica in paralella fascia absidæ superiori, ubi in medio stat Christi Imago purpureo pallio exornata, ab utroque vero latere aliæ duodecim Apostolos exhibentes, pallio albi coloris exornatæ, à S. Paschali PP. I. In antiquissimis verò Ecclesiis S. Pudentianæ, SS. Cosmæ, & Damiani, in S. Mariæ Monticelli, in Choro S. Bartholomæi in Insula, & S. Cæciliæ Transtyberim, ac S. Praxedis, nec non in Basilicis S. Mariæ Majoris, ejusque porticu, atque S. Mariæ Transtyberim, musivæ Christi Imagines pallio Aureo omnes decoratæ cernuntur, Apostolorum vero pallia coloris albi: nè vero tædium inferamus, singula, quæ in aliis Ecclesiis habentur silentio prætereuntes, idem servatum est ab Honorio PP. III. in absida nostræ Basilicæ S. Pauli via Ostiensi, ubi, eodem opere musivo, conspicimus Imaginem Christi Domini sedentis in Throno, ac manu dextera benedictionem impertientis, pallio quidem hiacynthino supra tunicam amictam, effigies verò tum SS. Apostolorum Petri & Pauli ad ejus latera stantes, tum etiam aliorum pariter Apostolorum, pallium deferunt albi, ac etiam flavi, alteriusque generis coloris.

Mirum itaque esse non debet, si in parietibus ejusdem Basilicæ Imagines Pontificum conspicere sit Pallio albi, & subflavi coloris sæculo 5. depictas à majoribus nostris, cum albo colore in flavum declinante designari curaverint cultum Civiliorem, honestatem atque præstantiam tantæ eorum Dignitatis, summæque eorum authoritatis.

Quòd autem sæculo quinto usus vigeret sacras Imagines pingendi hujusmodi Pallio decoratas, non solum Romæ, sed & alibi, constat ex Musivis, quæ adhuc supersunt Ravennæ, quorum exemplaria ære sculpta exhibet Ciampinus inter sua Vetera monumenta: Partis namque primæ, *Cap.* 20. *Tab.* 46. habetur in Basilica S. Aghatæ (erecta A. C. 400.) Christus Dominus hoc Pallio amictus duos inter Angelos. Cap. vero 25. In Ecclesia S.Jo. In fonte (erecta, ut creditur an. C. 451. ætate quidem S. Leonis Magni PP. I.) in Orbiculo grandioris formæ Imagines cernuntur XII. Apostolorum (suo unicuique nomine apposito) quæ omnes pallio hoc exornatæ sunt, exceptâ tamen ea S. Pauli Apostoli, quæ tamen pallium habet aureum Tunicæ albæ injectum. Simili modo ubi de Musivis Ecclesiæ S. Vitalis ejusdem Urbis, Orbiculum ejusdem formæ, Tab. XX. habetur, in cujus medullito adest Baptismus Christi D. in Jordane, circum vero stant XII. Apostoli, similis pallii forma amicti: similiter Tab. XIX. Iterum conspicitur Christus D. Mundo insidens, ac dextera benediciens, levàque librum tenens, pallio decoratus. Et ex his clare patet, eo sæculo quinto, servatum communiter fuisse morem sacras Imagines palliatas effingendi.

Tandem addam & hoc monumentum: in Bibliotheca hujus Monasterii S. Pauli, a RR. PP. Casinatensibus pretiosissimus servatur Codex Veteris, ut novi Testamenti, ætate Caroli Magni, gothico, sed optimo charactere, in membranis palmorum duorum altitudinis, unius vero, ac semis latitudinis conscriptus, ac per singulos libros miniaturis expressis accuratè exornatus: in primo folio sedet in Throno Carolus Magnus, cujus sinistram occupat Uxor cum pedissequa, sinistram verò duo milites stantes, superius, & infra adsunt aliæ Imagines. Ante libros Evangeliorum: in medio grandioris circuli Sedet Christus D. librum manu sinistra gerens: Tunicam hiacyntini coloris habet, supra quam Pallium injectum album subobscurum: in 4. ejus Paginæ angulis sedent 4. Evangelistæ scribentes, duo pallium gestant subobscuri coloris, Lucas vero hiacynthini, Joannes verò purpurei. Ita pariter ante singulorum Evangelistarum libros, eorumdem conspiciuntur Imagines: Marcus exornatur Pallio hiacynthino subscuro; Lucas supra Tunicam ejusdem coloris hiacynthini Pallium habet rubri coloris, itemque Joannes. Ante librum Actuum Apostolorum Ascensio Christi D. in Cœlum depicta cernitur, ejusdemque tunica alba est, pallium vero aureum: Pallia vero XII. Apostolorum partim alba, partim diversorum colorum. Similiter ante Epistolas S. Pauli, pictæ habentur plures Imagines Palliatæ, sed præsertim effigies Apostoli Pallio flavi coloris exornatur. Ante Apocalypsim adest Joannes ejusdem Scriptor, Pallio rubro insignitus, septem quoque Angeli adstant, & ipsi pallio fulgentes.

In extrema pagina extat carmen, in laudem ipsius Caroli Magni. Hujus verè pretiosissimi Codicis copiam nobis fecit Reverendissimus P. D. Justinus Capicius ejusdem monasterii meritissimus Abbas.

Tandem nullum præseferre mysterium putamus eam Zonulam, sive fasciolam, quæ fere

fere in singulis Imaginibus perantiquis Romanorum Pontificum in Australi pariete Basilicæ S. Pauli, Sæculo V. depictis cernitur, inter Pallium Philosophicum, & Tunicam ab altero ex humeris pendentem, ac in latus oppositum descendentem, & hoc nonnisi ornamenti, ac decoris gratia à pictore adjectum fuisse.

C A P U T X.

De Ornamento PALLII SACRI, *seu* PONTIFICALIS, *quo exornari incipiunt a Sæculo VI. Imagines Romanorum Pontificum in Chronologia Basilicæ S. Pauli.*

EXpletis in nostra Chronologia Imaginibus Summorum Pontificum spectantibus ad integrum Sæculum Christi Quintum (quem clausit Papa Symmachus, ac subsequens prætergressus est, usque ad annum 514.) quæ nonnisi Pallio Philosophico exornatæ conspiciebantur; in pariete septentrionali ejusdem Basilicæ subsequentium Pontificum Icones delineatæ conspiciuntur, decoratæ PALLIO SACRO, seù PONTIFICALI. Hujus vero *Pallii sacri* usum, apud eos priscos Pontifices extitisse, non est dubitandum, quamvis de eo in libro Pontificali, & Anastasio Bibliothecario, in Vita S. Marci PP., primùm mentio habeatur; qui constituisse traditur, ut Episcopus Ostiensis, eo ipso pallio uteretur in Consecratione Romani Pontificis: ex quo patet, Romanos Pontifices, ante ipsum Marcum, usum Pallii habuisse, quod semper extitit summi honoris, ac plenitudinis Apostolicæ potestatis Index; & nonnulli ejus institutionem S. Lino Sancti Petri Successori attribuunt.

Hujusce tamen sacri indumenti originem in Ecclesia variè tradunt Scriptores: Alii enim deductum volunt à Constantino Magno, qui fertur S. Silvestro tradidisse LORUM IMPERIALE: siquidem *Lorum* apud Latinos idem est, ac *Pallium superhumerale*, quòd humeris circumvolutum esset, collumque ambiret: apud Græcos verò *Omophorion* appellatum. Et quidem hoc Lorum idem esse, atque hoc Pallium, clarissimè demonstrat Eruditissimus Du-Fresne in *Dissert. de inferioris ævi Numismatibus*, §. *VI. & VII*, ubi probat, ejusdem Lori formam, & usum usurpasse Consules, at Imperatores, ac Principes Ecclesiæ, ideft Summos Pontifices: eamdemque formam exhibet (*ib.* §. *66. pag. 45.*) in Diptycho, ubi est Imago Anicii Fausti Albini, Basilii U. C. hoc Loro exornata, indicatque, se alias delineari curasse in Tabulis Græcanicis ad illustrationem Historiæ Byzantinæ: Forma tamen hujusmodi Lori sic est effigiata, ut per ambas scapulas deducta ad pectus circumferatur, & à læva reducatur ad medium pectoris, inde defluat usque ad extremam interioris tunicæ oram: differt tantum à nostro pallio, quod illo sit amplior, & quibusdam parvis figuris aurifrigio efformatis conspicua cernatur.

In Romano autem Pontifice nullatenus probari potest hujusmodi Pallii usus à Constantino Imperatore S. Silvestro concessus fuisse, nisi ex fabuloso ipsius Imperatoris Edicto, de quo alibi satis locuti sumus; ac proinde ejusdem ornamenti Pontificii origo aliunde, & verioribus a monumentis est exploranda. (Durandus *de Divin. Offic. lib. 5. cap. 17.*) in eam fertur sententiam, sacra Ecclesiastica vestimenta, ex iis deducta fuisse, quæ olim antiquæ legis Sacerdotibus præscripta fuerunt: (*Exod. cap. 28. & alibi*) & à SS. Apostolis in usum accepta; non omninò ea ipsa, neque ad plenam eorum similitudinem, cum & ipsa nec totaliter essent assumenda, nec totaliter rejicienda. Ecclesia igitur, quæ figuraliter expressa fuit, ab Ecclesia Hebræorum, rejectis iis, quæ tàntùm mysteria ejusdem populi concernebant, plura alia sibi adoptavit, in decorem sui Sacerdotii, eaque etiam, juxta temporum rationem, mutavit. Divus namque Hieronymus in Epistola ad Fabiolam de indumentis Sacerdotii legis Mosaicæ scribens, docet ea omnia in Christo esse perfectius consummata. Laminam auream ad instar illius, quam ad ornamentum Cidaris Summus legalis Pontifex gestabat, consuevisse quoque deferre S. Jacobum Apostolum fratrem Domini primum Hierosolymorum Episcopum ab Apostolis constitutum, tradunt pene omnes antiquissimi Ecclesiastici Scriptores à Baronio relati (*ad ann. Chr. 34. n. 85.*) Ejusdemque *Poderem*, & *Superhumerale* diutissime conservatam, atque in sacris ministeriis uti solitos ejus Successores Epi-

Episcopos, docet Epistola (*Rel. in Act. 1. Octavæ Synodi*) Theodosii ejusdem Civitatis Hierosolimitanæ Antistitis scripta ad Sanctus Ignatium Patriarcham Constantinopolitanum, in qua profitetur, eamdem ipsam ei dono, cum aliis sacris muneribus, mittere. Nicetas quoque cognomento Paphiagus in vita ejusdem Sancti Ignatii, post illius mortem explicatam, subdit: *Illum sacro Patriarchæ ornatu, ex more domestici vestitum, & venerandum Jacobi fratris Domini superhumerale, cum veneratione illum induunt, quod, ante aliquot annos, Hierosolymis sibi missum, tanta veneratione prosecutus est, ac si ipsum Jacobum Apostolum, & primum in eo Humerali Pontificem spectaret: hoc propterea voluit ut secum sepeliretur*. Id ipsum affirmat Michael Syncellus in Encomio S. Ignatii.

Simili modo in Ecclesia Alexandrina ad plura sæcula, servatum fuit Pallium S. Marci Evangelistæ primi Sedis illius Patriarchæ, quo, veluti hæreditario successionis signo, indui solebant noviter electi Antistites; eo servato ritu, quem memorat Liberatus Diaconus Carthaginensis sexti sæculi Scriptor, dicens: *Patriarcham, qui defuncto succedit, excubias agere super defuncti corpus, manumque dexteram illius suo capiti imponere, & sepulto manibus suis, accipere collo ejus B. Marci pallium, & tunc legitime sedere*. Ex hoc eruditissimus *Christianus Lupus* (*cap. 2. de Africanæ Ecclesiæ appellationibus*) inter varia, quæ notat, etiam observat, quod pallium vestiret solos humeros. Qualiscumque tamen fuerit tunc forma pallii, hisce antiquissimis monumentis liquidò probatur, hujus sacri indumenti usus a tempore Apostolorum acceptus. Quis itaque inficias eat, Pallio, insigni utique Summi Pontificis Romani Potestatis, & authoritatis, primos S. Petri Successores insignitos fuisse? Meritò itaque Nicolaus PP. III. cum Imagines summorum Pontificum, depictas in pariete Australi nostræ Paulinæ Basilicæ sæculo quinto, iterandas duxisset in orbiculis inter Columnarum Capitula, retentis omnino lineamentis ipsarum, incipiens a S. Lino, cunctas hoc sacro Pallio insignivit. Pallii usum initium habuisse ab eodem Lino asserit Chrystophorus Marcellus Archiepiscopus Corcyrensis sub Sixto PP. IV. Pontificalium Cæremoniar. Prefecto in suo lib. Cæremon. 1. cap. 8. & pro se testimonia non nulla profert. Cujus Marcelli Opus Commentariis Eruditissimis illustratum a Cl. V. Josepho Catalano, modò sub prælo est.

De Benedictione, & Traditione Pallii: SS. D. N. BENEDICTUS PP. XIV. Constitutionem edidit, pridie Idus Augusti, anno 1748. consueta sua ingenti Eruditione refertam. De usu verò ejusdem Pallii plurima eruditè explicat idem Josephus Catalanus Congr. Orat. S. Hieronymi Charitatis de Urbe amicus noster, in suis ad Pontificale Romanum Commentariis Tom. I. Tit. XIV.

In nostra itaque Cronologia Imagines summorum Pontificum hoc Pallio exornatas videas: & cum jam defecerint cœtera antiquiora picta monumenta, superest tamen Imago S. Felicis PP. IV. Atavi S. Gregorii I. Musivo opere elaborata in absida Ecclesiæ SS. Cosmæ, & Damiani in foro Romano ab eodem constructa, atque picturis Musivis exornata: in qua effigies ejus Pallio exornata stat, Salvatori offerens ipsam Ecclesiam, quam exhibet Ciampinus, Vet. Monim. to. 1. Tab. XVI. & quamvis ipse notet, hanc Felicis Imaginem, cœteris superstitibus, jam periisse, atque refectam fuisse à Cardinali Barberino, in extrema ejusdem Templi instauratione. Ex tribus tamen Crucibus Nigri coloris Pallio appositis, suspicamur hanc restitutam minime fuisse juxta antiquiua exemplar.

Usum verò Pallii in Missa Pontificali contendit Hospinianus, sub Gregorio Magno primum obtinuisse (Hist. Sacrament. 1. 3.) At hujusmodi mendacium manifeste refellit. C. V. Dominicus Georgius *To. 1. De Liturgia Rom. Pont. Cap. 4. §. 15.* ex Epistolis tum Symmachi, tum etiam Vigilii Pontificum, quorum primus Theodoro Laureacensi Antistiti honorem pallii concedit in Missarum solemnibus; alter vero an. 545. Pallium Auxanio Arelaten. Sedis Apost. Vicario in Gallis constituto dedit, quemadmodum Symmachus Aurelianensibus concesserat, atque an. 546. Aurelianum Auxanii successorem ornavit: ac propterea tradit, ex toto S. Gregorii Magni Regesto patere, Ravennates Antistites, aliosque Metropolitas, pallio, ante ipsum Gregorium, usos esse.

Quamvis autem ad exornandas, & maxime Pallio Pontificio, hujusmodi nostras Imagines, non parum laboris adhibuerimus, ut oculis propriis vetera, quæ in Urbe supersunt Opera Musiva, atque picturas in quibus extant priscorum Pontificum Imagines, videremus: nihilominus, cum hocce studium ante nos, diligenter præstiterit idem laudatus Georgius, meritò ducimus, ejusdem testimonium proferre, cum præter formam diversam ipsorum Palliorum, per singulas ætates, nec non eorum

eorum Crucium colores exprimat: subinde nonnulla adnotabimus, quæ ejus oculos effugerunt.

Capite igitur XXV. Pallii formam exhibet, à pluribus auctoribus expressam, ex quibus hic tantum Innocentii PP. III. adducimus etiam ab ipso relatam, qui lib. 3. Mysteriorum Missæ cap. 63. ita scripsit: *Fit enim Palliam de candida lana contextum, habens desuper circulum humeros constringentem, & duas lineas ab utraque parte dependentes: quatuor autem Cruces purpureas ante, & retro a dextris, & n sinistris; sed n sinistris est duplex, & simplex à dexteris.* (De purpureis autem Crucibus in pallio, ante Innocentium, egerat Hrabanus, & post eum Hugo Victorinus lib. de Sacramen. c. 57., & Durandus, aliique) Inde prosequitur sic Georgius.

§. 4. *Forma Palii Pontificalis sæculo X. paulo diversa erat à sæculis prioribus: Joannes Diaconus in Vita S. Gregorii, ut observatam est a Daniele Papebrochio in Propilæo ad Acta SS. ubi Joannes describit pallium S. Gregorii (lib. 4. cap. 84.)* Pallio medioeri, à dextero videlicet humero, super stomachum circulatim deducto, deinde sursum per sinistrum humerum post tergum deposito, cujus pars altera sub eumdem humerum veniens, propria rectitudine non per medium corporis, sed ex latere pendet. *Colligit ex his Papebrochius, pallium Pontificale, ætate Joannis Diaconi, latius fuisse quàm Pallium S. Gregorii, quod tum ex sua rectitudine, non ex latere, sed per medium corporis pendere solebat. In Triclinio namque S. Leonis III. Loteran. in Pallio S. Petri, per medium corporis pallii pendet pars illa, quæ S. Gregorio pendebat ex latere. Sæculo X. parum, aut nihil de Pallii forma immutatum creditur. At sæculo XII. magna immutatio facta est, cum anterior tænia, seu fascia, non a terga per humerum circumducta, nec posterior similiter per humerum circumlata, a pectore pendebat in modum longioris fasciæ ante, & retro innodatæ: in eadem fascia utrinque bifida, sive duplex, in duas utrobique velut assutas tænias desinebat.*

Rem hanc oculis subjicit Innocentii II. opus Musivum in absida S. Mariæ Transtyberim, ubi Romani Pontifices Cornelius, Callistus, Julius, & Innocentius pallia cum vittis ex utroque humero, & linea anteriori rectà descendenti ante pectus, pene usque ad talos gerunt. Deinde eamdem formam referant imagines nonnullorum Pontificum Musivi operis, Callisto II. & Anastasio IV. Pontificibus curantibus, expressæ in Oratoria S. Nicolai in Patriarchio Lateranensi, & æri incisæ, studio Constantini Cajetani A. C. 1638. Item alia imago Gelasii PP. II. ex Codice Vaticano, ab eodem Cajetano luci donata; ex quibus Papebrochius argumentatur, Pallium Pontificale, ante sæculum XII. aut lunatum, aut ad modum V. vel T. furcatum supra pectus, ab humeris descendisse iis incumbens, sæcula vero XII. affixum planetæ, atque infra scapulas reductum in brachia, ambivisse Præsulem per modum posisi in plano circuli, ea ferme ratione, qua sub finem sæculi XIII. ipsum conformatum visitur in sepulchrali monumento Honorii IV. in sacello S. Francisci ad S. Mariam in Aracæli; tunc enim retinebatur forma divaricatæ super transversam lineam tæniæ, prout etiam præseferunt Imagines sepulchrales Bonifacii IX., & Martini V.

§. 5. *Utraque linea, seu fascia pallii, scilicet anterior, & posterior, quæ vitta dicitur a Brunone Episcopo Signiensi, olim longa erat, & pertingebat usque ad extremitatem planetæ, quæ, uti notum est, priscis temporibus, talaris erat; Vetustissimæ picturæ id esse affatim ostendunt (Ciampin. vet. Moniment. in Tabulis) In Ecclesia S. Agnetis extra mænia Urbis, vià Nomentanam, sub absidam Musivum opus, Anno Domini 623. construxit Honorius I. cujus imago ibi etiam expressa est, and cum alia Icone alterius Romani Pontificis. Ambæ palliam habent cum linea anteriori, quàm longa planeta est. Imago Leonis III., quæ olim visebatur in Musivo ad sanctam Susannam in Urbe, quam vidit, & delinandam curavit Nicolaus Alemannus, pallium habet, cujus linea, seu Vitta anterior, talis est. In Triclinio Lateranen., studio ejusdem Leonis III. tessellatis figuris ornato, in sinistra Musivi parte, grandis imago Petri Apostolorum Principis orarium manu dextera tradentis Leoni genuflexo ad ipsam Petri dexteram, ac tam Petri, quàm Leonis effigies pallium gerunt, cum linea anteriori talari. Imagines Paschalis I. in Eccles. S. Praxedis, ac S. Cæciliæ pallium deferunt, cujus linea anterior ad extremitatem usque planetæ pertingit. Similiter in Musivo S. Marci, Imagines S. Marci Romani Pont., & Gregorii IV., ac S. Martini figuræ, in M. S. Codice Hrabani Mauri à nobis supra laudato, hinc Amalarius, ut nuper vidimus, ne plerique inde secuti sacrorum Rituum Scriptores tradunt, pallium duas lineas habere a summo usque deorsum, ante, & retrò.*

Se-

Saeculo item xij. hae pallii lineae longae erant usque ad talos, ut conspicitur in musivo Basilicae S. Mariae Transtyberim, ac cernitur ex tabula aeri incisa a Constantino Cajetano, delineata ex Musivo opere in Oratorio S. Nicolai Myrensis Episcopi, intra Lateranense Patriarchium ab Anastasio IV. aedificato, nunc solo aequato. Ibi enim xij. Summorum Pontificum imagines excusae sunt, ac in earum singulis linea, seu fascia pallii anterior, ad imam planetae partem protenditur. In Musivo etiam Metropolitanae Ecclesiae Montis Regalis in Sicilia, S. Thomas Cantuoriensis Archiepiscopus, & nonnulli Romani Pontifices pallium habent, cujus linea anterior ad talos ferme producitur.

Saeculo praeterea xiij. haec linea ad extremam Planetae oram, nimirum usque ad talos, pervenit, ut palam fit ex Imagine Honorii III apud Ciacconium: aliquanto brevior est linea in imagine Innoc. IV. nam ad genua solum descendere videtur, sed ea imago longè post Innocentii mortem exculpta est, ut patet ex Regno in capite illius Pontificis triplici corona redimito. In sepulchrali effigie Honorii IV. seù sculptoris arte, & industria hanc pallii lineam decurtatam fuisse facile perspicitur, ut caetera ornamenta sacra, sub planetam nimirum, Alba, & Dalmatica appareant. Nam Bonifacii PP. VIII. linea ad extremitatem planetae desinebat: plura addit Eruditissimus Georgius, ac postea subinfert, Pallium decurtari coepisse aetate Sixti IV., ut scribit Augustinus Patricius Piccolomineus, Episcopus Pientinus, ac typis edidit Christophorus Marcellus Archiepiscopus Corcyrensis an. 1516., ubi forma pallii describitur, *latitudinis digitorum trium reducta in orbem, itaut humeros Praesulum ambiat a pectore, & renibus particulam pendentem habet pallium longitudinis palmi.*

Mox transiens ad colorem Crucium in pallio §. 6. ita prosequitur. *Miror autem cur Card. Bona scribat, pallii fascias purpureis Crucibus esse insignitas, cui adstipulatur Ruinartius in Discurs. de pallio Archiepiscopali. Olim quidem Cruces purpureae fuere, ut vidimus, idque ex longissima antiquitate arcessitur, rarò nigrae, sed postmodum nigri coloris receptae sunt. De rubeis autem, illustre in primis monumentum est, quod de Pallii S. Leonis Romani Pontifici cognomento Magni reliquiis, inter ejus Reliquias repertis A. D. 1607., oculatus inspector.* (Bolland. Apr. to. 2. pag. 21) litteris consignavit: *Remanserat*, inquit, *super humero dextero Crux parva rubri coloris, quae erat Pallii Pontificalis. Item aliam Crucem paulo longiorem ejusdem pallii juxta pectus in parte dextera tenebat: In medio pectoris conspiciebatur aurea una spinula pallii infixa planetae: De pallio nihil remanserat. Haec refellunt Hugonem Menardum, qui Cruces pallio infixas antiquitus non fuisse putavit. Vicecomes in libris De Apparatu Missae, sibi persuadere non potest, cur scriptum fuerit ab Hrabano, & Innoc. III. Cruces Pallii purpureas fuisse, quum non modò S. Gregorii Magni imago, sed caeterae omnes nigras Cruces praeseferunt; quare existimat, auctores mox laudatos, de eorum aetate loquutos fuisse, quum aliàs liberum fuerit Cruces sive nigras, sive purpureas pallio insuere. Nescio autem a quibus hauserit Cruces Pallii in imagine Gregorii Nigras fuisse, cum id non prodat Joannes Diaconus. Praeterea falsum est in caeteris Romanorum Pontificum antiquis imaginibus Cruces pallii nigri coloris esse: Nam in Musivo S. Paschalis ad S. Praxedem, Cruces Pallii, rubri coloris sunt, ut & ad S. Caeciliam, quod ego magis oculis perlustravi. Visitur imago Innoc. II.* (errore typographi, legitur Innoc. I.) *in quo pallium tres Cruces nigras habet. Item S. Justi cujus pallium duas Cruces habet nigras. Verum S. Cornelii PP. habet pallium cum Crucibus purpureis, quemadmodum, & S. Callisti, pallium 5. Crucibus coloris purpurei exornatur.*

Saeculo XIII. jam declinante nigrae fuere Cruces pallii numero sex, cum quatuor aeque purpureae ab Innocentio III. memorentur, ac item a Durando: Etenim Cruces in pallio Nicolai IV. in Absida Basilicae Liberianae nigrae sunt: nigrae quoque fuere Cruces pallii Bonifacii VIII. quo sepulchro datus est, ut Bzovius refert Anno Domini 1303. Hucusque laudatus Georgius.

Sed Cruces Pallii Bonifacii VIII. nigras utique fuisse ostendit Jacobus Cardinalis, ubi de coronatione ejus scribit,

Pallia tunc humeris crucibus candentia nigris
Implevit Levita rubeus, quibus aurea puros
Saphiros defixit acu.

Cum autem a pluribus hinc saeculis immutatus fuerit color in Crucibus palliorum, fucum facere videtur, quod asserit Emmanuel Gonzalez Tellez in suis Commentar. in Decretales Gregorii IX. ubi Tit. VIII. De auctoritate, & usu Pallii §. 10. sic ait

de ejus forma : *texitur fascia 4. digitorum, habens desuper circulum humeros constringentem, & duas lineas ab utraque parte, videlicet ante, & retro, pendentes; habet etiam 4. purpureas Cruces ante, & retro, a dextris, & a sinistris, & a dextris figuntur etiam acus tres*. Nam pro certo est, nostris temporibus, asseri non posse ejusmodi Cruces esse purpureas: immo & ante plura sæcula, Joannes Andreas celebris Canonum interpres, relatus a Panurmitano, super Rubric. de auctoritate, & usu Pallii : *Quarto tractat Joannes Andreas de forma Pallii, & dicit, quod in eo ponantur 4. Cruces nigræ, seu nigri coloris, quarum prima est ante pectus, seu in pectore. 2. super brachio sinistro. 3. retro, 4. super brachio dextero*. Gonzalez igitur descriptionem Pallii moderni confundit cum antiquiori forma descripta ab Innocentio III.

Sed quoad colorem nigrum in palliis antiquorum Pontificum, unicum, quod sciam, nobis superest documentum, quod effugit oculos Georgii prælaudati, in Imaginibus Joannis PP. IV. ac Theodori ejusdem successoris in Opere musivo absidæ Oratorii S. Venantii ante Baptisterium Lateranense, a Joanne ipso incboato, & ab ejusdem successore absoluto. Ibi namque cernuntur Imagines ipsorum Pontificum pallio amictæ, in cujus extrema parte una tantum adest Crux nigri coloris, idemque visitur ibidem in duabus aliorum sanctorum Episcoporum imaginibus, & ipsis eodem pallio insignitis: quod maxime notandum est; cum antiquitatem septimi sæculi referat tale opus musivum, &, sicuti apparet, nunquam instauratum.

Notandum quoque est, Græcos Episcopos omnes purpureas in pallio Cruces deferre, & hoc utique a Romana Ecclesia accepisse, existimandum videtur: Cardinalis Baronius (*ad an. C. 934.* ex Luitprando, in relatione suæ Legationis, tradit, Joannem Papam XI. quem clausum Imperator Constantinopolitanus tenebat, ab eodem coactum fuisse, Theophilacto Imperatoris filio Eunucho, Patriarchæ Constantinopolitano, concedere illi, ejusque successoribus, Pallii usum, absque alio Romanorum Pontificum permissu: ex quo turpi commercio (addit Luitprandus) vituperandus mos inolevit, ut non solum Patriarchæ, sed etiam Episcopi omnes totius Græciæ palliis uterentur. Cum itaque, eo tempore, Cruces palliorum coloris purpurei essent, putandum videtur, eodem modo a Græcis acceptas fuisse, atque postmodum, usque in præsens detinuisse.

Ex purpureo in nigrum immutatum fuisse harum Crucium colorem in Palliis, circa sæculi XIII finem, ex nostra observatione putandum est. In Ecclesia namque S. Laurentii extra Muros adest sepulchrum Card. Guillelmi de Flisco Innocentii PP. IV. Nepotis, qui sedit A. C. 1243. in pariete supra sarcophagum, in quo sepultus fuit idem Cardinalis Romæ defunctus ann. 1256. inter plures depictas sacras Imagines, ea quæ refert ipsum Pontificem genibus flexis ante Salvatorem, vestimentis sacris induta, in parte anteriori pallii tres Cruces conspiciuntur rubei coloris, quod attentissime lustravi: nam cum abductæ essent pulvere, & ob antiquitatem color earum minime dignosceretur, adhibita spongia, purpureum esse deprehendi. In pallio vero Nicolai IV. cujus imago, proculdubio ipso vivente, expressa in absida Lateranensis Basilicæ Musivo opere ab ipso exornata, Cruces Pallii nigri coloris apparent. Cum itaque Nicolaus sedere cœperit an. C. 1289. intermedio hoc tempore, immutatum fuisse in hujusmodi Crucibus colorem putamus. Post Nicolaum, S. Cælestinus V. sedit tantum mensibus 5. cui Bonifacius VIII. successit, eique teste supradicto Card. Stephaneschi, impositum fuit pallium Crucibus nigris exornatum.

Quatuor tantum fuisse Cruces in pallio Pontificum, ut testatur Innocentius III. ex antiquis nostris Musivis apparet, quamvis in iis quamplures totidem Crucibus in pallio ipso conspiciantur expressæ, & quandoque unica tantum appareat, & hoc attribuendum est artifici, sicuti etiam ejusdem Pallii longitudo in extremitatibus, vel quoque inequalitas latitudinis in Circulo. Nihilominus sequioribus sæculis auctum fuisse numerum Crucium deprehendimus. In antiqua enim Gelasii II., qui sedit ante Innocentium III. nempe ann. C. 1118., quam ex antiquo prototypo æri incisam publici Juris fecit Constantinus Cajetanus, ac vitæ ipsius Gelasii præfixit, quamque, & protulit Macrius in suo Hierolexico sacro, verbo Mitra, in circulo anteriori Pallii, sex hinc inde ad humeros habentur quadrilateres Cruces, aliæ vero sex in linea pariter anteriori a circulo ad pedes usque producta, ejusdem formæ, præter alias, quæ ab extensione dexteri brachii, manu benedictionem impertientis, obducuntur. Item in alia marmorea antiqua statua supra memorati

rati Nicolai IV. genibus flexi, ante Altare SS. Crucifixi Basilicæ Lateranensis in modum orantis, circulus pallii, quinque hujusmodi Cruces refert, in linea vero ejusdem pallii anteriori, Octo, præter eas, quæ in linea posteriori, quæ non videtur, esse deberent.

Modò Pallium Pontificale parùm differt ab antiqua forma, nam contextum est ex candida lana agniculorum, ad formam fasciæ fere quatuor digitorum latitudinis, quæ, veluti torques, pectus, & humeros constringit, in parte superiori ad modum circuli, duasque lineas habet dependentes, unam ante pectus, alteram retrò. Sex Cruces insuper nigri coloris, (olim vero 4. & has purpureas) quatuor in circulo, unam ante pectus, duæ aliæ supra scapulas, unam post tergum habet. Duas vero circa utramque Pallii extremitatem; quæ extremitates desinunt in lamellam plumbeam, panno nigro coopertam. Præterea tres acus aureæ infiguntur Pallio Pontificis, una ante pectus, altera super humerum sinistrum, tertia post tergum, super dexterum humerum non infigitur, & harum qualibet acus pretiosum continet lapidem. Et ejusdem formæ est Pallium, quo Summus Pontifex Romanus utitur.

CAPUT XI.

De MITRA PONTIFICALI, *seu Episcopali, qua Imagines Summorum Pontificum posterioris ævi exornatæ conspiciuntur in Chronologia Basilicæ S. Pauli Viâ Ostiensi. Explorantur ejusdem origo, & usus in Romanis Pontificibus: necnon quæstiones de ejusdem ornatus antiquitate: ac de illius extensione ad cæteros Episcopos, S. R. E. Cardinales, & alios, ex speciali ejusdem Romani Pontificis privilegio: Et alia plura hoc super argumento notatu digna explicantur.*

IN antiquis Imaginibus veterum, primorumque Ecclesiæ Patrum, seu Pontificum Romanorum, residuis, ac in parietibus Basilicæ Paulinæ superstitibus a S. Petro usque ad Symmachum toto Sæculo Christi Quinto, nulla earum conspicitur exornata ornamento capitis, quod Mitra appellari solet. Immo nec a nobis additum est ante Constantinum Papam, qui sedit an.708. Nun verò, quod Mitra non diù antea usi fuerint Romani Pontifices: Sed tantum, nè primo aspectu oriretur confusio inter *Regnum*, seu alterius Mitræ Pontificalis, quæ communiter appellari solet Tiara Pontificia, (de qua Capite sequenti mentionem faciemus). Utraque enim hæc capitis ornamenta, diversis quidem in functionibus, ac etiam temporibus, Summus Pontifex utitur, ut hisce verbis explicat Innocentius Papa III. ubi Ser. de S. Silvestro sic ait: *Romanus Pontifex, in signum Imperii, utitur Regno, idest Corona: & in signum Pontificii, utitur Mitrâ, sed Mitrâ semper utitur, & ubique: Regno verò nec ubique, neque semper, quia Pontificalis auctoritas, & prior est, & dignior, & diffusior, quàm Imperialis.* Et Sermone 2. de sua Consecratione: *Ecclesia in signum spiritualium contulit mihi Mitram; in signum temporalium dedit mibi Coronam, Mitram pro Sacerdotio, Coronam pro Regno, illius me constituens Vicarium, qui habet in vestimento, & in femore scriptum: Rex Regum, & Dominus Dominantium; Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* In signum itaque spiritualis potestatis, Mitrà semper utitur.

Quo verò ad usum Mitræ penes Romanum Pontificem, primum se offert enucleanda illa Quæstio, acriter inter Ecclesiasticarum rerum Scriptores agitata, an usus Mitræ recentior, vel antiquior sit in Ecclesia. Recentiorem fuisse existimant non pauci Eruditi præstantes Viri; & præcipue Hugo Menardus, qui in libro Sacramentorum S. Gregorii Magni, pag. 362. sic ait: *Existimo, vix ante annum post Christum natum millesimum, Mitræ usum in Ecclesia fuisse*: Responditque ad argumenta, quæ ad probandam antiquitatem Mitræ a Baronio adducuntur ad annum 34.

Ejusdem ferè sententiæ fuit Onuphrius Panvinus (ut putant nonnulli) qui in explicatione vocum obscurarum, ad calcem Romanorum Pontificum apposita, ita asseruit: *Mitrarum usum in Romana Ecclesia, non ante annos sexcentos esse*. His adeo adhærent nostræ ætatis eruditissimi Viri alii, itaut, penes eos, piaculum sit, hanc sententiam

non amplecti, quam validis porrò conjecturis, ac rationibus statuunt. Harum prima affertur ab Aotonio Bellotte in suis Observationibus ad *Ritus Ecclesiae Lugdunensis redivivos pag.* 87. n. 9. perspicuum videlicet esse, ex antiquissimis primi ævi Apologistis, apud Petrum Aurelium, neque Apostolos, neque diu eorum Successores, Episcopalis dignitatis vestibus Pontificiis, atque Insignibus, & Ornamentis frui liberè potuisse; Majestatem nullam habuisse, nihil egisse cum pompa, sed furtim, & clam non solum Baptismi, & Confirmationis Sacramenta, sed pene omnia Christianæ Religionis ministeria privatim, & occultè peragere debuisse.

Secunda conjectura, vel ratio ea videtur esse, quòd constet Ecclesiam Græcam, ejusdem ritus testimoniis certissimis, ad annum fere millesimum, Mitræ usum nunquam admisisse, nec postea ejus Episcopos ambire.

Tertia, quòd in antiquissimis Ecclesiæ Occidentalis libris Pontificalibus, Sicramentariis, Missalibus, & Ritualibus, quorum copiam exhibent PP. Mabillonius in Museo Italico, par. 2. & Martene, to. 1. de antiquis Ecclesiæ Ritibus, sicut etiam apparet in aliis antiquioribus apud Amalarium, Rabanum, vulgatum Alcuinum, aliosque Scriptores, qui in Ritus Ecclesiasticos operam suam contulerunt, nulla usus Mitræ mentio prorsus reperiatur. Hinc est, quod Cl. V. Josephus Catalanus Oratorii S. Hieronymi Charitatis de Urbe Presbyter, in eruditis suis ad Pontificale Romanum Commentariis, To. 1. n. 12. pag. 150. exhibens, ex celebri Casanatensi Bibliotheca (ubi & nos illum spectavimus) MS. codicem quemdam, seù Ordinem Romanum, qui ex apposito Landulphi Episcopi Capuani nomine, extitisse putatur, sive Senioris, qui sedebat anno Christi DCCCLI, vel Junioris illius S.dis Episcopi, qui vixit anno DCCCLXXIX. In quo Ordinationum ritus à Minoribus, usque ad Sacerdotium exhibetur, præfixis capiti cuicumque pictis Imaginibus tum Episcopi Ordinantis, tum etiam Ministrorum adstantium: In calce verò hæc observat idem Catalanus: *Caput denique Episcopi nunquam Mitrâ redimitum cerno, quia scillcèt, ut plerique autumant, ut Hugo Menardus in Sacramentarium S. Gregorii, vix ante annum Christi millesimum, Mitræ usus in Ecclesia fuit, ea ratione falsi, quod de ea in Missa Illyrici, & apud alios, altum silentium sit, ac Sæculo solum XI. Mitræ memoria fiat à S. Petro Damiano, & deinceps Sæculo XII, ac sequentibus ab Honorio Augustodunensi, Hugone Victorino.* Juxta igitur hanc sententiam usus Mitræ videtur exclusus, etiam quoad Romanum Pontificem.

Altera verò huic opposita est illorum sententia, qui asserunt, usum Mitræ longe antiquiorem extitisse penes Episcopos, immo & antiquissimum, à primævis usque Ecclesiæ temporibus. C. V. Baronius ad annum Christi 34. n. 298, traditis documentis vetustissimorum Scriptorum, de Lamina aurea gestari solita ab Apostolis Jacobo Jerosolymorum, & Joanne Evangelista Ephesiorum Episcopis, subdit: *Ex institutione, immò & usu Apostolorum manasse, certum est, ut Episcopi Christianæ Ecclesiæ, quod regali fungerentur Sacerdotio, tamquam Reges, & Sacerdotes Mitrâ in Sacris uterentur, &c. Licèt autem eodem nomine ejusmodi capitis ornamentum Mitra, & Cidaris, tam apud Sacerdotes antiquæ legis, quàm novæ appellaretur, tamen fuisse diverso modo concinnatam, & sicuti pristina forma quid mysticum præferebat, ita & nova alia mysteria repræsentare docent, qui agunt de Ecclesiasticis Officiis, & Ritibus.*

Exemplis à Baronio adductis respondere conatus est Menardus, an verò plenè, satisque, aliorum judicio relinquimus; multi tamen, ex hujusmodi responsionibus, minime Baronii eversum fuisse argumentum putant, sed tamen contendunt ejusmodi Episcopalis ornamenti usum, vel non admissum fuisse, vel interruptum, sivè non communitèr à cunctis Ecclesiarum Præsulibus, nec sine Apostolicæ Sedis concessione, sibi arrogatum.

Hanc affirmativam sententiam Baronii egregiè tuetur Andreas Saussayus Episcopus Tullensis in suo eruditissimo Opere *Panoplia Episcopalis*, edito Parisiis anno 1646. ubi, per quatuor integra capita, probare intendit, usum Mitræ penes Episcopos extitisse etiam primis Ecclesiæ temporibus, expositisque oppositæ sententiæ rationibus, accuratè respondit, eorumque argumenta dissolvit.

Josephus Vicecomes in suo Tractatu *De Missæ apparatu*, cap. 31. Mitræ usum tradit ab Ecclesiæ nascentis exordio, ad nos pervenisse, errorisque accusat Onuphrium Panvinum, quòd asserit Mitram in Ecclesia Romana ad sexcentos annos antiquiorem non esse. Verùm non tam facile arguendus mihi videtur Panvinus, qui sacræ, & profanæ eruditionis exornatissimum appel-

pellari potest Archivum, si verba ejus examinentur. Ait enim, verbo *Mitra*: *Episcopi Christianorum Mitrâ utuntur, quæ Rei Divinæ operam dant, qui pileus lineus, vel è serico albo est in altam productus, & in duas cuspides divisus. Fiunt Mitræ aureæ unionibus, & gemmis ornatæ, quarum usum in Ecclesia Romana non ante sexcentos annos esse opinor*. Nam, explicatâ priùs qualitate materiæ, qua constabant Mitræ, nempè vel linea, vel ex serico albo, procedit ad usum Mitræ aureæ, unionibus, & gemmis ornatæ, & harum pretiosarum Mitrarum usum tantùm, in Romana Ecclesia, non ante sexcentos excedere opinatur, nihil definiens de Mitris ex lino, vel serico albo, an in usu fuerint.

Antonius Bellotte in suis *ad Ritus Ecclesiæ Laudunensis Redivivos, à pag. 87. & seqq.* Quæstionem & ipse proponit, & pro utraque sententia expendit rationes, in partem tamen Baronii inclinans in antiquum Mitræ usum descendit. Hoc idem faciunt Bartholomæus Gavantus in suo Opere ad Rubricas Missalis Romani par. 2. tit. 1. §. 1. exemplaque addit Mitræ Sancti Silvestri, & aliorum antiquorum Episcoporum, de quibus nos infra agemus. Idem præstant inter alios nostri ævi Scriptores Edmundus Martene in Opere *De antiquis Ecclesiæ Ritibus lib. 1. cap. 4. n. 14, & seqq.*, usque ad 16: ac tandèm Dominicus Georgius, in lib. 2. *De Liturgia Romani Pontificis cap. 19. & seqq.* Martene autem, expensis pro utraque parte rationibus, cum Cl. V. Mabillonio existimat, usum Mitræ reverà in Ecclesia semper fuisse: sed non quibusvis Episcopis, absque Sedis Apostolicæ concessione, licuisse.

Utramque autem sententiam ita conciliare studuit Eminentissimus Cardinalis *Bona* in Tract. 3. *De apparatu Missæ lib. 3. cap. 24.* §. 14, ubi, expensis utrinque rationibus, existimat, teneri posse, ut videlicèt dicamus, *Mitram, qualis hodie est, merum ornamentum esse, vix ante annum Christi millesimum in Ecclesia notam: negari tamen non posse, quin ab Apostolorum usque temporibus aliquod capitis ornamentum fuerit, quo, si non omnes, aliqui saltèm Episcopi usi fuerint*. Et reverà, quod extent exempla Mitræ bicornis, depressioris tamen formæ, ante Sæculum Christi millesimum, proferri, difficile admodum est demonstrare. Ughellius Ital. Sacræ, ubi de Episcopis Anconitanis exhibet monetam argenteam, in qua, ex una parte conspicitur effigies Sancti Cyriaci Episcopi Anconitani Mitrata, cum titulo PPS QVIRIACVS, in postica verò circum Crucem, DE ANCONA. Alteram ferè similem exhibet tom. 2. de Episcopis Ariminensibus, in qua adest Mitrata effigies S. Gaudentii, qui in ea Sede floruit anno Christi 359, ubi legitur PPS. GAVDENTIVS, in postica verò, ubi & Crux in medio, DE ARIMINO. Nam hæc, & alia hujusmodi Numismata percussa fuisse constat, non ante Sæculum XII, ut norunt omnes eruditi, & præcipuè apparet ex characteribus Gothicis, qui in Italia nonnisi post Sæculum sextum accepti fuerunt. Nec etiam ad id probandum valet aliud monumentum marmori, opere Anaglyphtico, sculptum supra portam majorem Basilicæ Ravennianæ, quod æri incisum exhibetur à Cl. V. Muratorio to. 2. Rerum Italicarum pag. 198. in duabus tabulis delineatum, in quo spectatur memoria Consecrationis ejusdem Ecclesiæ S. Joannis Evangelistæ, tempore Sancti Barbatiani Presbyteri, qui floruit anno Christi 425. sub Valentiniano, & Placidia. Ubi inter cæteras Imagines stat Episcopus Mitram capite gerens: Sed has diù post sculptas fuisse, nec referri posse ad ipsa Placidiæ, & Valentiniani tempora, certum est, & eo potissimum argumento, quod inter cæteras musivi operis elaboratas, horum principum jussione (quas delineatas exhibet Ciampinius to. 2. Vet. Monimentor.) nulla conspiciatur Episcopi Mitrati Imago.

Quæstio itaque absolvenda videtur juxta sententiam Cl. V. Mabillonii, cui ultrò subscribunt laudatus Martene, aliique Scriptores. Ille namque in Præfatione ad Sæculum IV. Benedictinum §. 182. ait: *Apud latinos, Episcopi non pauci, ante omnium hominum memoriam, Mitrâ usi sunt, ut testantur veteres non solùm icones, sed etiam Auctores, nam S. Ludgerus Mitra perpetua usus est*: floruit enim hic sanctus Episcopus Monasteriensis sub Carolo Magno, ac decessit anno Christi 809, ut ex Baronio in Notis ad M. R. 26. Martii: & quoad peculiaris concessionis indultum, adest privilegium S. Leonis PP. IV. (qui sedit anno 847, qua Anschario Episcopo Hamaburgensi, ejusque Successoribus, præter Pallium, tribuit etiam *ornari caput Mitra, & portari ante ipsum Crucem: quod argumento est* (inquit Mabillonius) *id non cuivis Episcopo citra privilegium licuisse*. Subdit verò, codem privilegio decoratos fuisse Episcopos Trajectenses ad Rhenum à sæculo octavo, quamvis eà Mitra usi non fuerint, nisi ex aliâ concessione impertita illis ab Alexandro Pa-

pa

pa III. Et hoc refert Chronicon Belgicum Joannis à Leydis, & Joannis de Beka lib. 4. c. 2. ubi legitur: *Trajectenses ad Rhenum Episcopos, saltem à Sæculo Octavo, ad XII. decoratos Mitrâ; nec ea usos fuisse, sed, quemadmodum Abbates, longo tempore, Missam celebraverunt sine Infula, idest Mitra Episcopali, usque videlicèt, ad tempora Eodualdi, sive Godevaldi Episcopi, de quo lib. xvi.* Causa tamen tantæ dilationis Mitræ gestandæ, quam idem Chronicon paupertati tribuit Ecclesiæ Trajectensis, rejicit Mabillonius: eamque potiùs existimat extitisse, quòd de speciali Summi Pontificis concessione non constaret: *Quod autem author iste rejicit in Trajectensis Ecclesiæ inopiam, id referendum puto in antiquum morem, quod non omnibus, citra privilegium, Episcopis Mitræ usus competeret.*

Hæc circa quæstionem hanc fusiori forsan, quàm oportebat calamo, duximus explicanda, ut sicuti apparet, Privilegium utendi Mitra jam à Sæculo Octavo concessum fuisse à Romano Pontifice Episcopis, à fortiori magis eluceat, ipsum Pontificem Mitrâ quoque usum fuisse; non enim tam decorum capitis ornamentum Episcopis sibi inferioribus concessisset, nisi & ipsemet illo ipso uteretur.

Fateri tamen cogimur, ante Sæculum Nonum in Urbe nullum documentum haberi, quo probari possit usus Mitræ in Romano Pontifice ex Imaginibus antiquioribus Pontificum, opere musivo pictis in Absidis veterum Basilicarum, ubi sine Mitra cernuntur, & præcipuè in antiquiori Serie ipsorum depicta in Basilica S. Pauli Viæ Ostiensis: Sed hoc nihil omninò probat: Nam, ut etiam alibi animadvertimus, cum hujusmodi tum pictæ, tum musivi operis effigies, effictæ fuerint, tamquam circumvallantes, ac stipantes Imagines Sanctissimi Salvatoris, in medio ipsarum expressæ, non decebat illas ullo capitis ornamento exornatas exprimere.

Usum Mitræ tamen initium habuisse in Ecclesia tempore S. Silvestri Papæ, cum Magni Constantini munificentiâ Ecclesiasticorum Ministrorum, & præcipuè Summi Pontificis decor, & majestas explicari cœpit, & augeri ornamentis insignibus, Hoc firmant plures Scriptores, & præcipuè Innocentius PP. III. in Sermone de S. Silvestro PP. At hoc pro certo teneri nullatenus potest, cum producatur ex Donatione Constantini (de qua nobis erit sermo Capite sequenti, occasione Tiaræ, seu Regni) nam hæc donatio certissimè conficta, & falsa probatur, cui inhærent Scriptores supra memorati. Nonnulli verò id astruunt exemplo Mitræ ejusdem S. Silvestri Avenione Romam delatæ, *& ab Eugenio IV. Papa solemni pompa, translatæ in Lateranensem Basilicam, teste Platina in Vita hujus Pontificis: necnon media ex parte alterius Mitræ, quæ asservatur, & colitur inter Reliquias Tituli S. Martini in Montibus. De utraque loquitur Fr. Angelus Rocca Episcopus Tagastensis Sacrarii Pontificii Præfectus to. 2. suorum Operum edit. Rom. 1719. capta occasione Imaginis S. Gregorii Magni, olim à Joanne Diacono in ejus Vita descriptæ, ac nullo capitis ornamento fulgentis: ubi ait: *De Mitra verò, qua usus est Beatus Silvester, Platina loquitur in hunc modum: Eugenius S. Silvestri Mitram Avenione delatam ipsemet è Vaticano in Lateranum detulit. Hæc Platina. Nunc autem medietas ejusdem, aut alterius Mitræ S. Silvestri, ad S. Martinum in Montibus inter Reliquias custoditur.* Et post plura in hujus Mitræ partem congesta, illam describit (quam & nos non semel vidimus) scribens: *Medietas verò Mitræ S. Silvestri holoserica, non villosa, viridis coloris est, in qua B. Virginis imago filium in gremio gestantis, rudi tamen arte, picta cernitur, puerulis alatis, ac Stellulis circumsepta*, ac pag. 379. ejusdem prospectum æri incisum exhibet spectandum, quæ altitudinem palmi unius non excedit. Ejus quoque formam, & figuras acupictas describit Gavantus. At de Mitra Avenione delata oritur dubium, an reverà esset Mitra Sacerdotalis, sive Episcopalis, an Tiara Pontificia, nam Spondanus in Continuatione Annalium Baronii ad an. 1485. n. 1. expressè declarat: *Quam Regnum appellant*: (ex quo magis suspicio de ejus veritate) quæ S. Silvestri fuisse ferebatur. Subinde narrat, illam sub Innocentio Papa VIII. ex eadem Constantiniana Basilica furto sublatam fuisse, necnon duos Calices aureos magni ponderis, quos Ludovicus XI. Rex Galliarum, & Ferdinandus Neapolitanorum Rex eidem Basilicæ donaverant, *eamdem Mitram, quam Regnum appellant, quæ Sancti Silvestri fuisse ferebatur, surreptam, eumdemque Pontificem inquiri jussisse, nec tamen tanti sceleris auctores inveniri potuisse.* Ex hoc itaque testimonio liquet, eam partem Mitræ, quæ asservatur modò in Titulo S. Martini in Montibus, esse non posse partem ejusdem Mitræ Avenione delatæ, nec invenitur ibidem memoria authen-

thentica ejus antiquitatis, nec temporis a quo in ea Ecclesia colitur.

Neque certiores reddimur de usu Mitræ penes S. Silvestrum, testimonio antiquissimæ tabulæ, quæ servatur inter Sacra Basilicæ Vaticanæ eymelia, & cultui fidelium exponitur: quæ ostensa fuisse fertur ab ipso Pontifice Constantino Augusto, ut deprehendere posset, num Apostoli Petrus, & Paulus ejus formæ, & figuræ essent, quibus depictæ erant in ipsa tabula. In ea igitur, sub Imaginibus Apostolorum cernitur pictus quidam Pontifex Casula indutus, & Pallio Crucibus exornatus, stans atque benedictionem impertiens alteri immagini in genua provolutæ, capite vero Mitram gestat, infulis ex ea dependentibus; in ejusdem quoque sinistro latere alia stat imago pariter Mitra redimita bicorni. Sed primò vix credi potest, in ipsa tabula, quando oblata fuit Constantino, depictam adstitisse Imaginem S. Silvestri benedicentis vel ipsum Constantinum, vel aliam Regalem personam, uti apparet. 2. clare conspicitur, ipsam tabulam adeo esse vetustate fuscatam, ut vix deprehendantur Imagines Apostolorum, reliquæ vero, quæ minutioris schematis sunt, ferè nihil perspiciantur, sicuti clare expressæ videntur in exemplaribus, vel pictis, vel ære incisis. Unde in suspicionem vertimur has inferiores Imagines, post Silvestri tempora, superadditas fuisse ad rei memoriam servandam. Neque aliquid roboris, ad astruendum usum Mitræ vel in S. Silvestro, vel in ejus sacris Ministris, conferunt aliæ picturæ, quæ videntur depictæ in Sacello eidem Pontifici dicato prope Titulum SS. IV. Coronatorum in Monte Cælio, quas nonnulli ineruditi ad eamdem ætatem falsò referunt, cum revera antiquitatem non excedant sæculi XIII.

Lux vero aliqua fulget, Romanum Pontificem Mitra usum fuisse sæculo V. Celebre namque est in Historia Ecclesiastica, tum apud Latinos, tum Græcos etiam scriptores, S. Cælestinum Papam I., cum indixisset celebrandum in Oriente Concilium Generale Nicænum II. anno 430. atque suum Legatum Apostolicum, qui suo nomine in eo præsideret, constituisset Cyrillum Alexandrinum, Virum sane egregià sanctimonia præditum, & eximia rerum Divinarum scientia imbutum, eidem dono misisse *Phrygium*, quo uteretur in celebratione Concilii, & in sacris solemniis celebrandis, more ipsius Romani Pontificis. Baronius ad annum prædictum hoc verbum Phrygium interpretatus est pro *Pallio*.

At cuncti posteriores Scriptores in hoc hallucinatum fuisse Baronium, scitè observant, cum Cælestinus reverà Cyrillo transmiserit non Pallium, sed *Mitram*, (quæ Phrygium quove appellabatur, eo quod opere phrygio, nempe vulgo *Riccamo*) exornata erat.) Hoc etiam Spondanus in Compendio Annalium ipsius Baronii, adductis aliorum auctorum sensibus: & ex hoc singulari privilegio concesso Cyrillo, Episcopos Orientales infert usum Mitra non habuisse; *Ait enim quod Phrygium à Cælestino missum Cyrillo videtur potius de Mitra intelligendum, quemadmodum Nicephorum, sed ejus interpretem, accepisse vidimus*: Sic enim &c. Subinde transit ad interpretationem Phrygii acceptam apud Græcos, pro Loro, ex Actis S. Silvestri, & Donationis Constantini, dist. 96. & post plura addit: *Quod vero Nicephorus addit, hinc usum Mitræ, & Papæ appellationem, ad successores Alexandrinos pervenisse: indè jam colligas, & priscos illos Episcopos Orientales Mitra uti minime consuevisse (quibus nec facile antiquas eorum picturas ornatas invenimus, sicut erat Occidentalibus adeo fuisse communem, aut sane Mitram, qua Romanus Pontifex uteretur augustiori forma præstitisse. Denique sicuti Baronium non rectè Phrygium accepisse pro Pallio diximus, ita & Græci lapsi videntur, cum Phrygium Lorum interpretati sunt, quod magis humeris, quàm capiti convenire noscitur, de quo vide Bulenger. lib. 1. de Vest. Pontif.*

Auctoritate itaque arguentium Baronium scriptorum, utique constat, Cælestinum Papam I. Mitra usum fuisse, quam Cyrillo Alexandrino suo Legato Apostolico deferendam in Concilio transmisit. Certum tamen est, sequioribus sæculis, & Theodorum Balsamonem Græcum scriptorem confundere *Tiaram*, & *Mitram*, missam a Cælestino ad Cyrillum, ut observat Goar in lib. Ritualem Græcorum; qui Balsamon vixit sæculo XI., & id sequutos esse alios sæculi XII. latinos, elegantem, ac latinam phrasim minime servantes, ut observat Du-Cangius in Lexico mediæ, & infimæ latinitatis verbo *phrygium*: ubi plura affert exempla de Phrygio, accepto pro Tiara Pontificia, seu Corona exornata.

Non diù post S. Cælestinum, nempè anno Christi 440., creatus est Pontifex S. Leo PP. I. & hunc nonnulli (æquivocè tamen) Mitra usum fuisse autumant: nam cum

cum observatum fuerit ejus Sacrum Corpus in Basilica Vaticana, anno 1607. die 20. Maji, eam Inventionem referens Joannes Severanus in suis additionibus ad Romam Subterraneam Antonii Bosij, lib. 2. cap. 6. pag. 90. ait: *Stava questo Santo Corpo colle mani piegate, coperte sotto la Pianeta, ed in testa aveva la Mitra*. Sed hoc asseruit, porrò, innixus auctoritati Jacobi Grimaldi, qui, cum idem sacrum Corpus antea detectum fuisset, electus, & constitutus Notarius ad conscribenda Acta ejusdem Inventionis, inspecto Sacro Corpore, inter cætera, ubi de ejusdem capite, sic retulit: *Caput consumptum erat in plura fragmenta ossium, & denigratum: conspiciebantur Pontificiæ Mitræ reliquiæ ob vetustatem laceræ, & offuscatæ*. At, cum anno MDCCXIV. denuo detectum fuisset hoc sacrum pignus, (aliis vicibus omnino intactum relictum, in ipso loculo, in quo antiquitus depositum fuerat) jussinne san. mem. Clementis PP. XI. iterum observatum fuit a Præsule Francisco Blanchinio attentius, ejusque status, & forma adamussim descripta. Hic statim, pluribus adstantibus testibus, primo aspectu æquivocationem Grimaldi detexit: quam postea relationem inseruit Operi suo in opus Anastasii Bibliothecarii, inter notas ad Vitam ejusdem S. Leonis I. Papæ: *Tom. igitur 3. sect. 63. pag.* 159. in rem nostram, post relatum Grimaldi textum, sic ait: *In imagine autem in notis* (idest Grimaldus) *delineatum exhibet caput integrum S. Pontificis, Papali Mitra rotunda contectum: sed in descriptione emendat graphii excursum: nam apertè declarat, caput S. Leonis consumptum fuisse, & in Ossium frusta redactum (ut nos vidimus) nulla rotunda Mitra, seu Regno, ut bolle vocant, super illa frustula ossium apparente, sed tantummodo plicis velamentis circa verticem flexis, & ascendentibus ex eodem sinu vestium, quæ utrumque humerum, ac pectus velant*. Subinde pag. 161. exhibet æri incisum ejusdem Sacri Corporis conspectum, ea ipsa forma, qua jacet, additis etiam subrubeis, nigrisque coloribus, quibus totum Corpus apparet aspersum.

S. Paschalis Papa hujus nominis primus, qui sedit anno Christi 817. cum ex cœmeterio Prætextati Corpora SS. Martyrum Cæciliæ, & Sociorum ejus, necnon Pontificum Urbani, & Lucii Mart. reposuisset in Ecclesiam eisdem S. Virgini dicatam, quam vetustate satiscentem noviter construxit, ac exornavit, eorumdem Sanctorum Imagines exprimendas curavit, & primum SS. Cæciliæ Valeriani, ac Tiburtii, necnon & Urbani marmoreas, stantes supra 4. columnas angulares Aræ maximæ. Verùm ea, quæ refert S. Urbanum, caput habet Tiara, unica Corona conspicua insignitum. Similiter in fronte porticus, præ foribus Sacri illius Templi, eorumdem Sanctorum Icones exhibuit Opere Musivo elaboratas in zophoro, seu fascia, quæ super columnarum epistylia extendirur, sed has inter, etiam S. Lucii Pontificis effigiem. At hujus, & Sancti Urbani Icones capite præseferunt figuram Mitræ acuminatæ (non vero Tiaræ) fere rotundæ, & coronatæ, ut in alia supradicta Sancti Urbani marmorea. Et id argumento est, has Imagines ideo talibus ornamentis decorasse, non quod revera iidem Pontifices, suis temporibus, illis usi fuerint, sed tantum, ad ostendendum more ævi sui, quo Summi Pontifices talibus utebantur, nempe Tiarà coronata, atque Mitra.

Quod verò initio sæculi IX., paulo ante Paschalem Papam, in usu fuisse Mitram penes Romanos Pontifices, dubitare minime nos sinit allatum paulo antea ex Mabillonio exemplum S. Ludgeri Episcopi Monasteriensis, cum id honoris alicui Episcopo non concederetur, nisi ex privilegio Romani Pontificis; ut etiam apparet, non diu post S. Paschalem de anno 847. quo, Episcopo Hamburgensi Mitra missa fuit a S. Leone PP. IV.

Usque ad initia sæculi XI. constat, raras admodum extitisse concessiones usus Mitræ a Summis Pontificibus factis Episcopis: frequentiora tamen occurrunt exempla ab anno 1049. quo sedit S. Leo IX. & sequentibus. Cum enim Romam accessisset Eberhardus Archiepiscopus Trevirensis, suppliciter postulavit, ut ipse Leo veteres sibi Primatus honores, Decretis Apostolicis, dignaretur instaurare. Pontifex in Laterano jura Trevirensis Ecclesiæ, die Dominica Passionis, pro Concione recitari jussit: Cumque ab omnibus acclamatum fuisset, id jure Antistitem deposcere, Pontifex ipse Eberhardum *Mitrà Romana* decoravit, eamque voluit, ut tum illi, tum successoribus esset Primatus Insigne: subindè in frequenti alio Episcoporum conventu, ibidem coacto, privilegia ipsa amplissimo Diplomate confirmavit, in quo præter alia, sic habetur (*apud Brouver. in Annolib. Treviren. ad an.* 1049.) *Quapropter, omnibus ipsis laudantibus, & respicientibus, pro investitura ipsius Primatus*

matus

matus Romana Mitrâ caput vestrum insignivimus, quâ & Vos, & Successores vestros in Ecclesiasticis Officiis, Romano more, semper utamini, semperque Vos esse Romanæ Sedis discipulos reminiscamini. Quibus ex S. Leonis verbis duo se offerunt consideranda: primùm, usum Mitræ etiam ante tempora illa, tam proprium extitisse Romani Pontificis, ut titulo denominaretur *Mitra Romana*: alterum, quòd, ex dignatione speciali ipsius Romani Pontificis, Episcopo alicui concederetur, tamquam speciale Insigne, seu Tessera ejusdem communionis cum ipsa Ecclesia Romana.

Incertum tamen est, à quo Pontifice, & quo tempore, hoc privilegium Mitræ ad cunctos Orbis Christiani Catholicos Episcopos fuerit extensum. S. Bruno Episcopus Signinus, qui floruit anno 1105. videtur innuere in *libro de Sacramentis Eccl. & Mysteriis*, jam suo tempore in usu fuisse omnibus Episcopis. Ait enim: *Mitra, quæ linea est Castitatis, odorem, munditiamque significat ... Hoc autem ornamentum multum erat capiti necessarium, quia ibi sunt quinque corporis sensus, quibus corruptis, facilè Castitas violatur. Mox nè ergo sensus corporis Episcopi violentur, meritò Mitrâ Castitatis ejus caput ornatur*.

Sanctus quoque Bernardus Abbas, qui floruit eodem Sæculo, obiitque anno 1153. in sua Epistola, seù potiùs Tractatu, ad Episcopum Senonensem, asserit, Mitram esse Dignitatis tantùm Episcopalis proprium ornamentum. Capite namque IX. ejusdem Epistolæ acritèr invehitur in Monachos, qui tum prece, vel etiam pretio usum Mitræ, ac Pontificalium, & privilegia captabant: *Per ipsa* (ait) *sibi vendicant Insignia Pontificalia, utentes & ipsi, more Pontificum, Mitrâ, annulo, atque sandaliis*: & paulò post subdit: *Sanè si attendatur rerum dignitas, hanc abhorret professio Monachi; si ministerium, solis liquet Episcopis*.

Ex his tamen SS. Brunonis, ac Bernardi sensibus, non tam clarè liquet, cunctis Episcopis usum Mitræ generalitèr extensum fuisse: Nam idem sanctus Doctor in Vita Sancti Malachiæ Episcopi Hiberniæ (qui anno 1137. ut ex Baronio) Romæ perbenignè acceptus est ab Innocentio Papa II. testatur, ipsummet Pontificem è suo proprio capite detractam Mitram, capiti S. Malachiæ imposuisse. Si namque eo tempore usus Mitræ cunctis Episcopis jam concessum fuisset, non singulare extitisset paternæ Pontificiæ in sanctum Virum dilectionis argumentum. Nihilominùs non constat, quo anno sanctus Doctor eam Epistolam ad Senonensem Episcopum scripserit, nam, post ordinationem Sancti Malachiæ, annos supervixit sexdecim, &, post Innocentium II. alii quatuor sederunt Pontifices, nempè Cœlestinus II, Eugenius III, atque Anastasius IV, cujus ætate Sanctus Bernardus in Cœlum migravit, nempè anno Christi 1153. Undè meritò suspicari licet, ab aliquo ex relatis Pontificibus, vel Decreto, vel vivæ vocis oraculo (quod tamen minimè reperitur) usum Mitræ ad omnes, vel saltèm ad alicujus Provinciæ Episcopos, extensum fuisse.

Nostræ verò hujus suspicionis haud leve indicium præbet ejusdem ævi documentum. Beneventanæ Metropoliticæ Ecclesiæ valvæ spectantur æneæ, quas Pompejus Sarnellus Episcopus Vigiliensis, sacrarum antiquitatum cultor eximius, existimat constructas fuisse anno Christi 1150, ut apparet ex Inscriptione ipsarum. Harum formam æri sculptam profert delineatam Ciampinus to. 1. Veter. Monimentorum, cap. 10. Plurimas inter Imagines, quibus valvæ ipsæ exornantur, extant quinque supra viginti Episcoporum Suffraganeorum ejus Archidiœcesis, (totidem namque tum Archiepiscupus Beneventanus Episcopos suffraganeos enumerabat) & unaquæque earum indumentis Pontificalibus exornata est, & Mitram capite gerit, fulgetque Pluviali aperto super Albam, & baculum manu gestat Pastoralem, apposito unicuique suo titulo, ac nomine propriæ Sedis. Cùm itaque etiam sub Alexandro PP. III, qui sedere cœpit anno 1159. adhuc esset privilegium singulare deferendi Mitram apud Episcopos, non videtur hoc singillatim concessum omnibus Suffraganeis Beneventani Archiepiscopi, immò potiùs communitèr, ab aliquo præcedentium Romanorum Pontificum, vivæ vocis oraculo, fuisse permissum.

Nam quoad Alexandrum III, qui sedit ab anno 1159. usque ad 1181, legitur concessisse usum Mitræ Godevaldo Episcopo Trajectensi, ejusque Successoribus cum hac formali expressione (ut habetur in Chronico Belgico: *Episcopalem Mitram Tibi, tuisque Successoribus deferendam concedimus*.

Tandèm Papa Innocentius III, qui sedere cœpit anno 1198. inter cætera ornamenta Episcopalia, Mitram quoque enumerat: ex quo apparet, tunc jam cunctis Episcopis fuisse concessam; ait namque lib. 1. de Sacrificio Missæ, cap. 10. *Novem autem*

K *sunt*

sunt ornamenta specialia Pontificum, videlicèt Caligæ, Sandalia, Succinctorium, Tunica, Dalmatica, Mitra, Chyrothecæ, Annulus, & Baculus.

Ex hac igitur antiquissima consuetudine Romani Pontificis indulgendi usum Mitræ Episcopis, manifestè deducitur, & ipsum Pontificem, eo ipso ornamento usum fuisse, non enim inferioribus Episcopis concessisset, nisi, eodem quoque, tamquam Episcopus Episcoporum usus esset.

Quo verò ad hoc privilegium, gestandi Mitram, extensum à Romano Pontifice ad Abbates, & Regulares, C. V. Mabillonius in Præfatione ad Sæculum V. Benedictinum §. IV. nullum eo vetustiùs esse putat, quo Alexander PP. II. (circa annum 1061.) decoravit Elegesinum Abbatem Monasterii Sancti Augustini propè Cantuariam, *ob ipsius* (ut in eo legitur) *scilicèt Romanorum Alumni, & Anglorum Apostoli dignitatem*. Non inficiatur tamen proferri à nonnullis antiquiora exempla quorumdam Abbatum, quibus Pontificalium ornamentorum, adeoque & Mitræ deferendæ, privilegium longè ante Sæculum idem concessum legitur. Hæc inter, enumerandum nobis videtur, quod refert Eruditissimus P. Angelus de Nuce in suis Notis ad lib. 4. Chronici Casinensis, concessum Abbati Monasterii Bobiensis, ubi ait: *Abbati verò Bobiensi, ab anno 643. Indultum à Theodoro Pontifice Privilegium Mitræ, aliorumque Pontificalium, & benedicendi populo in Missa, testatur ejusdem Pontificis Bulla*: nihilominùs, ipse Scriptor asserit, idem concessum antea fuisse ab Honorio PP. I, qui sedit anno Christi 626. ante Theodorum. Hæc tamen, & alia exempla ante annum 1061. indicat Mabillonius, non esse adeò explorata. Observat quoque idem Pater Angelus à Nuce, Urbanum II, qui fuit Pontifex anno 1088. in Chronico Casinensi lib. 4. c. 17. Abbati Casinensi Oderisio usum *Compagorum* (idest Caligarum) Chyrothecæ, Dalmaticæ, & Mitræ concessisse: Nihilominùs constare ex eodem Chronico libro 3, & alibi, Abbatem Casinensem, multo jam antea, horum usum habuisse, ac dignitatis Pontificalis.

Hoc tamen Privilegium, quod Sæculo XI. particulare fuit, postea commune evasit cunctis Abbatibus: quo super argumento videsis insignem Tractatum Tamburrini Ordinis S. Gualberti, cujus titulus est: *De Jure Abbatum* to. 1. Disp. 20. q. 1. & seqq. ubi reperies concessiones variis temporibus factas à Summis Pontificibus, Abbatibus, & Canonicis Regularibus diversarum Religionum deferendi Mitram Episcopalem.

Cum verò sub Clemente PP. IV. (circa annum 1265. quererentur Episcopi, quòd frequenter Abbates, qui Conciliis, a Synodis interesse debebant, Mitras pretiosiores, magisque exornatas deferrent, quàm Episcopi, ac proindè à rudioribus, tamquàm majoris auctoritatis, ac dignitatis celebrarentur; Hinc Pontifex decretum emanavit, quod postea à Bonifatio VIII. relatum fuit in 6. Decretal. Tit. 7. in Cap. Apostolicæ, cujus tenor est: *De Fratrum nostrorum consilio, præsenti Decreto statuimus, ut Abbates, & alii, quibus Mitræ usus est ab eadem Sede concessus, exempti quidem, in Provincialibus Conciliis, & Episcopalibus Synodis, quibus nonnulli eorum interesse tenentur, Mitrâ tantummodo aurifrigiata, non tamen aureas, vel argenteas laminas, aut gemmas habentes, uti possint. Non exempti verò, simplicibus, & albis, ac planis utantur. In aliis verò locis, exemptis, & non exemptis Mitris, liceat illis uti, prout concessa eis ab eadem sede indulta permittunt.*

Gavantus in Commentariis ad Rubricas Missalis Romani part. 2. tit. 1. De præp. Sacer. celebraturi, n. 6. ex traditione aliorum Scriptorum, indicat ante annum Christi millesimum a Silvestro PP. II. concessam fuisse Mitram Abbati S. Savini Placentino, & a S. Leone IX. (circa an. 1050. Abbati S. Justinæ Patavino, ac diplomata Placentiæ, ac Patavii servari. Eodem quoque sæculo, constat Urbanum Secundum (ut ex paulo antea dictum est) Abbati Oderisio *Usum Compigorum (idest Caligarum, & Chyrotecæ, Dalmaticæ, & Mitræ concessisse)*. Verùm laudatus a Nuce in Not. ad lib. 4. cap. 17. ait Abbatem Casinensem multo jam antea horum usum habuisse, ac dignitatis Pontificalis, ut constat ex eodem Chronico lib. 3. & aliunde. Hoc itaque privilegium, quod sæculo XI. peculiare fuit, postremis temporibus ferè commune cunctis Abbatibus evasit; quo super argumento insignis est Tractatus *Tamburrini Ord. Sancti Gualberti* sub titulo *De Jure Abbatum n. 1. Disputat. xx. quæst. 1. & seqq.* in qua retulit speciales concessiones variis temporibus factas a Summis Pontificibus diversorum Ordinum, & Religionum Abbatibus, & Canonicis Regularibus usus deferendæ Mitræ Episcopalis.

Remanet tandem inquirendum tempus, quo S. R. E. Cardinales privilegio deferendi Mitram donati fuerint a Summo Pontifi-

tifice. Post alios plures de Cardinalium dignitate scribentes, Jacobus Cohellius in *Notitia Card. cap. xi. pag.* 159. tradit, hanc Dignitatem privilegiis, & honoribus a Constantino Magno decoratam fuisse, eosque evectos, ac subrogatos in locum Senaturum Romani Imperii: At quamvis, par sit credere, ex munificentia, ac pietate tanti Principis hæc, & alia processisse; Nihilominus cum hæc, & alia hujusmodi desumpta noscantur, ex fabulosa donatione ejusdem Constantini, nihil præseferunt auctoritatis; nam Cardinales, quoad externam majestatem, & pompam, ac habitus splendorem, & apparatum, nihil iis auctum fuisse constat, quo prioribus, & antiquis sæculis comparari potuerint Senatoribus Romani Imperii: nam certum est hujusmodi Patres, præter jus eligendi cum Clero Summum Pontificem, ejusque esse Consultores, nonnisi Titulares Urbis Ecclesiarum, nempe Curæ animarum administri, sive Diaconalium rectores, extiterunt, quo super argumento plura collegimus in nostri *Thesauri Parochorum tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 33. Ex hac igitur Cardinalium tenuitate tot schismata emerserunt, fere usque ad medietatem sæculi XI., non valentes Virorum præpotentium in Urbe conatibus resistere: itaut ipsi Cardinales sæpe cogerentur in Pontifices eligere, vel confirmare quoscumque ii voluissent, etiam indignos, turpesque homines, nè schismata orirentur. Miserabili tandem Ecclesiæ statui misericordia commotus Dominus, post Gregorium VI. primùm Clementem II. mox Damasum II. Episcopos Germanos eligi in Summos Pontifices voluit, & post eos S. Leonem IX. similiter Germanum, & Episcopum Tullensem anno 1049. Hic, porro Dei nutu, Cardinalatus Dignitatem conferre cœpit Episcopis aliarum Ecclesiarum, ac Viris Principibus, qui natalium splendore, ac potentia & aucturitate Ecclesiam Romanam contra quoscumque conatus tueri valerent, eisque Titulares Urbis Ecclesias attribuit, illarum actuali animarum cura in alios inferiores Presbyteros rejectâ: adeoque, ex tunc, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales eminere cœperunt, exteriori etiam Majestate exornati, ac præsentia dignitatis, itaut cunctorum Episcoporum, Primatuum, & Patriarcharum jura transcenderint, ac tot honoribus, ac privilegiis decorati, ut Regibus ipsis meritò comparari valeant, quare, ex tunc, Cardinalatus dignitas elevari sit cœpta, ut a summis etiam Principibus Viris exoptari cœperit, nam tunc evaserunt Summi Pontificis Consiliarii, & Collaterales, quorum consilio Pontifex disponeret, & gubernaret Universalem Ecclesiam: quæ omnia decora, post S. Petrum Damiani in Epistola ad Cardinales, necnon S. Bernardum lib. 4. c. 4. de Consideratione ad Eugenium III., declaravit Eugenius PP. IV. in sua Constitutione xv. §. 14. ubi, post plura, sic ait: *Quis non videt Cardinalatus dignitatem Archiepiscopali esse majorem? quia, cum illa privatæ unius patriæ præsit utilitati, ista publicæ totius populi Christiani: illa unam dumtaxat regit Ecclesiam; ista, cum Sede Apostolica, universas: & cum a nemine, nisi solo Papa judicantur Cardinales, ipsi & Patriarchas, & Archiepiscopos, & reliquos Ecclesiæ gradus, cum Summo Pontifice judicant*: & paulo post declarat, quod ipsi Cardinales, quamvis assumantur ex Ordine Episcoporum, tamen eos, non Episcopos, sed Presbyteros S. R. E. Cardinales Sedes Apostolica appellat.

Hæc explicata volumus ad ostendendum, quàm meritò Cardinalibus, etiam non Episcopis usus Mitræ fuerit attributus. Non perspicuè tamen ex historia Ecclesiastica apparet, quo tempore, vel a quo Pontifice hoc insigni donati fuerint: at probabili conjectura tenendum esse patet, iisdem Mitræ usum delatum fuisse ab ipso initio eorum elationis, nempe vel sub Clemente II. qui aliquot Episcopos, & exteros Cardinales, vel saltem initio Pontificatus S. Leonis IX. & hoc nè Cardinales S. R. E. quid minus majestatis, ac decoris præseferrent, quàm cæteri Episcopi, qui Mitrâ, quamvis ex privilegio Sedis Apostolicæ, utebantur.

Constat etiam sæculo XII. Pontificem creasse Cardinales, per Mitræ impositionem capiti eorum. Nam Cælestinus III. qui sedit anno 1191. (ut narrat Ægidius de Aurea Valle in Hist. Episc. Leodien. cap. 6.) hac ipsa forma instituit Cardinalem Albertum Ducis Lotharingiæ germanum fratrem electum in Episcopum, in Subdiaconali tantum ordine constitutum. Cum enim nollet ab Henrico Quinto Imperatore Investituram accipere, ac proinde alius fuisset electus, ipse ut Jura Pontificis tueretur, declinatis insidiis Imperatoris, Romam ad Cælestinum accessit. Pontifex verò, discussâ in Curia sua Canonica electione Alberti, juvenem summo amore complexus, illum S. R. E. Cardinalem creavit, modus autem ab eodem Scriptore, sic indicatur: *Cui gratiæ ejus, ut addatur major, constituit cum Summus Pontifex S. R. E. Cardinalem, & impo-*

poſitâ Mitrâ capiti ejus, inter Cardinales ſummos eum fecit conſiſtere: & paulo poſt: *Cumque Subdiaconus tantum eſſet, in proximo Sabbatho ſolemnis jejunii quatuor temporum, quod in Pentecoſte celebratur, ab eodem Pontifice Diaconus eſt ordinatus, & eo, jubente in ſolemniis ejus Miſſæ legit Evangelium*. Fere incognitus poſtea Rhemos pervenit, declinatis inſidiis ſibi ab Imperatore in itinere paratis, ibi primum Presbyter, mox Epiſcopus conſecratus eſt, mox, non diu poſt, jam exul a ſua ſede, innumeris pro Eccleſiæ libertate exhantlatis ærumnis, a Sicariis Henrici, extra Urbem illam, ſibi inflictis vulneribus, ſpiritum Deo reddidit, relictis ſanctitatis ſuæ, fortitudinis, & egregiæ virtutis documentis.

Refert Petrus Frizonius in ſua *Gallia Purpurata* lib. 2. pag. 112. Ubi agit de Godefrido Vindonicenſi Card. Tit. S. Priſcæ, creato ab Urbano II. anno 1090. Alexandrum PP. II. de anno 1062. ſpeciali privilegio conceſſiſſe, ut ſtatim, ac quis crearetur Abbas Monaſterii Vindonicenſis, abſque alia Pontificis declaratione, cenſeretur Presbyter Cardinalis Tituli S. Priſcæ in Monte Aventino Urbis: Cumque hujus privilegii documenta, vel ignorantiâ, aut alio fato defeciſſent, unà cum poſſeſſione, reſtitutum hoc Jus illi fuiſſe ab Innocentio PP. III. Hamelino eo tempore Abbati, & hoc conſtare ex ejuſdem Pontificis litteris eidem Abbati datis: in quibus ait: *Nos vero tuo honori volentes deferre, ex conſueta Sedis Apoſtolicæ benignitate concedimus, ut dignitatem, quam anteceſſores tui ex conceſſione ipſius Sedis Apoſtolicæ ſunt adepti, tu & ſucceſſores tui, nihilominus habeatis Sandaliorum uſum, Tunicæ, & Dalmaticæ, MITRÆ, & Annuli, ſicuti eis Presbyteri Cardinales utuntur, vobis in perpetuum confirmamus*.

Cum itaque, ex ſuperius narratis, controverti non poſſit in Romano Pontifice uſus Mitræ Epiſcopalis, (cum a pluribus ſæculis ante annum Chriſti milleſimum appareant conceſſiones ejuſdem Epiſcopis factæ) nunc exquirendum eſt cujus formæ, ac materiæ Summorum Pontificum Mitræ extiterint. Et quoad formam, cum vetera documenta manifeſtè minime appareant, niſi poſt undecimum Chriſti ſæculum, par eſt eredere ante id temporis, ejuſdem formæ extitiſſe, qua tunc erant Mitræ Pontificales: nempè Bicurnes, non excedentes unius palmi altitudinem, cum fimbriis a parte poſteriori utrinque pendentibus, de quarum Myſterio, tum S. Bruno Signinus de an. 1105. ſcriptor, tum Innocentius PP. III. in libro de Sacrific. Miſſæ, ubi de indumentis Epiſcopalibus agunt. Sæculo XII. ſub cujus ſæculi initia diligentius conſcribi cœperunt Rituales, ſeù Cæremoniales libri, pertinentes ad ritus Romani Pontifices, quos collectos edidit Mabillonius in tom. 2. Muſei Italici, ſub titulo *Ordines Romani*. Hos inter habetur liber inſcriptus *Pollicitus* de anno 1143. exaratus a Benedicto Canonico S. Petri. Poſt hunc habetur alius *Ordo Romanus* conſcriptus a Cencio Camerario de anno 1192. (Hic poſtea fuit Honorius PP. III.) ſubinde habetur *Cæremoniale* editum juſſione Gregorii PP. X. de anno 1271. Conſequitur hunc Ordo Romanus Cardinalis Cajetani, circa annum 1300. ſub Bonifacio PP. VIII. Tandem habetur *Cæremoniale* Petri Amelii de anno 1390. Hi omnes ſcriptores ſæpiſſime tractant de uſu Mitræ Romani Pontificis ſacris in actionibus adhibendæ. Hinc congruum eſt, nonnulla ſceligere digniora in rem noſtram, quæ ſæculis poſterioribus immutata noſcuntur, & jam obſoleta fuerunt, in uſu modò non ſunt. Tres itaque Mitræ Summi Pontificis ſpecies habentur diſtinctæ, non quoad formam, ſed tantum quoad materiam, & ornatum, quæ ſic explicantur in Cæremoniali Gregorii X. *Prima eſt Alba tota: altera de Auriphrygio in titulo, ſine circulo: tertia auriphrygiata in circulo, & in titulo*. Mitrra auriphrygiata appellabatur, quæ auropicta eſſet, vulgo *Riccamata a oro*. In Ordine Cencii Camerarii legitur hanc detuliſſe Pontificem in feſto ſolemniori Paſchæ, & eam appellat Mitram ſolemnem. In ordine vero Card. Cajetani §. 78. dupliciter diſtinguitur, nempe *Alia cum Perlis*, ideſt Unionibus, ſeu Margaritis exornata, *alia ſine Perlis*: & hanc primam, Albam fuiſſe tradit. Petrus Amelii pluries de Mitra hac mentionem facit, & appellat *ſolemnem*, & *pretioſam*, alteram *Mitram Conſiſtorialem*, quod illa uti ſoleret in Conſiſtorio.

Quod verò hæc Mitra, dicatur Auriphrygiata *in titulo ſine circulo, & in titulo*, explicat P. Bonannius in ſua Hierarchia Eccleſ. cap. 64. ubi de Mitra; *Titularis Mitra, in qua eſt Titulus, ſic dictus quaſi index* quidam, & eſt lamina aurea, quæ in gyro Mitræ orificium ambit: Mitra vero auriphrygiata ex lamina aurea; & hæc duplicis ordinis eſt, alia ſimpliciter, & alia ex unionibus, lapidibuſque pretioſis ornata. *Mitra alba tota*, & hæc duplicis eſt ma-

materiæ, nempe vel ex tela argentea, vel ex ſerica, tela Damaſcena confecta, aliquibus tamen filamentis aureis exornata, qua nunc etiam Summus Pontifex utitur in Quadrageſima, & in Officio Defunctorum. Ex Diario Pauli Mucantii, relato a Torrigio in ſuis Cryptis Vaticanis pag. 372. in deſcriptione Corporis Bonifacii VIII. detecti in Baſilica Vaticana an. 1605. poſt aonos 302. ab ejus obitu adhuc integri, & incorrupti cum ornamentis ſuis Pontificalibus, habetur: *Habebat in capite Mitram albam admodum parvam, ut conjecturare potui, ex tela Bambacina*. At Bzovius in Annal. ad dict. ann. lapſum Mucantii corrigit, qui refert, Mitram revera fuiſſe ex Damaſceno albo: immo & notat illius magnitudinem, & concordat cum inſtrumento, tunc rogito a Jacobo Grimaldo Notario Apoſtolico, qui ſingillatim deſcribens cuncta Pontificalia ornamenta, & veſtes, quibus contectum erat corpus Bonifacii VIII. & eum de Mitra, ait: *Mitra alba ex tela damaſcbina intexta ad ſportas, foderata ſerico albo, in forma parva, nempè longa palmum unum, lata palmum unum*. In Ordine autem Card. Cajetani hæc Mitra alba Summi Pontificis ſæpè appellatur *ſimplex de Garnello* alba, & plana.

Explicantur quoque ab iiſdem Scriptoribus dies, quibus vel unà, vel alia ex hujuſmodi Mitris Pontifex uti ſoleret: nam in Cæremoniali Gregorii X. legitur, *Aurifrixiata in circulo, & in titulo utitur in Officiis diebus feſtivis, & aliis, excepto a Septuageſima uſque ad Paſcha, & ab Adventu uſque ad Natale, & quando cantat pro Defunctis. Et ratio, quia coronam repræſentat, & activæ, & contemplativæ vitæ diſcurſum. Mitrà verò cum aurifrigio in titulo, ſivè in circulo, utitur cum ſedet in Conſiſtorio, & judicat, unde Coronam Regalem repræſentat. Mitrà alba utitur diebus Dominicis, & aliis non Feſtivis ab Adventu Domini uſque ad Vigiliam Nativitatis Domini in Veſperis, præterquam in tertia Dominica Adventus, quæ dicitur Dominica lætare, quia tunc Papa facit quamdam ſolemnitatem, quæ talis eſt &c.*

In ſuo Ordine Card. Cajetanus §. 78. hæc habet: *Aliqui dicunt, quod Papa nunquam mutat Pluviale in Proceſſionibus iſtis, ſed ſolùm Mitram aurifricatam, & ſine perlis: quoniam Pluviale debet ſemper portare in Proceſſionibus, & diebus ferialibus: quod certè credo ubicumque ſinè perlis. Unde ſunt duo Pluvialia, & tres Mitræ. Alba aurifrigiata cum perlis, alia ſine perlis aurifricata, quam defert diebus Ferialis: Quibus ſic peractis, deponitur ei Mitra aurifricata, & recipit ſimilem de Garnello albam, & planam*. Tandem Petrus Amelii §. 70. ſcribit: *Mitrà ſolemni, & pretioſa utitur in feſtivitate Omnium Sanctorum; in ſecundis Veſperis Mitrà Conſiſtoriali; & pro primis Veſperis Defunctorum Mitra alba ſimplici de garnello*. Ex quibus educitur, hanc Mitram de Garnello non aliam fuiſſe, quàm ex Damaſceno ſerico confectam. Præterea animadvertimus in hujuſmodi Mitris nullibi mentionem fieri de ornamento Lapidum pretioſorum.

Cencius Camerarius §. 43. agit præterea de Officio *Mappulariorum*, & *Cubicul ariorum*, quibus onus erat, depoſitam è Papæ capite Mitram ſtudioſe cuſtodire (ſicuti Addextratorum cuſtodire Tiaram, ſeu Regnum.) Modò autem hoc eſt privilegium Decani Sacræ Rotæ Romanæ Auditorum, ut tradit Cohellius cap. 17. pag. 205. ſcribens: *Decanus verò, præter alia privilegia, in illo maximè elucet, ut Pontifice ſolemni pompa incedente, & Celebrante, Thiara, quam Mitram dicunt, cuſtodiat, quod munus antiquior, aut Pœnitentiariorum Decanus explebat, ut, poſt Senenſem, Tholoſanus ſcripſit.*

Alium uſum Mitræ notat idem Auctor fuiſſe penes Summum Pontificem, nam cum ſoleret, poſt ſuam Coronationem, & Fer. v. in Cœna Domini prandium exhibere Cardinalibus, Epiſcopis, ac Prælatis, qui cum eo Mitrati equitaverant, & ipſe cum eis accumbere iiſdem paramentis Sacris indutus, Mitram capite gerens: & hanc ipſam gerebant Cardinales, Epiſcopi, & Prælati (quibus conceſſum erat: ibi enim legitur: *Pontifex, dum eſt in menſa, indutus eſt omnibus paramentis Menſalibus* (§. verò 43. habetur Miſſalibus) *excepto quod tenet mantum ad ſcapulas, & fanonem, in capite verò Mitram deſuper. Cardinales verò omnes habent ſuperpellicia cum mantellis, & Mitras ſimplices*. Expletà vero comeſtione, in fine menſæ, *Omnes Cardinales ad propria revertuntur ſicut in menſa*; & §. 44. iterum: *Cardinales verò, & alii Prælati redibunt ad ſua hoſpitia Eques, cum Mitris, parati ſicut in comeſtione ſteterant, Equis tamen non coopertis*: & §. 37. ubi de Menſa Feriæ v. in Cœna Domini, *Papa teneat Mitram aurifrigiatam, Cardinales verò Mitras ſimplices de Garnello in capite*.

Alius quoque ritus circa Mitram explicatur in Cæremoniali Gregorii PP. X. qui ſervatus fuerat in ejuſdem Ordinatione:

Cum

Cum electus fuisset a. 1271. non ex Collegio Cardinalium, immo, & absens, & in Ordine tantùm Diaconali constitutus, ibidem sic habetur: *Quod si electus in Papam fuerit absens, & ac Collegio Cardinalium non fuerit, ad locum in quo Cardinales sunt, in Consistorio venire debet vocatus, & praestito consensu electionis, Prior Diaconorum exuit eum Cappa, seu clamyde, qua utitur, & ponit ei Albam Romanam Camisiam, & Orarium ad modum Presbyteri super humeros, si est Presbyter; vel super laevam partem, si est Diaconus; & postea ei ponit Mantum, & dicit: investio Te de Papatu Romano, ut praesis Urbi, & Orbi: & tradit ei Annulum, & Mitram competentem ipsi super caput imponit*. Mox ubi de Ordinatione illius in Presbyterum, & Episcopum, tradit Ordinandum esse cum Mitra capiti ejus imposita: *Sedebit in faldistorio suo tenens Mantum suum, pluviale non indutum, sed post collum, & Mitram in capite congruam, & sic debet Ordinari*.

Ceterum, Mitram Pontificiam, quam Cardinalis Cajetanus, & alii dicunt *simplicem albam de Guarnello, seu Varnello*, non ex alia materia putandum est efformatam fuisse, nisi ex albo serico Damasceno, cum olim, praesente Papa, non alia uterentur, nisi ex lino albo, ut caeteri Episcopi: & hoc maxime educitur ex Cardinali Papiensi in suis Commentariis lib. 2. ubi ait, Damascenam Mitram indultam fuisse Cardinalibus in Concilio Lugdunensi ab Innocentio IV. anno 1245. *Cardinalibus* (inquit) *qui sacris induti vestibus à Praelatis inferiorum Ordinum, praeterquam loco, non cognoscebantur, usum Mitrae sericeae Damasceni operis, rubroque capitio indulsit, quibus soli Antistites Romani antea utebantur*. Si igitur soli Pontifices, ante Innocentium IV, Mitra operis Damasceni utebantur, & haec appellata est simplex, alba, de Garnello, seu Varnello, nullius alterius materiae esse potuit, nisi Operis Damasceni. Ex hoc tam insignis Scriptoris testimonio, qui floruit sub Paulo II. anno 1464. erroris arguuntur, qui asserunt Mitras Damasceni operis Cardinalibus fuisse concessam à Paulo PP. II, idemque tradit Macrius in suo Hierolexico sacro, ubi narrat Vespasianum Florentinum, in vita Cardinalis Julii Caesarini habere sic: *I Cardinali andavano colla Mitra di Bambagina bianca*. Sed magis praestat auctoritas Cardinalis Papiensis.

Remanet modò inquirendum, qualis ne fuerit forma Mitrae Summorum Pontificum Romanorum. Et praecipuè ante annum Christi millesimum: At cum nobis vetera deficiant exempla, eam, conjectari saltèm possumus, ejus extitisse formae, quam habebant Mitrae, quae, velut in tesseram, & argumentum communionis, aliis concedebantur Episcopis: etiam circularem, nempe, quae frontem, & occiput ambiret, & bifidam nempè bicornem, cujus binus apex attollebatur in cuspidem, necnon in circuitu laminam, seu auream fasciam ad ornatum praeferret, ex Theodulpho Episcopo Aurelianensi, qui floruit anno Christi 835. scripsit namque:


Aurea Pontificis cingebat lamina frontem,
Quae bis binus apex nomen herile habet,
Illius ergo caput resplendens Mitra tegebat.

Haec verba C. V. Mabillonius declarat, in sua Praefatione ad Saeculum V. Benedictinum, ostenditque, similis esse formae, ac Mitra, quam praefert S. Germani Parisiensis effigies ad majorem portam ejus Basilicae, cum aliis posita, & ita subdit: *Ex quibus verbis, quadrifidam olim fuisse Mitram Episcopalem non nemo forsan colligeret: at adverbium numericum, bis, non cadit in adverbium binus, sed in verbum dabat: ita ut sit sensus; Binus apex bis dabat herile nomen; nempè jus, ut puto, quod vocant spirituale, & temporale*.


Hujusmodi verò Mitras, à Romano Pontifice aliquibus Episcopis concessas, ex antiquioribus Imaginibus, liquidò constat, parvas extitisse, neque palmi unius altitudinem excedentes; neque altiores reperiuntur, nisi Saeculo xv, quo, ut diximus, elatiores esse coeperunt. Hoc patet non tantùm ex Imaginibus plurimorum Episcoporum, & Cardinalium, non solùm pictis, sed etiam marmoreis eorum sepulchris impositis, seu sculptis, tum in Urbe, tum etiam alibi, nam in Ecclesia S. Mariae Novae de Urbe conspiciuntur Effigies sculptae in marmoribus appositae Tumulis Petri Cardinalis Mauroceni, qui Concilio Constantiensi interfuit, obiitque anno 1424, necnon Santi de Cavis Episcopi Tiburtini, & Vicarii Urbis, qui decessit anno 1427, quae praeferunt capite Mitras altioris formae, quàm quae conspiciuntur in aliis hujusmodi sepulchralibus monumentis ante idem Concilium Constantiense celebratum: ex eo tempore igitur elevatas fuisse Mitras, conjectari debemus, ad eam majestatem, & altitudinem, quas modò conspicimus.

Certiora inter documenta, quae ad rem afferri possent de parvitate Mitrae Romanorum Pontificum, est statua Gelasii PP. II, qui sedit anno 1118, quae impressa habetur in ejusdem Vita, olim conscripta à Cardinali de

de Aragonia, editaque à Muratorio To. 3. De Script. Rer. Italicarum, pag. 36, eademque statua graphicè delineata est in Hierolexico Eccles. apud Macrium, verbo Mitra: quæ admodùm Mitra tam exigua est, ut duo cuspides, vel cornua ejus parùm eleventur supra circulum; crederem tamen in prototypo Statuæ illius, eas cuspides aliquo ex casu detruncatas defecisse. Altitudinem palmi unius non excessisse Mitram, quæ reperta fuit capiti Bonifacii PP. VIII. imposita in ejusdem Corporis Inventione, paulo antè demonstravimus, præter alia exempla, quæ colligi possunt. Inter plures Mitras, quæ custodiuntur in Sacrario Cathedralis Basilicæ Civitatis Anagniæ, unà cum Calicibus, ac Vestimentis Pontificalibus tum Innocentii III, tum etiam Bonifatii PP. VIII, una ex his (omnes enim altitudinem palmi unius tantùm attingunt) ex serico albo confecta, undiquè eleganti opere margaritis, gemmis, ac lapidibus pretiosis albi, & rubri coloris, necnon & orbiculis aureis, in quorum medio aliæ margaritæ refulgent, est elegantèr exornata: & hæc meritò censeri potest, alicui ex memoratis Pontificibus in usu fuisse. Ibidem etiam aliæ Mitræ, sacris Imaginibus acu pictis, vulgò *riccamate*, servantur, quæ forsan ad usum eorundem summorum Pontificum, cum ibidem residerent, referri possunt. Ex his unam æri incidendam olim curavimus, quam in Tabula sequenti oculis subjicimus conspiciendam.



Mitra Antiqua in Basilica Anagnina.



Cæ-

Cæterùm in hac Chronologia Basilicæ S. Pauli recèns delineata, Mitras omnes, quæ à Sæculo 8. capitibus Summorum Pontificum impositæ habentur, non depressiori antiqua forma, sed altiori, pictas fuisse scias, nè rudioribus variam formam conspicientibus, æquivocandi, aut errandi daretur occasio. Sicuti nec ulla habenda est ratio de Mitris, quæ in libris Summorum Pontificum, tum à Platina, tum etiam ab aliis aucturibus habentur.

An verò aliquandò Summus Pontifex usus fuerit Mitra *lunata*, dubium oriri posset, ex Imagine antiqua delineata in porticu Basilicæ S. Cæciliæ Transtyberim. Ibi conspicitur S. Paschalis I. Papa, cui apparens sanctissima illa Virgo, ubi jaceret Corpus suum in Cœmeterio Prætestati revelavit: Capite gestat Pontifex Mitram ab aliis forma diversam. Apices namque ejus non a fronte, & occipite sursum se se erigunt, sed ab utroque tempore paulatim se extollentes, quasi circularis, formam Lunæ eshibent, tum a parte supra frontem, tum à posteriori supra occiput, eo ferè modo, quo in libris veteris, ac novi Testamenti editis, delineatæ conspiciuntur Mitræ Aaronis, aliorumque Pontificum, ac Sacerdotum (quod tamen omnino repugnat testimonio tam Josephi Histor. rerum Judaicarum, cum etiam S. Hieronymi in descriptione vestium Sacerdotalium antiquæ legis, ad Fabiolam.) Cum vero hæc pictura in Porticu S. Cæciliæ, jussione Cardinalis Pauli Sfondrati, in Instauratione ejusdem Ecclesiæ, superinductis coloribus, restitutus fuerit ejus antiquus prospectus, ad priscam formam, (sicut diligentissime curavit peragendum in cæteris picturis, quæ tum veteris, tum novi Testamenti, quæ exornabant parietes, & Summorum Pontificum super Epistylia columnarum, quæ paucos ante annos, non sine dolore in ejusdem renovatione, dejectas, & ablatas conspeximus). Hujus porrò lunatæ Mitræ usum, penes Summos Pontifices Romanos minime fuisse putamus. Nam ut animadvertere potuimus, apud paucos Episcopos in usu estitisse reperimus a sæculu XII. Nam in Basilica Inferiori Cathedralis nostræ Anagniæ, ubi requiescit Corpus S. Magni Episcopi Tranensis, & M. circa Altare majus ejusdem pictæ eshibentur duæ Translationes ejusdem Martyris, altera Fundis, Verulas, altera Verulis, Anagniam, in quibus conspiciuntur Episcopi plures harum Civitatum, unà cum Clero, & populo, Sacro Corpori obviantes, & hi ubique Mitrà hac lunata exornati: quas omnes picturas graphice delineatas exhibuimus in nostro Opere Ad Acta S. Magni Episcopi, & Martyris, Æsii edito anno 1743. ubi ostendimus, ejusmodi picturas non excedere ætatem S. Petri Episcopi Anagnini ipsius Basilicæ conditoris, cui sacrum Corpus divinitus fuerat revelatum, & qui in Coelum abiit an. D. MCV. Ejusdem lunatæ Mitræ formam pariter ostendimus in nostris ad Acta S. Victorini Episcopi Amiternensis, & M. ubi vetus monumentum retulimus, pag. 24. quod, anno 1739. opere anaglyphtico admodum rudi, sculptum conspeximus in fragmento marmoris affixum in ejusdem Ecclesia Amiterni, ubi extat ejus sepulchrum cum Inscriptione, quamvis modò vacuum; ibi namque cernitur caput ejusdem M. in ejus passione a corpore excissum, Mitra hac lunata exornatum. Sed ejusdem Mitræ forma clariùs apparebit ex Tabula sequenti, in qua Imaginem unius è pluribus Episcopis, qui picti habentur in parietibus inferioris Basilicæ Anagninæ, esprimentibus Acta Translationum Corpori Sancti Magni, ut paulò ante narravimus.



At quamvis ibidem pagina XXXVI. ex barbarie Amiternen. Anaglyphtici operis, putaverim hoc opus referri posse ad sæcula vel sextum, aut septimum, nihilominus, re melius consulta, potius dicendum esse arbi-

bitror, non posse adscribi nisi post sæculum XI. vel XII., & præcipue ex hac observatione Mitræ lunatæ, quæ in Monumento Anagnino apparet. Ex quo etiam deducendum est, picturam S. Paschalis in porticu S. Cæciliæ, eamdem ætatem vix attingere posse.

Ceterum, quamvis Mitra inter vestimenta sacra recenseatur, & in sacris actionibus adhibeatur, dicendum tamen est, nullum fuisse, & esse peculiaris alicujus sacri Ordinis Insigne, sed tantùm Dignitatis, atque excellentiæ personalis indicium: cum ejus usus concessus fuerit aliquando Imperialibus ac Regalibus laicis personis. Primus qui hoc munere insignitus, & a Romano Pontifice donatus fuerit, indicatur fuisse Uratislaus Bohemiæ Dux: huic, cum eximio flagrasset studio erga Romanam Ecclesiam, ab Alexandro PP. II. in signum intimæ suæ dilectionis, privilegium Mitræ gestandæ concessum est, ut narrat Spondanus ad ann. 1065.: idque etiam testari in Epistola 38. lib. 1. S. Gregorii PP. VII. refert Baronius ad ipsum annum.

Immo, cum Mitra, nonnulla alia sacra indumenta, Lucium PP. II. Rogerio Siculorum Regi concessisse tradit Ottho Frisingensis lib. 1. de Gestis Friderici, cap. 27. ubi ait: *Concordiam inter Siculum, & Papam, hujusmodi esse accepimus: Papa concessit Siculo Virgam, & Annulum, Dalmaticam, & Annulum, & Mitram, atque Sandalia.*

Innocentius quoque PP. III. anno Christi 1204., ut habet Raynaldus ad ann. 1271. ex Pontificio regesto, postquam in Ecclesia S. Pancratii inungi fecisset, per Petrum Cardinalem Episcopum Portuensem, Petrum Regem Aragonum, ipsemet Pontifex, manu propria eum coronavit, largiens ei Regalia Insignia universa, mantum videlicet, & Colobium, Sceptrum, & parvam Coronam, & Mitram, Corporale ab eo recipiens juramentum, cujus tenor est talis: Ego Petrus &c.

Mitram quoque ab eodem Pontifice Innocentio III. in Coronatione Imperatoris Otthonis IV. peracta in Basilica Vaticana, fuisse adhibitam, præter dictum Raynaldum ad an. 1204. num. 18. & 19. educitur ex Chronico Fossæ Novæ, ubi legitur: *Ottho coronatus Imperator, vestitus vestimentis sacratis, Mitratus, & coronatus ivit cum Domino Papa usque ad portam Romæ.* Et ritus Mitram imponendi capiti in Coronatione Imperatoris habetur descriptus in Rituali Jacobi Card. Cajetani, relato a Mabillonio to. 2. Musei Italici, Ord. XIV. pag. 401. ubi capite, seu §. 105. De Ordine ad benedicendum Imperatorem, legitur: *Cum lecta fuerit Epistola, & Graduale cantatum, Imperator procedit processionaliter ad Altare, ubi Summus Pontifex imponit ei Mitram Clericalem in capite, & supra Mitram Imperatorium Diadema dicens: Accipe signum gloriæ, Diadema Regni, Coronam Imperii &c.* Ubi specialiter notanda sunt verba illa *Mitram Clericalem*, per quæ designatur forma Mitræ Episcopalis, quam clarius explicat Cæremoniale Romanum lib. 1. sect. 3. ubi agit de Coronatione Imperatoris hisce verbis: *Differt corona Imperialis ab aliis, nam ea sub se Thiaram quamdam habet in modum ferè Episcopalis Mitræ, humiliorem tamen, magis apertam, & minus acutam, estque ejus apertura a parte, non ab aure.*

Eodem quoque ritu coronari consuevisse Reges, atque Reginas, constat ex eodem Ordine Card. Cajetani; & quamvis cursim agat de Coronatione Regis, tamen ubi de Coronatione Reginæ, fusius hæc tradit: *Deinde Summus Pontifex ei Mitram imponit, ita quòd cornua Mitræ sint a dextris, & a sinistris, & super Mitram coronam imponat, dicenda: Unde sicut exterius auro, & gemmis redimita enites, ita & interius sapientiæ virtutum gemmis decorari contendas &c.*

De Mitris, seu Mitellis, quibus ornabantur olim capita Virginum, seu Mulierum, quæ se Christo devoverant, consulendus est Du-Cangius in Glossario mediæ, & infimæ latinitatis: quarum etiam meminit Sanctus Optatus Milevitanus lib. 6. contra Donatillas in Africa, & S. Isidorus Hispalensis in libro 19. cap. 31. Originum: quæ ad rem nostram minime pertinent.

CAPUT XII.

De Romani Pontificis ornamento Capitis, quod TIARA, *seu* REGNUM, *nuncupatur: Cuinam ex Vestibus Summi Pontificis Veteris Testamenti, a qua originem traxit, respondeat: Undè primus ejus usus processerit, & probabiliter statuitur à Sæculo Christi Octavo, abjecto testimonio confícti* Edicti, *seu* Donationis *Magni Constantini Imperatoris. Qua occasione illum usurpaverit Romanus Pontifex. Tiaræ Coronatæ aliquod Monumentum profertur sub initia Sæculi IX., immo, & sub finem Sæculi VIII. sub Leone PP. III. De varia forma ejusdem Tiaræ, & præcipue Turbinata, sub finem Sæculi IX, ac sequentibus, usque ad Sæculum XIV. sub Bonifacio VIII. Statuitur ipsum Bonifacium Tiaræ Pontificiæ alteram coronam minime addidisse, & a quo Successore probabiliter adjecta fuerit, sicuti etiam Tertia. Usum Tiaræ nulli vel Patriarchæ, vel Episcopo, aut etiam Legato à Latere nunquam a Romano Pontifice fuisse concessum. De fabulosa Tiara Sancti Silvestri PP. De Tiaræ usu usurpato, ac postea interdicto Archiepiscopo Beneventano. Tiara Romani Pontificis pretiosissimis Gemmis, & Unionibus maximi valoris a Paulo II. exornata: oppignerata ab Eugenio IV. pro expensis Græcorum ad Concilium Florentinum, pro Unione utriusque Ecclesiæ, adunatorum, nec non cum aliis Jocaliis à Callisto III. pro expensis Belli sacri contra Turcas. De Usu Tiaram Pontificiam apponendi Stemmatibus Romanorum Pontificum.*

ROmanus Pontifex, ut qui duplicem quasi gerit Persunam, Sacerdotalem videlicet, atque Regalem, quæ Dignitas, juxta rerum ordinem, cum Persona Papæ confunditur (Card. de Luc. De Cur. Rom. p. 3. lib. 15. cap. 2.) ad utramque explicandam, duplicis quoque capitis ornamento uti solet, Mitrà videlicet, quæ Sacerdotii Jura repræsentat, & Tiarà, quæ Regalem explicat dignitatem, & supra etiam Reges Imperialem auctoritatem: ut ex Innocentii PP. III. Sensibus, capite præcedenti jam ostendimus. Ibi fusè de Mitra, nunc specialiter de Tiara sermo est instituendus, ut utraque Romani Pontificis decora explicentur, qui verus, & unicus Vicarius est ejus, qui in vestimento, & in femore scriptum habet: *Rex Regum, & Dominus Dominantium, & Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*.

Sicuti enim Sacra Ecclesiastica Vestimentorum ornamenta originaliter præfigurata fuerunt in vestibus à Deo præscriptis, per Moysem, in Ecclesia Hebraica Veteris Testamenti, ita etiam inter alia, quæ Summum Pontificem decorabant, cæterisque digniorem indicabant, fuit Tiara Capitis, quæ in eo quoque Regalem indicabat auctoritatem, per laminam illam auream sanctam, quæ unice in ea præfulgebat, legitur enim *Exod. cap. 28. v. 36. Facies, & Laminam de auro purissimo, in qua sculpes opere cælatorio Sanctum Domini, & erit super Tiaram imminens fronti Pontificis*, & ibid. cap. 29. v. 5. *Et pones Tiaram in capite ejus, & laminam sanctam super Tiaram*.

Hanc Tiaram Summi Pontificis describit Josephus in Antiquitatum libro dicens: *Constabat pileolo, quali & cæteri Sacerdotes utuntur; super quem alius extabat ex hyacyntho variatus; hunc aurea corona triplici ordine circumdabat, in qua spectantur calyculi aurei, quales videntur in herba, quæ hyusqiamus dicitur*: Hæc lamina aurea, tamquam speciale Summi Pontificis ornamentum describitur a S. Hieronymo in Epistola ad Fabiolam, *de vestitu Sacerdotum Hebræorum*, scribens: *Octava est lamina illa aurea, idest*

SIS-

SIS-ZAHAB, *in qua scriptum erat nomen Dei, hebraicè quatuor litteris*, *Jod*, *He*, *Vahu*, *He*, *quod apud illos ineffabile nuncupatur: hæc super pileolum lineum*, *& commune omnium Sacerdotum*, *in Pontifice plus additur*, *ut in fronte Vitta hyacinthina constringatur*, *totamque Pontificis pulchritudinem*, *Dei vocabulum Coronat*, *& protegit*: Verùm hic S. Doctor non cætera alia hujus Tiaræ Pontificiæ ornamenta a Josepho indicata explicavit, quod præstitit Petrus Comestor Magister Historiæ Ecclesiasticæ, ouncupatus in *libr. Exodi cap. 65*: ubi præter descripta a Sancto Hieronymo, hæc quoque distinctè explicat: *Circumdabatur aureo circulo*, *tribus ordinibus facto*, *super quam*, *ab Occidente*, *stabant flores aurei Plantagini similes*, *a tempore ad tempus*: *a fronte verò superstabat flos aureus similis herbæ*, *quam Græci Jusquiamum dicunt*, *magnitudine digiti unius*. *In superiori verò planitie*, *ex omni parte*, *in circuitu*, *usque ad summitatem ejus*, *quia in acutissimum deficiebat cacumen*, *particulatim per loca erant jam mala granata aurea cum spinosis extremitatibus suis fabrefacta*: *super frontem verò pendebat lamina aurea*, *quam patulam dicunt ad modum Lunæ dimidiæ*, *quæ arcuationem sursum habens*, *& in medio annulum aureum cincinno aureo inferebat*, *qui Tiaræ infertus erat*, *in qua scriptum erat Aioth*, *Adonai*, *id est sanctum nomen Domini*, *scilicet Tetragrammaton*, *quod ineffabile dicitur*, *non quod dici non possit*, *sed quia rem ineffabilem significat*, *quod his litteris scribitur*, *He*, *Joth*, *Heth*, *Vau*. *Quæ sonant Principium vitæ*, *& passionis*, *quod est per passionem hujus*, *quem præfigurat hic Sacerdos*, *reinitiabitur*, *& recuperabitur vita in Adam perdita*. *Ne vero moveretur Pontifex*, *& lamina*, *sursum ligabatur vitta hyacinthina perspicua celante uncinum*, *& annulum*, *quæ circumducta tapiti*, *& ligata in occipite*, *dependentes summitates super humerum utrumque diffundebat*.

Hisce certis documentis a Divinis Scripturis, & Josepho petitis, rejicitur opinio Villalpandj, qui in cap. 29. Ezechielis, putavit, Tiaram, sivè Cidarim Pontificis non fuisse Pileum, sed fasciam, seu vittam, qua olim Sacerdotes, & Reges coronabantur. Nam apud veteres Imperatores, & Reges Diadema nihil aliud erat, quàm fascia byssina cingens, atque stringens caput, & a tergo in dorsum dependens, ut in antiquis imaginibus cernimus. Cornelius a Lapide (*In Exod. c. 28. v. 16.*) credibile putat, Tiaram Pontificis habuisse diadema, seu fasciam byssinam circumvolutam, & dependentem, ut habet nostrorum Pontificum Infula, *unde* (ait) *vocari Misnephet*, *idest involutum*: *unde Pagninus Misnephet*, *inquit*, *simile erat Tarbanti*, *sive Pilei Turcici*, *qui longa fascia involvitur*: *nisi dicas*, *Tiaram Pontificis sic vocari*, *eo quod in ea Pileus unus communis alteri pileo Pontificio sit inclusus*, *quasi esset involutus*, *at tradit Josephus*.

Qualiscunque tamen fuerit hujus Pontificalis ornamenti forma apud Hebræos, negari non potest, imaginem prætulisse Tiaræ nostri Rumani Pontificis, atque similitudinem, ut observat laudatus a Lapide, ibidem scribens: *Hanc Tiaram Summi Pontificis antiquæ Legis*, *typam fuisse ejus*, *quæ in nova foret assumenda a Romano Summo Pontifice*, *qui Universalis Ecclesiæ Hierarcha a Deo est constitutus*, *ejusdemque Christi tum Sacerdotii*, *tum Regni Vicariam potestatem gerit*. Abjectis namque antiquioris illius legalis Tiaræ cæteris ornamentis, quæ apud populum illum alia figurabant, Ecclesia formam Tiaræ, & laminæ illius aureæ coronam sibi adoptavit ad exornandum sui Summi Pontificis caput.

Sed antequam ad exponendam hujus Pontificalis ornamenti formam accedamus, præstat, ut prius inquiramus ejusdem Originem, & a quo primo Romano Puntifice usurpari cœperit. Non pauci, & magnæ eruditionis scriptores, hujus Tiaræ usum referunt ad tempora Constantini Magni Imperatoris, a quo narrant decoratum fuisse S. Silvestrum Pontificem Tiarà sua, atque Corona Imperiali, una cum aliis privilegiis, atque honoribus: Hoc probant ex Edicto, sive Donatione ejusdem Imperatoris, relato in Decret. distinct. 96. in quo ad rem nostram hæc specialiter habentur.

Beato Silvestro Patri nostro Summo Pontifici, *& universalis Urbis Romæ*, *& omnibus ejus successoribus Pontificibus*, *qui usque ad finem Mundi in Sede B. Petri erunt futuri*, *de præsenti condonamus Palatium Imperii nostri Lateranense*: *deinde Diadema*, *videlicet Coronam capitis nostri*, *simulque Phrygium*, *necnon & superhumerale*, *videlicet Lorum*, *quod Imperiale circumdare solet Collum*, *verùm & Clamydem purpuream*, *& Tunicam coccineam*, *& omnia Imperialia indumenta*, *&c. Decrevimus itaque & hoc*, *ut ipse*, *& successores diademate*, *videlicet corona*, *quam ex capite nostro illi concessimus ex auro purissimo*, *& gemmis pretiosis uti*

debeant, & in capite ad laudem Dei, pro honore B. Petri, geſtare: Ipſe vero Beatiſs. Papa, quia Coronam Clericalem, quam ad gloriam B. Petri, omnino eàdem ex auro non eſt paſſus uti corona, &c. Mox explicat omnia privilegia, & honores, quibus Sanctæ R. E. Clerum (quem *novum Senatum* declarat) cumularet, nec non & donationem Urbis, & aliarum Provinciarum ipſi Romanæ Eccleſiæ conceſſam. *Dat. Romæ* III. *Kalend. Aprilis D. N. Fl. Conſtantino Aug. IV. & Gallicano V. C. Coſs.*

Conjecturis quoque non levis momenti id conantur aſtruere: & primo quidem ex fervore ab ipſo Principe, poſt ſuſceptum baptiſma, erga Chriſtianam Religionem concepto, cujus munificentia tantopero prædicabatur, itaut etiam ab ipſis Gentilibus prodigalitatis fuerit notatus, quòd Imperii vectigalia, conſtruendis Chriſtianorum ædificiis, ditandiſque miniſtris, expilaſſet. Et quidem Chriſtianam Religionem, quam primus ferme omnium Imperatorum publicè amplexatus eſt, cunctis, quibus valuit officiis coluiſſe cenſendus eſt, ac donis cumulaſſe Romanam Eccleſiam, in qua ſciret veræ Religiois principatum vigere. Oportere autem, & maxime decere, non ignorabat Chriſtianiſſimus vere Princeps, Romanum Pontificem ſe relinquere in Urbe talibus auctum honoribus, ut ex oppoſito Gentilium Sacerdotum, nihilo minus inferior, dignitatis, ac majeſtatis ſplendore fulgeret. Senatum quoque Romæ linquebat, maxima ex parte, Idolorum cultui addictum, atque Gentilium Sacerdotes, ac Pontifices, nondum ad veritatis lumen traductos (vim namque ad amplexandam Chriſti Fidem, quam ipſe profitebatur, inferre nemini voluit) qui etiam & infulati, & aurea Corona redimiti incedebant (*Prudent. Periſteph. Hym. x. de S. Romano, circa finem*) Mirum itaque non eſſe, ſi prudentiſſimus Imperator tantis honoribus, & præcipue aurea ſua Corona decoratum Romanum Pontificem voluerit, nè tanta dignitas ab Ethnicis contemptui haberetur.

At quamvis hoc Edictum Conſtantini, tamquam genuinum, & verum acceptum fuerit a pluribus doctis, ac ſanctis Viris, qui a Sæculo XI. & infra floruerunt (quales fuerunt S. Bruno Epiſcopus Signienſis, in libro *De Sacramentis, & Myſteriis, cap. ultimo*, S. Anſelmus Lucenſis Epiſcopus, *in Defenſione S. Gregorii PP. VII.* Sanctus Bernardus Abbas Clarevallen. *lib. de Conſideratione ad Eugen. cap.* 3. S. Antoninus Archiepiſcopus Florentinus in *lib. de Summo Pontifice*, Rupertus Abbas *in cap.* 3. *Jonæ*, & alii plures recentiores) Nihilominus explorata res eſt, hoc Edictum falſum omnino eſſe, atque Commentitium: quod validis, pluribuſque argumentis demonſtrat Natalis Alexander in ſua Diſſert. XXV. ad Sæculum IV., & fuiſſe confictum, unà cum aliis veterum Pontificum Epiſtolis ab Iſidoro Mercatore: *Et convenit* (ait) *rationi temporis, quo primum venundari cœperunt Iſidori merces, Carolo ſcilicet Magno Imperante: laudat illud paulo poſt Hincmarus.* Floruit namque Hincmarus Rhemenſis Epiſcopus anno Chriſti 860. Exinde igitur nullum fundamentum erui poteſt, quòd hoc capitis inſigne fuerit a Conſtantino Imperatore S. Silveſter donatus.

Uſum Coronæ, ſeu Regni penes Romanum Pontificem inventum fuiſſe, ætate S. Hormiſdæ Papæ, (qui ſedit anno Chriſti 514.) tradit Franciſcus Junius, ſcribens contra Cardinalem Bellarminum, De Tranſlatione Imperii (relatus a Nicolao Allemano in Diſſertat. *De Parietinis Lateranenſibus*) & hoc fuiſſe, occaſione, qua Clodoveus Francorum Rex, a S. Remigio Epiſcopo ad fidem converſus, Coronam gemmis ornatam ab Anaſtaſio Imperatore dono acceptam, S. Petro Apoſtolo Romam tranſmiſit: De qua Corona loquitur Anaſtaſius Bibliothecarius in ejuſdem Pontificis vita, ſcribens: *Eodem tempore venit Regnum cum gemmis pretioſis a Rege Francorum Clodoveo donum B. Petro.* Junius porro in hoc, & graviter, & dupliciter erravit: primo, quòd aſſeruerit, ſuo quidem marte, Regnum illud miſſum Pontifici: ſecundo ſcribens: *Illa ipſa Corona, illud Regnum, quod hodie imponitur Capiti Pontificis, eadem eſt, quam Anaſtaſius Imperator Clodoveo dedit, Clodoveus Pontifici.* Unde enim accepit Junius, eamdem ipſam eſſe Coronam, ſeu Regnum, quod imponitur Capiti Summi Pontificis? Ubi, & quomodo tot inter Urbis ſubſequutas barbarorum incurſiones, ac deprædationes ſervari potuit? Junii errore forſam hallucinatus noſtri temporis Scriptor Bartholomeus Piazza, in ſua Ephemeride Vatic. ſub die 7. Auguſti, pag. 468. hæc vulgari lingua tradit, videlicet: *Hormiſdam, in ſignum obedientiæ, atque obſequii a Clodoveo dono accepiſſe pretioſum Triregnum, quo diu in illa Vaticana Baſilica, & aliis, ad Pontificales exercendas functiones, in uſu fuit.*

Verus tamen, atque legitimus hujus monimenti uſus explicatur a Cl. Vir. Baronio

in

in Epiſtola Dedicatoria Tom. VI. Annal. ad Clementem PP. VIII. ubi agens de eadem Corona: *Proxime* (ait) *moriturus* (*Clodoveus*) *inſignis pietatis exemplo, ipſum, quod ſciret, unicum eſſe totius Eccleſiæ viſibile caput, Corona Regia redimivit, mittens ad Apoſtolorum Principis Petri Confeſſionem, perſuaſione S. Remigii Francorum Apoſtoli, Coronam auream gemmis ornatam. Eo enim obſequio viſus eſt dans Coronam, oppignoraſſe Regnum ipſum in Eccleſiæ Romanæ præſidium, Coronam illam, Regnum nominatam fuiſſe, qui res geſtas Francorum ſunt proſecuti, teſtantur Hincmarus in Vita S. Remigii: eoque munere illud Deo dicare voluiſſe, atque perpetuo ſtabilire, dum enim ſupra Petrum, Petrique Confeſſionem Coronam poſuit*. Exemplo forſan Clodovei permoti alii Principes Coronas ſuas aureas ad Confeſſionem S. Petri obtuliſſe leguntur, ut tradit Anaſtaſius Bibliothecarius in Vita S. Gregorii PP. II. de Luitprando Longobardorum Rege, & Baronius ad annum 729.

Nullatenus igitur apparet, ante Sæculi 8. initium, Romanum Pontificem hoc capitis ornamento, Tiarâ videlicet corona inſigni, uſum fuiſſe: ſed hunc fuiſſe Conſtantinum Papam, qui ſedere cœpit anno Chriſti 708. & hoc non obſcure indicatur ab Anaſtaſio Bibliothecario in ejus Vita. Narrat enim, hunc Pontificem profectum fuiſſe Conſtantinopolim ad Juſtinianum II. Imperatorem, aſſumptis ſui itineris comitibus Epiſcopis Sylvæ Candidæ & Portuenſi, tribus Presbyteris, unoque Diacono Cardinalibus, aliiſque de reliquis Romanæ Eccleſiæ gradibus non paucis, atque ubique, juſſione Imperatoris, perhonorificè exceptunt fuiſſe: cumque prope Regiam Urbem appuliſſet, *A ſeptimo* (ait) *milliario egreſſus Tiberius Imperatoris filius Juſtiniani Auguſti cum Patritiis, & omnibus inclytis, & Cyrus Patriarcha cum Clero, & populi multitudine, omnes lætantes, & diem feſtum agentes, Pontifex autem, & ejus Primates, cum ſellaribus, Imperſalibus ſellis, & frænis inauratis, ſimul & mappulis, ingreſſi ſunt Civitatem, &c. Apoſtolicus Pontifex cum* CAMELAUGO (*alibi* CAMELAUCO), *ut ſolitus eſt Romæ præcedere, a palatio egreſſus, in Placidias uſque, ubi hoſpitatus erat, properavit. Domnus autem Juſtinianus ..... & ut debuiſſet occurrere .... In die autem, qua ſe viciſſim viderunt, Auguſtus cum Regno in capite ſe proſtravit, pedes oſculans Pontificis &c.*

Quale autem ornamentum Pontificis fuerit *Camelaucum*, ſeu *Camelaugum*, ex Papia, Goare, & Leone Allatio, linguæ Græcæ eruditiſſimis, tradit Du-Freſne in Gloſſario mediæ & infimæ latinitatis, ſic: *Pileum Camelaucum, ex byſſo rotundum, quaſi ſphæra caput tegens Sacerdotale, in occipitio vitta conſtrictum. Hoc Græci, ac noſtri* Tiaram *vocant*. Expreſſius Altaſerra in Notis ad Anaſtaſium Bibl. ait: *Camelaucum, ſeu Camelaugum eſt Pileus, quo utitur Summus Pontifex, a Græco* Καμηλαύκιον: *erat indumentum Capitis commune Regibus, & privatis colore diverſum: ſed uſu factum eſt, ut Camelaucium Romanis, proprie dicatur Pileus Pontificis. Papias: Camelaucium veſtimentum Papæ*.

Proſequitur eruditiſſimus Allatius *lib. 3. de utriuſque Eccleſiæ conſenſione, cap.* 8. diverſitatem explicare alterius Camaleaucii, quomodo utuntur Græci, præcipuè Monachi; & qualis diverſæ materiæ, & formæ ſit, quod eodem nomine tamen appellatur. Ex ſuperius adductis tantorum Virorum Camelaucii Pontificii deſcriptionibus, exploditur opinio nonnullorum, qui aſſerunt hoc Camelaucium, aliud non eſſe a bireto illo, quo communiter uti ſolet Summus Pontifex, & vulgo CAMAURO appellant.

Hoc Camelaucii ornamento, diu antea, uſos fuiſſe in Italia Reges, conſtat ex Græcis Scriptoribus (a Du-Freſne relatis) narrantibus, quod Narſes, occiſo Totila Gothorum Rege, anno Chriſti 553. ejuſdem veſtimenta cruentata, cum Camaleucio lapidibus pretioſis ornato Conſtantinopolim ad Juſtinianum Seniorem miſerit. Immo & Imperatores Græcos aliquando eodem capitis ornamento fuiſſe inſignitos, exhibet Cl. Vir Bandurius de Nummis utriuſque Juſtini Imperatoris, tom. 2. pag. 625. ubi: *Eos* (ideſt Nummos) *qui Imperatorem plena facie exhibent cum Camaleucio, clypeo, ſpiculo, & globo, ſeniori adſcripſimus*.

Meritò, & Jure quidem Conſtantinus Pontifex hoc inſigni exornatus in tam ſolemni apparatu, obſequio, & occurſu Senatus, ac Principis, & Imperatoriæ Majeſtatis ſe ſe ad ejus pedes proſternentis, *Camaleucio*, ideſt *Tiara*, & ipſa quoque corona exornata, procedere congruum fuit; *quo ſolitus erat* (ipſo Anaſtaſio teſte) *Romæ procedere*, utique cum, equo inſidens, prodiret in publicum, pompa ſolemni. At cur Coronæ uſus in Pontificia Tiara ad ætatem Conſtantini Papæ ſit referendus, validæ non deſunt conjecturæ, & rationes.

Certum eſt, ad ætatem uſque Conſtantini ejuſdem, Romanum Pontificem, præter

ea,

ea, quæ spiritualis Juris erant, nullo ferme temporali dominio auctum fuisse, tum in Urbe, tum per Italiam: & si aliquando, (ut supponitur) ab Imperatore, vel ab aliis acceperat, jam sublatum fuerat, vel a Gothis, vel a Longobardis, qui Italiam totam, cum Urbe Roma, suo imperio, & potestati subegerant. Anno vero Christi 705. tertio ante Constantini Pontificatum, Aripertus Rex Italiæ, ejusdem Nationis Longobardæ, teste Anastasio Bibliothecario, in Vita prædecessoris Joannis VII. *Donationem Patrimonii Alpium Cottiarum, qua, longa per tempora, a Jure Ecclesiæ privata fuerat, ac ab eadem gente detinebantur, in litteris aureis exaratam, jure proprio Beati Apostolorum Principis Petri, reformavit*. Hanc eamdem Donationem Luitprandus immediatus Ariperti successor, quamvis antea easdem Alpes ab Ecclesia Romana repetierat, tamen Gregorio PP II. confirmavit, quæ videsis apud Baronium ad annos 705. & 715. Accepta igitur Donatione Patrimonii Alpium Cottiarum, par est credere, Romanum Pontificem, in signum alti dominii, coronam, Tiaræ, seu Camelaucio, quo *solebat Romæ procedere*, appofuisse, sicuti solebant, sive Reges, sive alii Principes liberum, supremumque insignium Patrimoniorum dominium habentes. Sed & Constantinum Pontificem Urbis quoque Romæ dominatum independenter ab Imperatore habuisse, ex Anastasio Bibliothecario educitur, qui in Vita Gregorii II. ejusdem successoris hæc tradit. *Hic exordio Pontificatus sui calcarias decoqui jussit, & a porta Sancti Laurentii inchoans, hujus Civitatis muros restaurare decreverat, & aliquam partem faciens, emergentibus incongruis, variisque tumultibus, præpeditus est*: hæc namque murorum Urbis instauratio ad Pontificem minime pertinuisset, si ejus dominatus apud Imperatorem adhuc fuisset. Nam & hoc egerat, Justiniani Senioris nomine, qui regimen Urbis gerebat, Bellisarius exercitus ejus Dux, post recuperatam è manibus Totilæ Romam (*Baron. ad ann.* 547. *n.* 2.) Verùm & Romæ dominatum integrum habuisse Romanum Pontificem Gregorium II. constat, cum Imperator Leo Isaurus, inito fœdere, per Eutychium Italiæ Exarchum, cum Luitprando Longobardorum Rege, tentavit Romam sibi subjicere. Sed appropinquante portis Urbis Luitprando, unà cum Exarcho, & exercitu, factus ei obviam Pontifex, primo quidem Regem, præ reverentia pedibus se ipsius prosternentem, ab eo scelere revocavit, adeoque suis monitis flexit, ut idem & arma sua, & Coronam auream, & Crucem argenteam ad sepulchrum S. Petri deposuerit: deinde verò ejusdem Regis rogatu, Exarchum ad pacis concordiam suscepit (*Baron. ad An. Christi* 729. *n.* 1. *& Anastasius in Vit. Greg. II.*)

At temporale Dominium Summi Pontificis, plurimum auctum fuisse constat a Pontificatu ejusdem Gregorii, qui pluries paterne admonitum Leonam, sed frustra, tandem in Synodo Romana excommunicavit, & Imperio privavit; ea quo Itali ab ejus obedientia recedentes, ex his pars magna Civitatum Romani Ducatus, & populi, se Pontifici tradiderunt, ut prosequitur Bibliothecarius in Vitis Gregorii II. & III. ac Zachariæ sibi invicem successorum.

Romani itaque Pontificis majestate, aucta temporali dominio, tum Alpium Cottiarum, tum maxime partis Ducatus Romani, æquum est credere, ex tunc incœpisse usum apponendi in Tiara Coronam, ut ejusdem temporalis Dominii peculiare, cæterisque dominantibus commune, esset Insigne. Cum ratione Dominii, & Jurisdictione in subditos, certissime circa temporalia jure optimo competat aureæ coronæ delatio, ut *Aug. verf. Jurisdict. n.* 1. *& Sotus* 1. 4. *de Just. & Jur.*

De usu vero Tiaræ coronâ redimitæ, nullum aliud, quod sciam, nobis vetustius documentum visibile superest, quam quod extat in Basilica S. Cæciliæ Transtyberim a S. Paschale PP. I. paulo post annum 817., quo sedere cœpit, erectum, occasione, qua in eam Ecclesiam a se renovatam, ex cœmeterio Prætextati Via Appia, transtulit Corpora ejusdem S. Cæciliæ, necnon sociorum ejus Martyrum, ac reposuit sub Ara principe. Ciborium enim super eam construxit, quatuor ex nigro, alboque lapide columnis suffultum, quarum singulis Capitulis totidem statuas marmoreas stantes imposuit, nempe S. Cæciliæ, Valeriani ejusdem sponsi, S. Maximi, seu Tiburtii, necnon S. Urbani Papæ, singulas altitudinis palmorum circiter trium. Quæ igitur S. Urbanum repræsentat est Pontificalibus indumentis exornata, videlicet Planeta supra Albam, cum Manipulo, & Planetæ injectum habet Pallium Pontificale, quod suo circulo utramque scapulam, & humerum constringit, & a medio pectore fasciam demittit usque ad extremitatem exteriorem Planetæ, quæ pertingit tantum paulo ultra genua. Caput vero exornatur Tiara Pontificia cum corona satis am-

ampla supra frontem, quibusdam ad modum radiorum ornamentis insignita. Hanc igitur S. Urbani Papæ statuam diligenter æri incisam, a paucis, vel forte a nullo observatam, utpote singulare monumentum vetustatem novem sæculorum exhibens, oculis spectandam curavimus, in sequenti Tabula.



S. Vrbani P.P. in Ecc.a S. Cecilie.

In eadem Tabula, penes S. Urbani effigiem, duos orbiculos quoque incidi curavimus, in quibus, opere Musivo, duæ aliæ imagines cernuntur, alia ejusdem S. Urbani, alia verò S. Lucii Pontificum, quorum Corpora idem S. Paschalis, unà cum S. Cæcilia, & aliorum sociorum ejus, ex Cœmeterio in hanc transtulit Basilicam. Hæ duæ Imagines conspiciuntur in utroque angulo Zophori, seu fasciæ extensæ in fronte porticus supra columnas, cum aliis orbiculis eorumdem Sanctorum; & in capite gerunt eamdem formam Tiaræ, sed in iis, vel ob parvitatem operis, vel ob difficultatem exprimendi coronam tenuissimis lapillis, corona minime discernitur. At observandum est, a S. Paschali hujusmodi Imagines fuisse exornatas Tiarà, non quod reverà iidem Pontifices illa usi fuerint suis temporibus, sed tantùm ad exprimendum usum sui sæculi, quo effingebantur.

Supramemoratæ statuæ S. Urbani Pallium Pontificale, circulo suo a pectore se extendens, utrumque constringit humerum, & a medio pectoris lineam suam demittit fere usque ad extremam partem anteriorem Planetæ, quæ aliquantulum elevatur prope genua. In Pallio nulla Crux cernitur sculpta, quòd totum sit auro obductum, & hoc, admotis scalis, proprius conspeximus, manibusque contrectavimus; sicuti quoque Manipulus, cunctæque extremitates aliorum vestimentorum, auro exornatæ conspiciuntur: Ideoque putamus in hujus statuæ pallio prætermis-

termissas fuisse Cruces, quæ, cum rubri coloris esse deberent (ut apparet in Pallio S. Paschalis, musivi operis in proximo hemicyclo absidis depicti) non tam facilè effingi potuerunt in marmore, colore rubro illis superaddito.

De antiquitate hujusmodi monimentorum in Basilica S. Cæciliæ nullatenus dubitare nos sinunt, cum Gothico opere, quod ætate S. Paschalis I. in Urbe vigebat, elaboratæ imagines conspiciantur, nec ipsa Ecclesia unquam instaurata fuerit, nisi tempore Clem. PP. VIII. à clar. mem. Card. Paulo Sfondrato, qui cuncta reparari quidem, & exornari sollicite curavit, studio tamen eximio, ac diligentissimo, nè quid antiquitatis omnino deperiret, aut tolleretur, nec etiam adderetur quid novi, ut notat Antonius Bosius in ejusdem Ecclesiæ descriptione.

Sed de usu Tiaræ coronatæ penes Romanos Pontifices aliud habemus documentum vetustius, si inhærendum sit non levi conjecturæ Cl. Viri P. Joannis Mabillonii. Hic Tom. 2. Musei Italici, Ordinem, seu Cæremoniarium S. R. E. in Ord. IX. exhibet, ex Codice S. Galli, eumque censet scriptum fuisse tempore S. Leonis PP. III. qui sedit An. Christ. 795. Ibi enim, post descriptam ejusdem Pontificis Consecrationem in Episcopum, peractam in Basilica S. Petri, num. 6. sic legitur: *Ingressus in sacrarium, jam tunc sedet in sella Apostolica: Egrediens indè, tum ad inferiores gradus S. Petri descendit: ibi stat Equus, vel sella prædecessoris Pontificis, & ad sedendum paratus: & accedunt Patroni Regionum, uno incipiente, cæteris respondentibus, in hunc modum canunt ei laudem*: Dominus Leo Papa, quem S. Petrus elegit in sua sede multis annis sedere. *Hoc usque dicto, accedit Prior stabuli, & imponit ei in capite REGNUM, quod, ad similitudinem cassidis, ex albo fit indumento.*

Si autem ad ætatem S. Leonis III. referri valeat hoc monimentum, plura hinc ad eruditionem nobis aperiuntur: patet enim primo loco, usum ejusdem Tiaræ cum Corona viguisse toto eo sæculo octavo: 2. appellatam fuisse *Regnum*, non alia quidem ex causâ, nisi quòd corona ad formam regalis fulgeret: 3. consuetudo vetustissima, eodem Regno coronandi novum Pontificem, post ejusdem Consecrationem, ad gradus Basilicæ S. Petri, quamvis hujus Coronationis ritus prima ab Anastasio Bibliothecario mentio fiat in Nicolai I. electione, idest ad annum 858. ex quo constat, diversam extitisse Ordinationem a Coronatione, contra id, quod tradit Joseph Valentinus Episcopus Vestanus, in parvo suo Opusculo ad Sixtum V. *De Coronatione Pontificis*, ubi ait, veteres Scriptores, *Consecrationis nomine, Coronationis ritum amplecti*: qui etiam erroneè tradit, ex Bibliothecario, *Constantinum II. Pontificem an. 766. & Philippum Papam, eodem anno, Consecrationem, & Coronationem accepisse*: quod, suo tantum marte asserit, cum de hac Coronatione horum duorum Pseudopontificum, seu Pontificatus invasorum, nulla fiat ab ipso Bibliothecario mentio, ubi de legitima Stephani IV. electione agit: sicuti nec de Coronatione Eugenii II. atque Benedicti III. quam explicat ipse Valentinus.

Formam tamen Tiaræ nonnihil immutatam fuisse, & in acumen productam, circa ejusdem sæculi IX. finem apparet ex Imaginibus Pontificum delineatis, jussione Formosi Papæ, in parietibus veteris Vaticanæ Basilicæ, quas profert Ciampinus tabulis X. & XI. *in lib. de Ædific. Constantini*, ad similitudinem panis saccarei, vel turbinis (ac proindè *Mitra turbinata dicta est*). Imo non semper in Veteribus monumentis radianti Corona in circulo, sed sæpe sæpius phrygio tantum opere, nulla expressa forma Coronæ radiatæ, apparet. Hoc maxime notandum ex variis Tiaræ formis, quas conspicimus in Statuis Bonifacii PP. VIII. ineunte sæculo XIV., quæ, vel unica tantum Corona, aut auriphrygio prædicto fulgent. Et ex hoc refellitur communis opinio, innixa testimonio tantùm Nicolai Alemanni (*de parietin. Later. cap.* 3.) nempe Bonifacium alteram Tiaræ Pontificiæ addidisse Coronam: ac etiam Ciaconii asserentis, hunc Pontificem duplicis *coronamenti Tiarâ* usum fuisse.

En igitur in sequenti Tabula delineatas diversas Tiaræ ejusdem Pontificis formas, quæ conspiciuntur in variis Statuis, sive picturis, eidem Pontifici constitutis diversis in locis, ob ejus præclara merita, collectis primùm a Joanne Rubeo, in suo Opere de Bonifacio VIII. pag. 90. ac postea exhibitas ab Oldoino in suis novis additionibus ad Ciacconium sub ejusdem Vita. Ex quibus clare apparet, Bonifacium, aliosque illius ætatis Pontifices, non semper Tiarâ usos esse, Coronâ realiter insignita, sed etiam solo phrygio, loco Coronæ, in circulo exornata, quod videre est in statua Nicolai IV. in Basilica Lateranensi, qui Bonifacium præcessit.

EX-

N. I.
Vaticana



N. II.
Vaticana



N. III.
Lateranen.




N. IV.
Anagnina



N. V.
Florentina




N. VI.
Bononiensis



N. VII.
Urbis Veteris



N. VIII.
Anagnina



EXPLICATIO TABULÆ.

N. 1. Forma Tiaræ Bonifacii VIII. ex marmorea ipsius Statua in Basilica Vaticana.

N. 2. Ex marmorea ipsius Statua instar jacentis supra sarcophagum, in quo corpus ejus repertum est integrum, & adhuc incorruptum in Basilica Vaticana, anno 1605. & post ejus obitum trecentesimo secundo: cujus oculari inspectione formæ, quæ æri incisa ab Oldoino in suis novis ad Ciaccennium additionibus, exhibetur post vitam Bonifacii, corrigendus est error Jacobi Grimaldi, qui in Instrumento Inventionis ejusdem Corporis, scripsit: *Amota enim statua Bonifacii instar quiescentis cum Tiara tribus Coronis coronata*: quod abest a veritate, cum neque ibidem una realis cernatur expressa Corona radiata.

N. 3. Ex Pictura ejusdem Bonifacii, adhuc ipso vivente, coloribus delineata a celeberrimo Jotto Florentino anno 1300. in Porticu Lateranensis Basilicæ, exprimente Pontificem ipsum in actu publicationis Anni Jubilæi Centesimi ab eo instituti, quæ postea pictura ex porticu ipsa, in nova ejusdem Basilicæ renovatione translata, conspicitur in prima ex navibus Septemptrionem versùs affixa.

N. 4. Ex alia Statua eidem Bonifacio VIII. erecta a Civitate Anagnina supra portam majorem Cathedralis Ecclesiæ, quam in minoribus, Canonicali dignitate illustraverat, eamque postea præclaris muneribus, & honoribus cumulaverat.

N. 5. Ex Statua eidem posita a Republica Florentina, quæ Tiara spectatur lapidibus pretiosis, ac magnis unionibus exornata.

N. 6. Ex alia Statua marmorea a Senatu Populoque Bononiensi, ob præclara erga se a Bonifacio præstita Beneficia. Sed ex triplici Corona, qua hæc Tiara exornata conspicitur, manifestè apparet, præclarum hoc Monumentum erectum illi fuisse diu post illius obitum, & post Urbanum V. qui Tiaræ Pontificiæ Tertiam addidisse Coronam fertur.

N. 7. Ex Statua eidem Bonifacio apposita a Civitate Urbis Veteris, in cujus circulo radii Coronæ unius supereminent.

N. 8. Placuit tandem nobis hic exhibere effigiem Tiaræ, quæ expressa visitur supra ingentis molis Campanam (sicuti in alis cernitur inferioris formæ) in Nolario Cathedralis Anagniæ, quas fudi jussit idem Papa Bonifacius VIII. anno 1295. Pontificatus vero secundo, in cujus Tiaræ circulo, non quidem est Corona, sed veluti opus phrygium, loco Coronæ, & per totam diversis lineis intertexta usque ad summitatem, utrinque vero stipatur duplici scuto, seu parma, in qua apparent duæ undæ per obliquum ductæ, quæ referunt insignia Cajetanæ ejusdem Bonifacii familiæ, absque ullo ornamento.

Sed & Bonifacium alteram Tiaræ Pontificiæ Coronam minimè addidisse, id etiam argumento esse potest: Certum est tanti Pontificis capitales inimicos, etiam post ejus mortem, eum persequi non destitisse, imò ejus præclaram famam, patentibus, ac etiam ignominiosis calumniis aggressos fuisse: & inter cæteras, quòd ipse in litteris datis ad Regem Philippum, se constitutum jactaverit a Deo, super Reges, & Regna, ad evellendum, destruendum, dissipandum, & plantandum: immo, & Reges subesse summo Hierarchiæ Ecclesiasticæ Hierarchæ; sed malè sensum illius assecuti, censuerunt, Bonifacium, temporale dominium in Reges, & Regna usurpasse, ut non aliter regnarent, quàm beneficio illius: quod certe non dixit Bonifacius, nec ex ejus litteris ullo potest equuleo extorqueri. Si itaque Bonifacius alteram Regno, seu Tiaræ addidisset Coronam, quisnam, & virulentum venenum, & calamum impiorum hominum continuisset, nè Bonifacium hac altera calumnia impeterent, ut videlicet, apposità Tiaræ Pontificiæ secunda Corona, utrumque designaret Imperium temporale, scilicet atque spirituale; & ad minus calumniatorum ejus malitia eum ambitionis, fastus, ac superbiæ tantum Virum insimulasset.

Sed Bonifacium Papam VIII. duplicem Coronam in Tiara Pontificia minime gestasse, nec secundam illi addidisse, pro valido argumento est, successorem ejus immediatum, Beatum Benedictum XI., unicam tantum Coronam in ejus monumentis gestantem videre. Fuit hic patria Tarvisinus Nicolaus de Boccasinis dictus, ex Ord. Sancti Dominici Pontifex, doctrina, & sanctitate conspicuus, ipsi Bonifacio VIII. suffectus, anno Christi 1303. decessitque Perusiæ anno subsequenti, cum sedisset menses octo, dies vero decem, atque septem, se-

sepultusque humiliter in Ecclesia suorum Fratrum Prædicatorum, ut jusserat: Hujus B. Pontificis nomen, cum adhuc in fastos sacros relatum non fuisset, SS. D. N. BENEDICTUS PP. XIV. suis litteris Apostolicis *de nova Martyrologii editione*, addendum constituit, sub die septima Julii: de quo Beato plura jam exposuerat in egregio suo alio libro *De Canonizatione Sanctorum*, cap. 28. §. 46. & cap. 42. n. 8.

Cardinalis itaque Pratensis, qui a Benedicto purpurâ donatus fuerat, in sui grati animi monumentum, & in ejus sanctimoniæ memoriam, in eadem Ecclesia illustre illi marmoreum sepulchrum excitavit, unà cum Inscriptione, seu Epitaphio, quod legitur apud Ciacconium (sed in pluribus mendosè) ad hoc, ut in ipso sarcophago Corpus è tumulo extractum deponeretur: quod tamen, tunc peractum minimè fuit, nec unquam postea factum est: supra sarcophagum ipsum prostat effigies Beati Viri Pontificalibus indumentis conspicua, inter quæ Tiara Pontificia, unicâ tantum Corona redimita. Unde videtur, quod si cum duabus Coronis, eamdem gestasset dum viveret, Card. Pratensis nunquam tali modo, unicâ tantùm expressam voluisset, & hoc monumentum graphice sculptum exhibet eruditus Vir Antonius Scotti, in sua Collectione Monimentorum concivis sui B. Benedicti, quæ edidit Tarvisii anno 1737. pagina 175. Ubi ad astruendam veritatem hujus monumenti, exemplum adducit statuæ sepulchralis illius Prædecessoris Bonifacii PP. VIII. in Vaticano, necnon ejusdem Imaginis a celebri Jotto in Laterano depictæ.

Ante paginam primam idem Scriptor graphice sculptam exhibet aliam ejusdem B. Benedicti Imaginem, quæ in Claustro Cœnobii ejusdem Ord. Prædicatorum (in quo Benedictus habitum Religionis sumpsit, & sanctimoniam vitæ nactus est) Tarvisii picta fuit anno MCCCLII. a Thoma de Mutina, propè locum Capituli, ab ejusdem obitu anno 48. Et hæc quidem Imago exornata est pallio Religionis suæ injecto aliis vestibus Religionis, & capite refert Tiaram Pontificiam radiis undique fulgentem, aureo circulo in extrema ejus parte, qua caput infertur circumdata, quo indicatur una tantum Corona: & hanc Imaginem observat idem Scotti, esse antiquiorem cæteris, quæ reperiri possunt.

Sed cum constet, hanc Benedicti XI. Imaginem depictam fuisse quadragesimo octavo anno post obitum ejus, apparet, eo tempore elaboratam, quo jam Pontifex Romanus, (translatâ jam in Gallias Sede Apostolica) duplicem Coronam in Tiara gestabat, ut habetur ex Imagine Joannis XXII. (nobis XXI.) qui Avenione obiit anno 1334., quæ visitur in ea Cathedrali ad ejus sepulchrum, ut indicat *Macrius in Hyerol. verbo, Tiara*. Et ex hoc suspicari quis posset, alteram Coronam Tiaræ Pontificiæ additam fuisse, vel a Clemente PP. V., qui successit Benedicto XI. & Sedem Apostolicam primus transtulit in Galliam, vel ab ipso Joanne XXII. qui Clementi successit, nam & Benedicti XII. qui Joanni immediate successus fuit, statuam habemus eidem erectam in Vaticano, duabus quidem Coronis fulgentem, ut videre est in Cryptis Basilicæ Sancti Petri.

Sed, cum communiter accipiatur omnium primum, Urbanum Quintum gestasse Tiaram, triplici fulgentem corona, observandum tamen est, statuam marmoream Urbani VI. (qui Romæ decessit anno 1389. post Urbanum V. decimonono,) quæ habetur in Vaticano ad ejus sepulchrum, quam exhibet Oldoinus in novis addit. ad Ciacconium, unica tantùm Corona exornatam Tiaram habere: Bonifacii vero IX. & Urbani VI. successoris, triplici Corona circumdatam, qui decessit anno 1404. cujus diversitatis causam cæteris explorandam relinquimus.

Et hic se se examinandam offert Quæstio, an Pontificalis hujus Tiaræ usus, alicui ex ordine Episcopali, aliquando concessus fuerit? Constat ex historia Ecclesiastica (*apud Baron. ad an.* 430) Cœlestinum Papam, Apostolicæ Sedis Legatum constituisse Cyrillum Patriarcham Alexandrinum, ut sui vices gereret in Concilio II. Ephesino contra Nestorium coacto, eique duno misisse *Phrygium*, quo Præsidens Synodo majestate fulgeret, & in sacris solemniis, more Romani Pontificis: ex quo etiam hoc idem ad ejus in Sede Alexandrina successores privilegium propagatum fuit. Baronius hoc *Phrygium* interpretatus est, fuisse *Pallium Pontificale*, quo significatur plena potestas: at hæc ejus interpretatio nullatenus probatur, tum a Spondano in Compendio Annalium ejusdem, tum ab aliis ejus annotatoribus, qui reverà Mitram tantum fuisse affirmant, non Pallium, neque Lorum, ut putant alii; nam & hoc Mitræ ornamentum singulare fuit eidem Cyrillo inter Græcos Episcopos, qui eo minime utebantur, nec illo postea usi sunt.

Theodorus verò Balsamon, pseudo-Patriar-

triarcha Antiochenus, Scriptor XII. sæculi, vult, a Cœlestino missam fuisse Tiaram auream, qua, & ipse Pontifex utebatur: sed quamvis a nonnullis etiam scriptoribus sequioris ævi, impropriè tamen, aliquando Phrygii nomen, pro Tiara Pontificia accipiatur, & Tiara cum Mitra confundatur, nihilominus, ex Textu ejusdem Balsamonis apparet, verè & propriè locutum fuisse de Tiara Pontificis Romani: at ex ejus contextu, & ipsum hallucinatum fuisse constat, apocrypho, & nullius authoritatis Edicto Constantini, quod ipsemet infensus animo, (ut observat Baronius ad ann. 324 & 1193.) in Rumanam Ecclesiam, primùm prodidit, falsoque sub nomine Eusebii Cæsariensis, vulgavit, circa an. 1195. quamvis antea Latinis innotuisset ex græco translatum, exceptum tamen bona fide a plurimis, quousque mala fides Græcorum inexplorata latuerit: at idem Annalium Parens (ad an. 324) occurrens iis, qui tanti ponderis existimant ipsum Constantini edictum, ut stultè timeant, si labefactetur, universam cum ipso Ecclesiam corruere, ait, reclamantibus ex adverso SS. Patribus, & antiquioribus Romanis Pontificibus, non Regum, & Imperatorum privilegiis, sed Christi verbis in Petro perstare suffultam, superque Petram firmiter ædificatam, quàm postea certiora a Regibus, & Imperatoribus acceperit privilegia: *Sicut, nec quod attinet ad Pontificia ornamenta, quæ continentur in asserto edicto, vel minimum dispendium Ecclesia Romana pati potest, si ejus corruat integritas: quandoquidem ea cuncta, antequam in eo scriberentur, jam possidebantur ab ejusdem Ecclesiæ Pontificibus, at de Corona, sive lamina aurea, aliisque.*

En itaque verba Balsamonis, in Edicto Constantini fundata, relata a P. Jacobo Goare in notis ad Rituale Græcorum ita scribente: *Ideoque Magnus Cyrillus Papa in cipite Tiaram circumdedit auream, quo tempore sanctæ, & universalis Tertiæ Synodo præfuit: quippe Cœlestini locum occupabat, ejus, qui Romanam, tum regebat Ecclesiam: & quia Cœlestinus utebatur gloria, secundum sanctionem Apostolis æquali illius sancti, magnique Constantini factum ad S. Silvestram, quum imperii sceptra, per Dei providentiam, ex veteri Roma transferrentur in hanc Urbem, omnia in principem, qua statuitur aurea Mitra, tum ipsius Sancti Silvestri, tam successorum, & Pontificum Romanorum caput condecorari debere, eadem, & Cyrillus exornabatur.* Et hic Balsamon, primo loco, *Tiaram auream* exprimit, secundo verò, Mitram auream: sed in Edicto (quamvis manifeste conficto) duo exprimuntur: primum Capiti S Silvestri impositum fuisse a Constantino *Phrygium, candido nitore splendidam*: & ex eodem habetur *Phrygium*, idest *Mitram*, non auream fuisse, sed albi coloris: secundò habetur, oblatam Coronam auream (quæ Tiaram circumdabat) S. Silvestrum humilitatis gratia renuisse: At omnia hæc cum ipso edicto evanescunt. Sed a Cœlestino missam dono fuisse non Tiaram, (qua, ut supra probavimus, adhuc Romanus Pontifex non utebatur) sed tantum Mitram aurophrygiatam apertissime constat.

De hac Tiara S. Silvestri aliud recentius assertum improbatur. Post Platinam Ciaconius (*cum addit: Victorelli, & Oldoini*) in Vita Eugenii Papa IV. tradit, *S. Silvestri Mitram, Romam ex Avenione delatam, tribus Coronis distinctam, ipsemet è Vaticano ad Lateranum detulit, magna cum veneratione, & litania Sacerdotum omnium, populique Romani.* Hoc de hac Mitra refert Spondanus in continuatione Annalium ad an. 1485. num. 1. qui ait, sub Innocentio VIII., ex Basilica Constantiniana sublatos fuisse duos Calices aureos magni ponderis, quos Ludovicus XI Rex Galliarum, & Ferdinandus Neapolitanorum Rex eidem Basilicæ donaverant: *Itemque Mitram, quam Regnum appellant, quæ S. Silvestri fuisse ferebatur, surreptam, eumdemque Pontificem diligentissimè inquiri jussisse, nec tamen sceleris auctores inveniri potuisse.* Idem refert Card. Rasponus in Historia ejusdem Basilicæ lib. 2. cap. 13. pag. 198. & eamdem Mitram scribit, *tribus Coronis aureis insignem, quam fuisse donum Constantini Magni perhibent.* Sed revera Platina, atque Card. Ægidius Viterbiensis nullam mentionem faciunt de triplici hac Corona, cum eorumdem temporum essent Scriptores, primus namque in Vita Eugenii ait: *S. Silvestri Mitram Avenione delatam, è Vaticano in Lateranam transtulit*: alter vero. *S. Silvestri Mitram quæsivit, & in sacrario honoris præcipui gratia collocavit.* Hinc est, quod rejicienda videtur recentiorum opinio, hanc Mitram S. Silvestri, & tribus aureis Coronis exornatam, & a Constantino eidem Pontifici donatam fuisse.

Sed præstat inquirere an usus Tiaræ Pontificiæ unquam fuerit concessus Patriarchæ Constantinopolitano, qui, cum ea sedes Summi Romani Pontificis obedientiæ subesset,

set, a Santa Sede Apostolica pluribus auctus est privilegiis. Fertur, eumdem Patriarcham ornamentum capite detulisse ad formam Regii Diadematis, quod censeri possit Tiaræ Pontificiæ simile. Refert namque Thomassinus to. 1. de vet., & nova Ecclesiæ Discipl. cap. 59. num. 2. S. Leonem Papam IX. an. 1053. *concessisse, Patriarchæ Constantinopolitano Mitram auro exornare, cum catenus Mitram gestasset lineam, albove lino vestitam*. Sed quoad illud ornamentum Diademati Regio simile, assumptum a Patriarcha, Goar (ex quodam Epiphane Scriptore græco, de Basilio Juniore, qui ab anno 977. usque ad 1016. Imperium rexit Constantinopolitanum) narrat, simultates quasdam obortas fuisse inter Imperatorem, & Patriarcham; tandem Theophylum Patriarcham Alexandrinum pacis conciliandæ advocatum, & mediatorem fuisse constitutum: & ita partes composuisse, ut videlicet Imperator Patriarchæ Regium Diadema imponeret, & vicissim Imperatorem in sacrorum suorum Officialium Collegium adscriberet Patriarcha: ac invicem, utrumque id præstitisse. Sed forma ipsius Diadematis, quo olim utebantur Constantinopolitani Patriarchæ multum diversa fuit a Tiara Romani Pontificis, teste Balsamone ipso sequioris sæculi Scriptore, relato ab eodem Goare: *Constantinopolitanum*, ait, *Præsulem, nullo Papæ privilegio semet ornatum video: quippe nec Regni coronam, fasciâ, nec cum coccineis calceis se videndum exhibet*. Immo nec diu postea id sibi arrogasse deprehenditur. Nam refert Raynaldus in Contin. Annal. de an. 1341. num. 129. quòd, perturbatis in ea Regia rebus, Patriarcha augustiorem se fecit habitu, Mitram tantum suam auro, & phrygio illustravit, Regnum veru, seu Coronam non usurpavit, scribit enim: *Flammeumque, seu tegmen capitis, quod ante Patriarchis, (si de Monachis non essent) album ferre mos erat, ipse auro illustravit, Servatoris nostri, & illibatæ ejus Genitricis, ac Joan. Baptistæ depictis in ea imaginibus*. Constat itaque veteres Patriarchas Constantinopolitanos nunquam tali privilegio a Romano Pontifice decoratos fuisse, ut videlicet, Tiarà Corona utique insigni uterentur.

Sed nec Tiarà, nec Diadematis ornamento exornatum se præstitit Patriarcha Constantinopolitanus, cum ad Concilium Generale ab Eugenio IV. coactum Florentiæ accessit Josephus Patriarcha, unà cum Joanne VIII. Paleologo Imperatore Græcorum, ejusque Fratre Demetrio Peloponesi Principe, ac 141. Episcopis. Quod testatur Andreas Sanctacrucius, qui eidem interfuit Concilio, in suo Colloquio cum Ludovico Pontano instituto (*extat in Collect. Gen. Concil. Tom.* XIII. *De Concil. Florent. p. 2. pag.* 906.) Ubi in Collectione I. *Quis prædictorum omnium ornatus fuerit?* ait: *Patriarchæ, & Archiepiscoporum habitum ibidem vidimus, nigrum tegmen capitis impositum Monachorum more, Cappa cælestini coloris, rigis albis, purpureisque per transversum, a summo usque deorsum variata. Sacrarium quodam Crucis venerabilis signum, cæterasque Martyrum Reliquias continens, in pectore gerentium. Abbates, & Monachi Cappas Camelorum pilis, seu grisia lana confectas: Capitis tegmen ab eorum Patriarcha, & Episcopis minime differentes sæculares Presbyteri &c.* Verùm non diu postquam Græci unionem cum Romana Ecclesia, sub Eugenio IV. in eodem Concilio initam amplexi fuerint, cum an. 1452. capta fuisset Urbs Constantinopolitana a Mahomete Turcarum tyranno, elegerunt Græci Patriarcham Gennadium Scholarium, qui eos ab unione retraxit, iterumque ad antiquum Schisma reversi sunt, & ex eo tempore Primatum totius universalis Ecclesiæ affectantes, etiam Insignia supremæ Pontificiæ authoritatis usurpare ausi sunt moderniores Pseudopatriarchæ: scribit enim prælaudatus Goar (lib. cit. pag. 314) *Nostris hisce temporibus Patriarchas Constantinopolitanos deferre Tiaram Corona, & 4. Crucibus coruscam, similem ferè ei, qua Romanus Pontifex utitur*, eamque nuperrime assumpsisse, videlicet sæculo XVII. At, quid illis præstat ornamento capitis, apud suos videri, & apparere tamquam caput sint Catholicæ Religionis, cum nec verè sint membra, nisi abscissa, atque rejecta.

Sed ex nonnullis monumentis, quæ mox proferemus, forsan conjectari licet, usum Pontificiæ Tiaræ aliis etiam concessum fuisse, sed tamen id affirmari non posse probabimus. Singulare quidem, & unicum porrò exemplum est, quod Anastasius Papa IV. circa annum 1153. pingi curavit in absida Oratorii in honorem S. Nicolai Episcopi, & Confessoris, circa an. 1119. constructi in Lateranensi Patriarchio a Callisto Papa II. Hæc absis, ad nostram usque ætatem inviolata permansit, sed unà cum Triclinio Leoniano, paucos ante annos, omnino periit: Imagines tamen illæ, diù antea æneis tabulis exculptæ, servatæ sunt, duplici ordine dispositæ. In superiori medium occupat Ima-

go

go Deiparæ ſedentis in throno, duos inter Angelos ſtantes; utrinque verò genibus flexis Virginem adorant Calliſtus Papa II. & Anaſtaſius IV. non Tiaram capite geſtantes, ſed tabulâ quadrata poſt caput inſigniti, uti olim fieri conſuevit Pontificibus adhuc viventibus, tanquam fundatoribus, ſeu inſtauratoribus Eccleſiarum, ut patet in plurimis Muſivis aliarum Urbis Baſilicarum: prope Calliſtum ſtat imago S. Silveſtri cum Tiara, ſeu Mitra turbinata, in circulo quidem phrygio, Coronæ loco, exornata, quod uſque ad acumen protenditur, gerens ſtellam in ſummitate. Partis vero inferioris medium tenet effigies S. Nicolai Epiſcopi, & Confeſſoris, Tiara pariter turbinata conſpicua, & ejuſdem formæ, quam referunt omnes aliæ Imagines Summorum Pontificum Gelaſii II. Paſchalis II. Urbani II. & Leonis IV. a dextris S. Nicolai, ſicuti aliæ a ſiniſtris videlicet Gregorii I. Alexandri II. Gregorii VII. & Victoris III. Cuique vero earumdem Imaginum legitur Nomen Pontificis quem exprimit, titulo *Sancti* præfixo. Hanc Tabulam SS. D. N. BENEDICTUS Papa XIV. protulit in egregio, atque laudatiſſimo Opere *De Servorum Dei Beatificatione*, *&c.* (ubi *lib.* 1. *pag.* 246. edit. Patavinæ) & ſapientiſſime illuſtravit, agens, quomodo hic Titulus *Sancti* fuerit attributus Pontificibus, qui nondum fuerant in album Sanctorum relati. Notandum tamen hìc eſt, quod Jacobus Grimaldus in deſcriptione ejuſdem Sacelli Sancti Nicolai, & ſingularum Imaginum, eas Icones, eorumque ornamenta deſcribens, ita ait, *Sunt hi Pontifices pictura inepta, planeta, & pallio induti cum orbiculari diademate, & Thiara unius Coronæ &c.* Formam tamen Tiaræ, acuminatam, uti revera erat, præteriit.

P. Papebrochius eamdem tabulam exhibuit in Propilæo ad Acta Sanctorum pag. 28. & cum perſpicuè appareat, non Mitræ bifidæ, ſed vera in omnibus forma Tiaræ Pontificiæ, nihilominus ſubdit: *Quæri autem poteſt, Mitram ne Epiſcopalem hic in capite ferat S. Nicolaus, & etiam talis ſit, quæ ſpectatur in capite S. Silveſtri, aliorumque Pontificum; An verò Tiaram Pontificalem, quæ ideo ſit etiam S. Nicolao impoſita, ut ejus meritorum, ac ſanctitatis puritas declaretur? Reſpondeo, poſtremum mihi videtur; Mitræ enim Epiſcopales, eo tempore, humiliores longè erant, ut videre eſt in iis, quæ in Sacrariis Eccleſiarum variarum aſſervantur, vel antiquis picturis, ante ſecula tria, vel quatuor, inveniuntur expreſſæ.* Nec aliter reſpondere poterat eruditus Vir, cum eadem forma Tiaræ conſpiciatur in ejuſdem poſterioris ſæculi Pontificum Imaginibus expreſſa. Et porrò Anaſtaſius, in hoc, nihil aliud in animo habuiſſe cenſendus eſt, quàm excelſa S. Nicolai merita comparare meritis Sanctorum Pontificum in Eccleſia, quorum multos in Cœlis gloria præcedit.

Secundo loco examinandum eſt, an Romanus Pontifex alicui etiam Legato a Latere, uſum Tiaræ Pontificiæ conceſſerit. Rejecta jam opinione Theodori Balſamonis, de Phrygio a Papa Cæleſtino ad Cyrillum Alexandrinum ſuum Legatum in Concilio Nicæno II. conſtitutum, miſſo, occurrit exemplum, ex quo conjici poteſt id peractum fuiſſe ab Alexandro Papa IV. Sæculo XIII. ex Regiſtro Epiſtolarum Summorum Pontificum; nam tradit Mabillonius in Præfat. ad Sæcul. V. Benedictinum, Alexandrum, *Patriarchæ Jeroſolymitano Apoſtolicæ Sedis Legato, propter honorem locorum Dominicorum, indulſiſſe, ut Inſignibus Papæ convenientibus, in Cypri, & Armeniæ Regnis, Papatu Antiochiæ, partibus Syriæ, & Inſulis, ſeu Provinciis adjacentibus, & in omni parte Orientali, ubi legationis officium exercebat, quod nullus alius Legatus ſibi tribuet niſi fuerit S. R. E. Cardinalis.* Per verba igitur *Inſignia Papæ convenientia*, videtur etiam inter ea includi Tiara, quæ Summo Pontifici ſpecialiter convenit. At omnino dicendum eſt, per expreſſa illa verba, minime educi poſſe, Papam conceſſiſſe uſum Tiaræ. Nam, ut refert Petrus Andreas Gambara, *De off. & poteſt. Legati a Latere*, ubi de poteſt. *Inſignia permiſſa Legatis, ſunt, deferre Crucem in ſignum poteſtatis, & præeminentiæ, uti Parafræno albo, & calcaribus auratis, ſicut utitur Papa, & proceſſionaliter ſuſcipi*: & §. de Patriarchalibus privilegiis: *quando* (ait) *Legatus eſt præſens, & utitur veſtibus Pontificalibus, & ſunt inſignia veſtis rubea, Parafrænum album, frænum, & calcaria deaurata, ſecundum Doctores in C. Antiqua de privil. Nam Innoc. IV. in 6. Decretal. lib. 1. de Offic. Legati, tit. 15. declarat, Legatos a Latere, ad inſtar antiquorum Proconſulum, cæterorumque Præſidum procedere, qui Imperialibus indumentis utebantur.*

Certum quoque eſt, quòd Romanus Pontifex in conſtituendis Legatis, nonnulla propria ſibi, ſuæque Perſonæ ſpecialia, reſervat, quæ cum in litteris expreſſa non habeantur, Legato, ex Jure Communi, minime competunt. Inter hæc uſus Tiaræ, & Re-

Regni Pontificii, procul dubio, censetur, eà præcipuè ratione, quod, ut ait Innocentius III. *Regno utitur Summus Pontifex, in signum Imperii, & in signum Temporalium*: ipsius tantum Personæ competit. Cum itaque nulli Legato conferat plenitudinem omnem suæ potestatis Imperii, ac Temporalium, par est credere, hoc sui Capitis ornamentum singulare, nunquam concessisse, nec concedere alicui Legato a Latere.

Ex opposito tamen objici posset, quod tradit Ugellius de Archiepiscopis Beneventanis, tom. 8. Italiæ Sacræ, nempe, quòd aliquando usum habuerint Mitræ rotundæ ad modum Pontificiæ Tiaræ, cum unà tantum Corona, & auriphrygio. Pompejus Sarnellius in Chronologicis monumentis Episcoporum, & Archiepiscoporum Beneventanorum pag. 10 §. 5. profert documentum ex Concilio Provinciali celebrato an. 1374. in quo Archiepiscopus Hugo Guidardi, in cap. de Sacramentis, hæc scripsit: *Nos, pro nostra Ecclesia Beneventana majori, digniori, & præcellenti REGNO, sive Mitra ad modum Summi Pontificis utimur, quod hic Camaurum vocatur*. Sed hujus privilegii, & a quo tempore, vel a quo Pontifice accepti, nullum profertur documentum, nec ab eodem Ughellio, nec etiam a Mario Vipera, in sua Chronologia illius Sedis Episcoporum: sed tantùm Vipera, ubi de Archiepiscopo Conrado Capytio agit (an. 1476.) ita scribit: *Fuit eidem Archiepiscopo sublata ab eodem Pontifice* (videlicet Sixto IV.) *prærogativa præferendi SS. Eucharistiæ Sacramentum in actu visitationis suæ Diœcesis, ut sui prædecessores, usque ad illud tempus usi fuere: & confirmatus usus Pontificalis Camauri, unà cum corona gemmata, & suas Bullarum expeditiones plumbeo sigillo muniendi*.

Sed quoad usum Pontificalis Tiaræ (quam impropriè Camaurum appellat) falsum scripsisse deprehenditur, cum hæc privilegia, quæcumque illa fuerint, constat, sublata fuisse, decennio ante ab eo enunciatam confirmationem, ut optimè annotavit eruditiss. recol. mem. Cl. Vir Prosper Eques Mandosius, olim amicus noster, author Additionum ad Ughellium, postremæ Venetæ editionis, hisce verbis: videlicet: *Id utrumque sustulisse Paulum II. Raynaldus ad annum 1466. refert num. x. nam, contra Viperam, Raynaldus Pauli II. Pontificium Diploma indicat, cui magis assentiendum existimamus*. Idemque additionum author tradit, Tiaram Beneventanam, quæ extabat inter illius Ecclesiae cymelia, ab Archiepiscopo Maximiliano Palumbaria (qui sedit an. 1574.) Romam fuisse transmissam, ut ad servandum ejus antiquitatis documentum repararetur, idque apparere ex ipsius litteris, quæ in ejusdem Ecclesiæ sacrario asservantur.

Cum itaque hujus Privilegii nullum reperiri, aut proferri valeat documentum, & alias inter Italiæ Civitatis Nobiles fulgeret Beneventum, atque de an. 1053. (Baron. dict. an.) Juris factum Apostolicæ Sedis, per commutationem cum Bambergensi Civitate, & illustrior apparuerit, quòd ibidem Concilia celebrata fuerint a Victore III. ab Urbano II. & alia duo a Paschali II. hinc potuit esse, ut Antistites, nemine contradicente, absque privilegio id usurpaverint, quod jure merito a Paulo II. sublatum fuerit.

Cardinalis Jacobus Piccolomineus, dictus Papiensis, in suorum *Commentariorum lib. 2.* asserit, ante Paulum II., per plura sæcula, Romanos Pontifices gestare desiisse hujusmodi Tiaræ Insigne, scribit namque, ubi de Paulo II. *Conquisitis undique pretiosissimis gemmis, Mitram, quæ tribus advecta Coronis, Regnum appellatur, atque a Pontificibus multis antea sæculis, desita erat gestari, novum confecit, atque adhibuit, cujus hodie, licitantium opinionibus, amplius centum, & viginti millibus æstimatur*. Ea namque ætate florebat Papiensis.

Sed quicquid fuerit de actuali gestatione Tiaræ, quam intermissam testatur Papiensis, certum est, eamdem impositam fuisse Immaginibus, atque Stemmatibus, seu armis Prædecessorum Pauli, ut videre est penes Eugenium IV. in valvis æneis Basilicæ Vaticanæ, in stemmatibus Nicolai V. Callisti III. atque Pii II. Immò, & de hac ipsa Mitra intelligi forsan potest, quod de eodem Eugenio Papa IV. legitur: Cum enim plurimum hic Pontifex laboraret, pro unione Græcæ Ecclesiæ cum Latina, & Generale indixisset Concilium, & primùm Ferrariæ illud aperuisset, atque Imperatoris Græcorum Paleologi, Patriarchæ Constantinopolitani, cæterisque ejusdem nationis Episcopis, & aliorum, qui convenerant, tot expensis jam expilatus, atque omnino exhaustus, nè tanti momenti res infecta remaneret, Papalem Mitram pretiosam opignorare coactus est, quod expresse Gennadius Græcus Scriptor, in Apologetico ad suos directo, testatur (apud Raynald. ad annum 1438. num. 20.) hisce verbis: *Cum Eugenius Papa non haberet, nec inveniebat, quod vobis daret, singulis pro expensis, & cum Florentinis significasset, ut sibi mutuo darent*

rent 40. millia nummum, misit illis in pignus Mitram suam: qui cum illam accepissent, quid petierat Pontifex fecerunt: quinimmò alia 40. millia polliciti sunt dono dare, si ad suam Civitatem Synodum transferret, ut eorum Civitas, unà cum Synodi definitione, honorem lucraretur. Et hoc præstitit Pontifex, sed tantum necessitate coactus, quòd videlicet, exorta pestilentia, Ferrariam ipsam invadere cœpisset.

Hoc idem fecisse Callistum PP. III. an. 1456. legimus apud eundem Annalium Continuatorem: Cum namque Bellum sacrum contra Turcarum gentes, ingenti comparata classe, instituisset, atque ærarium jam exhausisset, auxilia a pluribus expetens, in litteris ad quamplures datis, sic ait: *Necesse est, ut omnes Christi fideles, in tam sancto opere, omnibus suis facultatibus adjuvarent, pro quo nos aurum, argentum, & jocalia nostra etiam usque ad Mitras exposuimus hactenus*. Et in alia ad Ludovicum Lescases: *Gemmas, Jocalia, & argentum nostrum, ad hoc opus jam consumpsimus, usque ad Mitræ nostræ oppignorationem*.

Oblaterent igitur quantum sibi placet hostes Romanæ Ecclesiæ contra tam pretiosum Pontificii capitis ornamentum. Habet quidem Pontifex Mitras, ac Tiaras gemmis pretiosisque lapillis exornatas, sed non tantùm ad ornatum, & decorem æterni Pontificis Christi, cujus personam gerit, quantum ad ejusmodi divitias effundendas, quoties Catholicæ Religionis tuendæ, vel propagandæ, vel charitatis Christianæ exercendæ, illum urgeat necessitas. In his quidem generibus statuit S. Ambrosius (in lib. 2. Offic.) *vasa Ecclesiæ etiam initiata confringere, conflare, vendere licet*.

At hoc loco observanda se offerunt, quoad usum Tiaræ penes Summum Pontificem, duo monumenta ex Basilica Lateranensi: primum quod refert Cardinalis Rasponus in suo opere de eadem conscripto: libro namque primo, cap. 18. pagina 85. narrat, quod anno 1648. dum nova jacerentur fundamenta, pro ejusdem Ecclesiæ reparatione, repertum fuerit cadaver Silvestri Papæ II. inclusum marmoreæ capsæ, longitudinis palm. 12. sub terra defossæ, integrum, Pontificiis vestibus amictum, brachiis in Crucem conformatis, *Capite Sacrà Tiarà obtecto*, sed confestim aere permeanti in cineres resolutum fuisse, e quibus, fortasse ob aromata, quibus conditum fuerat, suavis odor fragraverit; neque præter argenteam Crucem, & annulum Pontificalem, quid incorruptum remansisse, cui Epitaphium apposuerat Sergius Papa IV., qui eidem, paulo post, in Sede successerat, quod modò affixum cernitur in prima ex Navibus Septemtrionem versus in eadem Basilica. At cum incompertum sit, an aliquis ex prædecessoribus, vel etiam ex successoribus Pontificibus, fuerit conditus in tumulo cum Tiara Papali in capite, cum constet plurimos eorum tumulatos fuisse exornatos tantum Mitrà, quæ Sacerdotii est proprium Insigne, suspicari possumus eum scriptorem, loco *Mitræ*, accepisse *Tiaram*, cum de ejusdem forma qualis esset nil prorsus indicaverit.

Alterum monumentum conspicitur in eadem navi ejusdem Basilicæ, Sepulchrum videlicet Sergii ejusdem IV. Pontificis, quod olim erat propè Sacellum S. Thomæ, & cum aliis, suis sedibus avulsum, jussione Alexandri Papæ VII. in hoc loco magnificè collocatum fuit. In parte itaque inferiori affixum cernitur Epitaphium ejusdem Sergii, in quo occurrit, primo loco, observanda epocha ejusdem Sedis, hoc modo sculpta in extremis duabus lineis.

Q. SEDIT ANN. II. ET M. VIIII. ET DIE XII.
OBIIT M. MAD. DIE XII. IND. X.
AN. DNICE INCARN. MILESIMO. TERTIO X.

Quæ tamen Epocha mendosè, ita refertur ab eodem Raspono. *Qui sedit an. XI., & Mens. IX. & dies XII. obiit mensis Maji die XII. Indict. X. Anno Dominicæ Incarnationis MXIII.* Et ex eodem Jo. Marius Crescimbenius in suo Opusculo edit. an. 1723. pag. 70. sub titulo: *Ristretto delle cose più notabili della Sacrosanta Chiesa Papale Lateranense*, Inscriptionem ex Raspono transcriptam exhibet.

Sed, quod ad rem pertinet, prospectus hujus Mausolei in eminentiori parte habet stemma gentilitium Tiarà Pontificia exornatum, referens Agnum Crucem dorso suo gestantem, sub quo fulgent stellæ sex. Sub hoc stemmate conspicitur ornatus plastici operis, figuræ ovalis, plurimis stellulis circumornatus, in cujus medullitio affixum est marmor quadrilateris palmorum circiter trium, in quo, anaglyphtico opere, pectore tenus, vilitur effigies unius Pontificis, Tiara Pontificia redimita, necnon nymbo, seu circulo circa caput, pluviali, circa pectus aperto, & dextera manu benedictionem impertitur, sinistra vero librum clausum sustinet.

Hanc imaginem Sergii IV. ejusdem extitis-

titisse, & esse non pauci existimant, cum revera, ex pavimento Ecclesiæ respicientibus, nullæ sculptæ litteræ appareant; & ego in hanc sententiam descenderam, sed cum anno elapso, in animo haberem, eamdem graphice exprimere, ad servandam hujus monumenti antiquitatem, & formam Tiaræ propiùs conspicerem, admotis scalis, unà cum pictore, sculptum esse juxta Caput deprehendi nomen S. SILVĒ. P. Ut videre est in sequenti tabula.



In Basilica Lateranensi

Ex hoc itaque manifeste apparet, Imaginem non esse Sergii PP. IV. quæ forsam cum aliis hujusmodi monumentis olim aderat ad ornatum alicujus Mausolei in veteri Basilica (cum etiam in cryptis Vaticanis plures serventur marmoreæ diversorum Sanctorum, & Apostolorum, & B. V. immo, & Christi Domini Imagines, quæ olim jacebant ad ornamentum sepulchrorum, tum Romanorum Pontificum, tum etiam Imperatorum) cum igitur hoc marmor, de quo sermo est, cum pluribus aliis jaceret in Claustro Canonicali ejusdem Basilicæ, absque ulla ponderatione artificum, aptatum fuit sepulchro Sergii IV. in renovatione Basilicæ, peracta ab Innocentio X., & Alexandro PP. VII. In hac tamen Tiara supra Coronam aliud conspicitur ornamentum ad modum fasciæ, quod elevatur, sed hoc pro Corona accipi non potest, cum sit ad exprimendum opus auro pictum, seu phrygium, vulgo *riccamo*, ut etiam clarius observari potest in Tiara Nicolai PP. IV. qui sedit an. 1288. & in aliis.

Ultimo tandem loco se discutiendum offert dubium, a quonam tempore usus invaluerit exornandi Stemma Romani Pontificis Gentilitium Tiarâ coronata. Sed hoc primo loco pendet ab exploratione temporis, quo usus Gentilitiorum stemmatum in nostram Italiam introductus fuit; secundo vero loco ab inspectionibus antiquorum lapidum, qui adhuc supersunt. Et quoad primum variæ sunt Scriptorum sententiæ; alii namque volunt, antiquissima fuisse stemmata Gentilitia, alii verò recentiora esse. Utramque opinionem expendens Ant. Steph. Cartharius in suo Tractatu *de Insignibus Gentilitiis. Tit. Prodromo Gentilitio*, edito Romæ anno 1679., secundæ adhæret sententiæ (maximè si de eorum usu in Italia agatur) & in hoc a veritate se minime elongat. Verùm cap. 3. primi libri asserit, cuncta Insignia Romanorum Pontificum, ante Bonifacium VIII. exhibita a Ciacconio, Panvinio, & aliis, cuncta esse falsa, atque supposititia: at in hoc erroris convincitur ex certissimis veteribus documentis.

Nam primò certum est, cognomina, & stemmata Gentilitia è Germania in Italiam advecta fuisse, circa medietatem Sæculi XI., & præcipuè quoad Summos Romanos Pontifices Natione Germanos, quales fuerunt Clemens II., antea Episcopus Bambergensis, & post eum Damasus II. ex Brixenonensi Antistite, & mox S. Leo IX., qui fuerat Tullensis; Et hi in Summo Pontificatu constituti stemmata sua Gentilitia exhibuerunt. Hinc meritò *Frizonius* in sua *Gallia Purpurata*, ex Fulberto Episcopo XX. Carnotensi, ac etiam *Pompejus Sarnellius Episcopus Vigiliensis tom. 4. Epistolarum Ecclesiasticarum*, statuunt usum stemmatum Gentilitiorum ex Germania in Italiam delatum fuisse a supra memorato Clemente PP. II. & a successoribus ejus Romanis Pontificibus continuatum, cum horum prædecessores, magna ex parte, hisce Gentilitiis Insignibus caruissent.

Sed ad evertendam opinionem Carthari, asserentis *cuncta Insignia Romanorum Pontificum, ante Bonifacium VIII. exhibita a Ciacconio, Panvinio, & aliis esse falsa, & suppositia*, id evidentibus probatur documentis: sæculo namque integro ante Bonifacium ipsum extiterunt insignia familiæ de Comitibus Signiæ, exhibentia Aquilam in parma, seu scuto, quaderculis per totum corpus conspersam: Quod insigne adhuc fulget in Parietinis Palatii ejus nobilis Familiæ in Civitate Anagniæ prope Cathedralem Ecclesiam, ex qua Summi Pontifices prodierunt Innocentius III. Gregorius IX., & Alexander IV. Simili modo clarissimæ stirpis Sabellæ

N

bellæ ante Bonifacii VIII. tempora, Insignia conspiciuntur, in S. M. Aracæli in Sarcophago Honorii PP. IV. qui decessit an. 1287. Immo etiam in eodem Sacello aliud visitur monumentum, ubi corpora quiescunt aliorum duorum nobilium Gentilium ejusdem Honorii IV. inter quæ Lucii Sabelli Patris ejusdem Pontificis, in cujus prospectu, hæc stemmata, hujusmodi opere musivo resplendent: quibus, aliisque exemplis maxime comprobatur, longè ante Bonifacii ejusdem tempora in usu fuisse stemmata Gentilitia Summorum Pontificum.

Verum tamen est, non tunc, sed diù postea, usum invaluisse stemmata ipsa Romanorum Pontificum exornandi Tiarà coronata duabus suffulta clavibus decussatis. Nam certum est, in prædicta Anagniæ Civitate, stemmata Innoc. III. vel sculpta, vel etiam auro picta in Indumentis sacris, quæ servantur in Cathedrali, sicuti etiam in aliis Gregorii PP. IX. nullo præfulgere Pontificiæ Tiaræ ornamento conspicua. Immo supra Januam majorem, ad meridiem præfatæ Basilicæ, quam ipse Bonifacius Canonicali dignitate illustraverat, extat statua Bonifacii VIII. eidem erecta post ejus obitum: hinc inde verò duo parmæ, seù scuta conspiciuntur simplicia, absque ullo ornamento, quæ stemma ipsius Pontificis Cajetanæ Familiæ insignia, nempe undarum scilicet duarum cærulei coloris, per obliquum in campo aureo, opere musivo elaborata. Observandum vero est, non supra scuta ipsa, sed in medio ipsorum delineatam esse Tiaram Pontificiam exornatam, atque simili opere musivo elaboratam. Idem videre est in maxima, & in aliis campanis ab ipso Bonifacio fusis ad usum Cathedralis ann. 1295. necnon etiam in argentea navicula ad ministrandum incensum, quæ in utroque operculo idem stemma Bonifacii refert. Ex quibus monumentis apparet, eo tempore in usu minime fuisse stemmatibus Pontificum Tiaram apponi.

Cum denique Tiara sit proprium Insigne Romani Pontificis, nil mirum est, si pro stemmate etiam fuerit concessa duabus papalibus sivè Patriarchalibus Basilicis Lateranensi, ac Vaticanæ, eo quod Pontificis ipsius residentiales sint propriæ Ecclesiæ. Lateranensis igitur, pro suo insigni exhibet parmam in qua scriptum legitur SACROSANCTA LATERANENSIS ECCLESIA OMNIUM URBIS ET ORBIS ECCLESIARUM MATER ET CAPUT: pro Corona autem exornatur Tiara Pontificia tribus Coronis, ac duabus clavibus decussatis innixa. Vaticana Basilica, in parma refert ipsam Tiaram Pontificiam, quæ hinc inde pendentes duas ipsas Claves sustinet.

Sed ætate Bonifacii VIII. neque S. R. E. Cardinales Stemmata sua, vel Mitra, vel Pileo rubri coloris, quo jam donati fuerant ab Innocentio PP. IV. in Concilio Lugdunensi an. 1245. exornare cœperant, ut ex antiquis eorum temporum monumentis, quæ in Urbe supersunt, educitur. In Basilica S. Laurentii extra Muros extat sepulchrum Cardinalis de Lavania ejusdem Innoc. IV. Nepotis, qui obiit ann. 1259. supra sarcophagum ejus pictæ adhuc conspiciuntur plures Sanctorum Imagines, inter quas etiam ipsius Innocentii, nec non & Cardinalis. Duo quoque scuta, seù parmæ simplices exhibent Gentilitium stemma, quæ nec Tiara, nec Pileo, nec Mitra exornantur.

Ante Altare majus Tituli S. Sabinæ in Monte Aventino, humi sepultum jacet Corpus Cardinalis Hugonis Ordinis S. Dominici, cui superposita cernitur tabula ænea cum ejusdem effigie, quæ capite gerit Mitram valde depressam, propè caput duo extant scuta simplicia, quæ Gentilitium stemma ostendunt, nec Mitrà, nec Pileo Cardinalitio insignita. Hic creatus fuit Card. & Archiepiscopus Lugdunensis a Nicolao Papa IV. anno 1288.

In Basilica S. Mariæ Majoris in intercolumnio Præsepi obverso olim jacebat Mausolæum Gundisalvi Cardinalis, & Episcopi Albanensis, Hispani a Bonifacio Papa VIII. Purpuratorum Patrum Collegio adscripti, qui sub eodem Pontifice vivere desiit anno 1299. Hujus statua sarcophago superposita Mitram capite gerit, in fronte vero sub ea, quinque parmæ, seù scuta opere musivo elaborata conspiciuntur, quæ referunt ejusdem Cardinalis stemma, sed nec Mitra, nec Pileo superposito fulgent, alterum vero eadem forma habetur in superiori parte ejusdem Mausolei, supra arcum, sub quo pariter musivo opere effictæ sunt Imagines B. M. V. sedentis, cum puerulo suo Jesu in Ulnis, & hinc inde S. Matthiæ Apostoli, atque S. Hieronymi Doctoris maximi quorum corpora in eadem Basilica requiescunt. Hoc præclarum monumentum, jussione SS. D. N. Papæ BENEDICTI XIV. e loco satis obscuro translatum est prope Januam inferiorem Navis ejusdem Septentrionalem: quod etiam, antequam suo pristino loco dimoveretur, Joannes Franciscus Albanus, tunc ejusdem Basilicæ Vicarius, mox S. R. E. Cardinalis, CLEMENTIS PP. XI. Pont. Maximi

xnni, tam nominis, & virtutum hæres, quàm veterum sacrorum monimentorum studiosissimus sectator, æri sculptum in folio publicæ Eruditorum commoditati, exhibendum, curavit: cujus quoque beneficio eamdem Tabulam nos exhibuimus spectandam in calce nostri Operis Historiæ antiquissimi Sacelli Sancti Laurentii ad Sancta Sanctorum de Urbe apud Lateranum, editi anno 1747. pag. 332.

Similis prorsus architecturæ, & forsan ab eadem artifice elaboratum, aliud conspicitur Mausolæum in Templo S. Mariæ de Ara-Cœli propè Sacrarium, è conspectu Capellæ S. Helenæ, erectum Fr. Matthæo de Aquasparta Ordinis S. Francisci ex Generali Ministro a Nicolao IV. relato inter S. R. E. Cardinales, (cujus consilio, & opera Bonifacius Papa VIII. amotis ab ea Ecclesia, & Monasterio Monachis Nigris, illam, cum cœnobio, Religioni S. Francisci attribuit) In hoc pariter monumento, sub sarcophago quinque habentur scuta, sextum vero in tympano superiori Mausolæi, non musiva, sed sculpta, Domus Aquæspartæ, nullo superposito signo. Et hic, quoniam in superiori parte monumenti pictæ tantum in pariete habentur Imagines, quæ jam deficere incipiunt, nec cuiquam est cura illas reparandi, unde brevi tempore omnes peribunt, singulare, quod attentissime observavi documentum annotare placet: nempe Imaginem Cardinalis ejusdem, quæ genibus flexis cernitur ante B. V. excipit a puerulo Jesu benedictionem, Cappam Magnam deferre usque ad pedes extensam, non coloris suæ Religionis, sed totam purpuream. Obiit hic Cardinalis anno Christi 1302.

Ac tandem, ut plura hujusmodi exempla prætermittamus, in Basilica Lateranensi conspicitur Sarcophagus in quo tumulatus fuit Petrus Valeriani de Piperno Cardinalis Diaconus S. Mariæ Novæ, unà cum ejusdem superposita effigie marmorea, Mitra exornata: In fronte vero Sarcophagi tria spectantur scuta gentilitium stemma referentia, sed simplicia, nullo ornamento conspicua. Obiit hic Card. an. 1302. vel juxta alios 1304.

Et hæc sufficiant ad ostendendum, ætate Bonifacii PP. VIII. in usu adhuc non fuisse (saltem communiter) supra stemmata Gentilitia apponere aliud ornamentum, non Tiaræ, neque Pilei, neque Mitræ; unde nullam in hoc adhibendam esse fidem nec Ciacconio, nec Frizonio, neque cuique ex Scriptoribus de Romanis Pontificibus, vel Cardinalibus, qui stemmata eorum hisce ornamentis insignita exhibent.

Hæc tandem circa Tiaræ Pontificiæ originem, ejusque usum primum, & alia, quæ hoc capite exponuntur fusè admodum explicavimus: at si aliis certiora suppetant documenta, parati sumus utique, a nostra sententia recedere, iisque accedere, ac prompto animo subscribere.

CAPUT XIII.

De Indumento ROCCHETTI, *quo, ferè semper, Pontifex Romanus utitur.*

COetera inter indumenta, tum Civilia, tum etiam Sacra, quibus utitur Summus Pontifex ad excelsæ suæ Dignitatis ornatum, illud maxime splendet, quod vulgari vocabulo ROCCHETTUM appellari solet, quo tum domi, tum extrà, privatim, & publice utitur. Hoc præclaro Insigni antiquiores Romanos Pontifices, etiam ante sæculum Christi septimum, exornatos fuisse, ex his, quæ infrà dicemus, minime dubitari posse videtur, quamvis in Chronologica serie, depicta sæculo Leoniano in Basilica S. Pauli, non conspiciatur.

Est autem Rocchettum vestis linea candidissima ad formam indusii, quæ interioribus vestibus superfertur, manicas strictas habens, a collo usque ad genua defluens, in extremitatibus corymbis, sive ornamentis, ex eadem materia, acu eleganter effurmatis, exornata.

Hujus Indumenti nomen proprium LINEA latinè appellatur, & appellari debet, ut docet Gavantus (præter alios) *in part. 1. titul. 2. de Præparat. Sacerdotis celebraturi : ubi* §. 2. ait : *Rocchetti nomen est novum, cujus sinonymum Riccha, apud Crassium lib. 1. c.* 41. *Gallica professo vox, Avenione, fortè, cum degerent ibi Summi Pontifices, introductum : nam in Calepino septem linguarum Dictionario, vox* Supparus *Gallicè vertitur* ROQUET. *Supparus autem ex Varrone lib. 4. de latin. lingua, dictus est, quod supra induatur; sicut subucula, quæ induitur subtus.*

Cui vero indumento Summi Sacerdotis, ac Pontificis antiquæ Legis hæc Linea, sivè Rocchettum respondeat, variantes inter opiniones, ea veritati proximior esse videtur, quæ statuit, illud respondere *Lineæ*, olim a Deo præscriptæ tum Aaroni Summo Pontifici, tum quoque ejusdem filiis, ac cæteris Levitis, cum ejusdem referat nomen, & formam, & in materia conveniat. Nam *Exod. c.* 28. *v.* 4., præter Rationale, & Superhumerale, præscriptam legimus ET LINEAM TUNICAM STRICTAM: *Et cap.* 39. *v.* 25. *Fecerunt & Tunicas byssinas opere textili Aaron, & filiis ejus.* En igitur forma, & materia. *Unde S. Hieronymus in Epistola ad Fabiolam, de vestitu Summi Sacerdotis vet. leg.* ita formam ejus lineæ describit: *Secunda vestis, ex lino tunica est, poderis, idest talaris, duplici sindone, quam & ipse Josephus Bysinam vocat, appellant, quæ Chetonet, quod hebræo sermone in* LINEAM *vertitur. Hæc adhæret corpori, & tam arcta est, & strictis manicis, ut nulla omnino in veste sit ruga, & usque ad crura descendit ...... Ergo & Sacerdotes parati in ministerium Dei utuntur hac tunica, ut habentes pulchritudinem vestimentorum, nudorum celeritate discurrant.*

Sed notandum, in primo Textu Divinæ Scripturæ aliato, distingui a Tunica, *Lineam strictam*; nam Tunica illa erat interior, & tota hyacinthina, & omninò talaris usque ad pedes, in cujus extremitate, per circuitum, septuaginta duo tintinnabula, totidemque mala punica pendebant; Linea verò stricta, erat exterior, quam describit S. Doctor. Cum itaque linea (quam Rocchettum appellamus, adhæreat corpori, ac strictis manicis, ac tantùm usque ad crura descendat, & ex bysso, seu candido lino sit confecta, hanc manifeste apparet omninò respondere veteri legis *Lineæ strictæ*: Immò, & quoad personas, quæ illa utuntur: nam non solum Pontifex Maximus Ecclesiæ, sed etiam alii Præsules, qui stant loco Aaronis, e Levitarum, hoc ipso indumento uti noscuntur.

Quoad usum verò hujus lineæ penes Episcopos Catholicæ Ecclesiæ, Egesippus antiquissimus Scriptor, ut refert Eusebius Cæsariensis Episcopus *lib. 2. Hist. Eccles. cap.* 22. *Vestibus enim utebantur non laneis, sed lineis dumtaxat.* Ex quo etiam, apud cæteros Apostolos id in usu fuisse, nonnulli autumant: & usum hujus lineæ processisse ex traditione Apostolica putant, ut Clerici lineis uterentur, & præcipue Episcopi: Et quamvis rara Ecclesiastica primorum temporum habeantur exempla, non deficiunt tamen indicata in nonnullis Actis Martyrum. Nam in Actis S. Alexandri Episcopi, relatis ab Adone in suo *Martyrol.* 26. *Novembris*, sub Antonino Imperatore traditur, suscepisse Martyrium *stans in linea.* Idem habent Pontius in Vita S. Cypriani Episcopi & Martyris, nec non ejusdem Acta Pro-

Proconsularia, in quibus legitur, quòd ante Martyrium, cum se Dalmatica expoliasset, eamque Diaconibus tradidisset, *stans in Linea cœpit Spiculatorem sustinere*, hoc est, ut explicat Baronius ad annum 261. *In Rocchetto*, quod antiquitus linea appellabatur, cum novum omnino sit Rocchetti nomen, ut jam dictum est.

Verùm non fuisse usum hujus lineæ exterioris cunctis Episcopis, & Clericis putandum est, temporibus persecutionum Gentilium, præcipue in Ecclesiasticos Viros desævientium: Redditâ tamen Ecclesiæ pace, communem omnium Clericorum primitivæ illius Ecclesiæ habitum extitisse probat Pennottus in sua *Historia Tripartita Canonicorum Regularium*, *quos instituit S. Augustinus Episcopus*, per totum caput 23. quo probare intendit, eosdem Canonicos veros Clericos esse, ab eodem S. Doctore institutos, & hoc decisum fuisse, tradit, a Summis Pontificibus ex identitate habitus linei deductum, nempe *Tunica linea*, seu *Rocchetto*, quam sub Cappa deferunt, ut notat Gloss. *in Clement.* t. *de electione verb. Habitus*: quæ Bulla extat in Bullar. Canonic. Regul. Lateranen. pag. 509. necnon ex allegationibus cl. J. C. Zachariæ ibidem relatis a pag. 436.

Ad probandum itaque, hunc habitum lineum, seu Rocchettum, in usu fuisse totius Ordinis Clericorum, plures refert antiquorum DD. authoritates, quorum paucis brevitatis causa attingemus; prima est S. Hieronymi Doctoris Maximi, qui *libro* 1. *contra Pelagianos* (post medium) sic ait: *Quæ sunt rogo inimicitiæ contra Deum, si tunicam habuero mundiorem, si Episcopus, Presbyter, Diaconus, & reliquus Ordo Ecclesiasticus cum candida veste processerint?* Et clarius in Epistola ad Nepotianum scribens: *Non absque linea incedere, sed pretium vestium Linearum non habere, laudabile est*.

Altera est S. Jo. Chrysostomi hom. 33. in Matthæum, ubi Clericos alloquens, ait: *Hæc est dignitas vestra, hæc stabilitas, hæc corona, non quod tunicam induti candidissimam per Ecclesiam ambulatis &c.* Ex his aliisque hujusmodi auctoritatibus infert laudatus Pennottus, quòd cum usus lineæ vestis fuerit communis, & antiquissimus apud Clericos in Ecclesia Catholica, nec illius primus author monstrari possit, illum, nonnisi de Traditione Apostolica processisse.

Subindè *lib.* 2. *cap.* 8. §. 2. subdit, in dubium revocari id non posse, exemplo Ecclesiæ Romanæ, quæ dicitur Apostolica, & præcipue in Romano Pontifice, qui Apostolorum Principis locum tenet, & successive in S. R. E. Cardinalibus, & cæteris Episcopis, qui aliorum Apostolorum, & Discipulorum Christi vicesgerunt. Nam Summus Pontifex statim, ac eligitur, quamvis assumatur ex aliquo Regulari quocumque Ordine Monachali, Rocchettum sumit, cum totius tam Regularis, quàm Clericalis Ordinis unicus evadit moderator, ac totius Ecclesiasticæ Monarchiæ supremus Hierarcha.

Et hic considerandum se offert, usum Rocchetti, non esse penes Episcopos Regulares, ac etiam S. R. E. Cardinales ex Monachali aliquo Instituto ad hujusmodi dignitates assumptos; hi enim loco Rocchetti superpelliceum induunt, quod vulgari nomine *Cottam* appellamus. Hoc indumentum tamen, exceptis tantum laxioribus, & amplioribus manicis, eamdem cum Rocchetto præsefert similitudinem, nam ex eodem bysso, seu candido lino conficitur, & usque ad crura extenditur, eademque forma corpus tegit. Antiquo nomine *Superpelliceum* appellatur, quòd, ut ait *Durandus lib.* 3. *c.* 1. hæc vestis supra pelliceas tunicas induebatur, ad indicandam innocentiam supra peccatum Adæ, quem Dominus tunica pellicea vestivit. Gavantus (loc. cit.) ejus usum, & antiquitatem deducit testimonio S. Hieronymi *in lib.* 1. *adversus Pelagian.* ubi meminit candidæ vestis ad usum Episcopi, Presbyteri, Diaconi, & reliqui Ordinis Ecclesiastici in administratione Sacramentorum subdens: *Quæ enim alii inferiori Clero potuit esse communis vestis, nisi Superpelliceum? est enim laxa, quia Clericalis Vita debet esse in eleemosynis larga, &c.*

Quod verò titulo *Cotta* communiter appelletur, subdit Gavantus, Perionium, *de linguæ Gallicæ cum Græca cognatione*, vocabulum Gallicum, *Cotte*, a Græca voce procedere &c. & *Camisiam* etiam appellatam fuisse a Codino, ubi de Officiis Constantinopolitanis: & quòd olim usque ad medias tibias extendebatur.

Putant aliqui, usum Rocchetti minime convenire statui Monachorum, seu Regularium, etiam postquam ad dignitates Cardinalatus, & Episcopatus assumpti sint, eo quod nunquam dimittant professionem, quàm amiserunt, cum austerioris illius vitæ disciplinam amplexi sunt, in cujus signum, nec exteriorem habitum dimittunt: & maxime ea ratione ducti, quod Rocchettum græce dicatur ῥὼ & χιτὼν, & particula ῥὼ, *Molle* & de-

& delicatum significat χιτών, *Tunicam*, itaut Rocchettum sit Tunica mollis, & delicata, nec benè conveniat Monasticæ seù austerioris vitæ disciplinæ, cui per solemnia vota se obligarunt.

Sed futilis, ac nullius momenti, imò & ridicula apparet hæc ratio ex etymologia a verbo græco deducta, cum Rocchettum, ut paulo ante notatum est, non ex Græca, sed ex Gallica corrupta voce deductum sit, & nomen modernum non antiquum esse constet; immo nec ipsi Superpelliceo hæc interpretatio applicari possit. Retinent igitur Regulares Episcopi, immo & S. R. E. Card. formam habitus, & colorem suæ Religionis, primùm, ut semper reminiscantur, se filios esse Sanctorum Virorum, qui suas instituerunt sanctissimas Religiones, & Regulas tradiderunt, a quibus etiam in excelsiori Ecclesiæ statu politi, deflectere non licet: Habitum quoque gestant in gloriam, summumque decus earumdem Religionum, a quibus doctrinam hauserunt, suosque cognoscunt in pietate, ac doctrina progressus. Quo verò ad usum non Rocchetti, sed Superpellicei, non ea videtur ratio, nè quis eorum supra se erigatur per hoc Insigne, nec in Vanitatem extollatur; sed inter variantes opiniones, ea potior esse videtur: quòd, cum, ex antiquissima consuetudine Regulares hujusmodi habitum regularem retineant, qui amplioribus manicis constat esse, impedimento illis foret, si in manicas Rocchetti, quæ strictissimæ sunt, inferre manus, & brachia deberent.

Cæterum cum Rocchettum assumptum fuerit in signum Jurisdictionis, eo semper, & ubique utitur, gestatque Romanus Pontifex omninò discooperto sub mozzetto, cum Jurisdictionem habeat in universo Mundo. S. R. E. Cardinales nunquam discoopertum, sine mantelletto, præsente Summo Pontifice, illud deferunt. Aperto tamen eo utuntur, cum Mozzetta in Ecclesiis Titularibus propriæ Jurisdictionis, ac in pluribus aliis functionibus: Episcopi verò numquam in Urbe nisi cooperto cum Mantelletta; discooperto vero, sub Mozzetto, & in locis suæ Jurisdictionis.

Præterea, privilegio deferendi Rocchettum sub Mantelletto donati sunt Clerici Cameræ Apostolicæ, Prothonotarii Apostolici, Sacræ Rotæ Romanæ Auditores, aliique Prælati de Curia: Canonici quoque trium Patriarchalium Urbis, videlicet S. Joannis Lateranensis, S. Petri in Vaticano, ac S. Mariæ Majoris, necnon Insigniorum Collegiatarum S. Mariæ Transtyberim S. Laurentii in Damaso, ac S. Mariæ in Cosmedin. Hoc ipso quoque Insigni ad instar Patriarchalium Urbis decorantur Canonici plurimarum Insignium Cathedralium aliarum Civitatum per Universum Orbem Catholicum, ex concessione Apostolica, itaut splendor hujus antiquissimi Clericalis Ordinis, & in capite, & in membris refulgeat.

Cur vero Romanus Pontifex ubique, & semper candidissimo hoc ornamento decoratus incedat, inter plurimas, quæ adduci possent rationes, ea principaliter notanda est, quòd Christi Domini personam ipsam repræsentat, qui est *Candor lucis æternæ*, & in Monte tribus Discipulis transfiguratus apparere dignatus est, vestimentis suis in nivei candoris formam mutatis: vestimenta enim ejus *facta sunt alba sunt nix* (Matth. 17.) ac propterea Urbanus V. in libro de Curia (apud Bonannium de Hierarchia Ecclesiastica, cap. 81. pag. 359.) scripsit: *Rocchetto, seù Linea semper Pontifex vallatus incedit, quia Divinam Christi Personam in universali Ecclesia repræsentat: siquidem Rocchetti, seù Camisiæ candor extrinsecus, & naturalis indicium censetur in Pontifice puritatis intrinsecæ relativum.*

Cum vero Urbanus V. Rocchettum appellaverit *Camisiam*, & alii quoque Scriptores dicant, *Romanam Camisiam*, non alia ex causa illi attributam esse hanc denominationem certum est, nisi quòd formam indusii, seu subuculæ referat, & per caput inferatur, sicut subucula, & utraque sit ex eadem, seu simili materia, & ejusdem fere esse debeat longitudinis: & quod *Romana* dicatur, eò quod principaliter sit in usu penes Romanos Pontifices, ejusque Curiam. At hic animadvertendum se offert, quod sub hoc nomine *Camisiæ*, involvitur etiam *Alba*, ut clarè innuit *Durand. lib. 3. cap. 98.* quam induit Sacerdos celebraturus, & hæc vestis *Poderis* nomine appellatur, eo quod ad pedes usque demittatur, & ab Amalario *Tunica*, & ab Rhabano, *Tunica linea*, & ab aliis *Tunica* simpliciter, & ipsa ex lino confecta nuncupatur.

Ex hac itaque *Camisiæ* appellatione, quæ diversis hujusmodi vestimentis attribuitur, orta est æquivocatio. Legitur namque in Epistola a Bonifacio Papa V. scripta ad Eduvinum Regem Anglorum, (nondum tamen adhuc baptismate initiatum) *(ex Beda in hist. Anglorum lib. 2. in Vita S. Paulini Eboracensis Episcopi, apud Sur. 2. Octobris) Præterea Benedictionem protectoris vestri Bea-*

ti Petri Apostolorum Principis vobis direximus, idest CAMISIAM cum ornamento in auro, & Lena Antyrana, unam: Nonnulli æquivocè interpretati sunt, hanc Camisiam fuisse indusium S. Petri Apostoli, quæ extaret inter Reliquias ejus Vaticanæ Basilicæ. At sciendum est, olim moris fuisse, ut venerationis causa, a Principibus, piisque viris mitterentur Romam Camisiæ albæ, ut propè, seu supra Principis Apostolorum sepulchrum deponerentur, ad hauriendam ejusdem Apostoli benedictionem: Exindè verò Summi Pontifices, prædictas Albas desumptas, pro Benedictione S. Apostoli, dono alicui Principi transmittebant aliquando: Hoc maxime educitur ex Anastasio Bibliothecario in Vita Benedicti Papæ III., ubi refert, Regem Saxonum obtulisse B. Petro, inter alia dona, *Camisias albas sigillatas, holosericas, & cum chrysoclavo* (idest aureis lineis distinctas). Hujusmodi autem extitisse Camisiam a Bonifacio V. Eduvino dono transmissam constat, & educitur ex verbis Pontificis relatis, non verò Indusium Sanctissimi Apostoli, ut æquivocè refert Severanus in lib. 7. Urbis Ecclesiarum pag. 139.

Prò hujus capitis tandem coronide subjicimus, antiquorum Rocchettum, non admodum breve extitisse, sed oblongum, & fere ad talos productum, nec moderno artificio, tam eleganter crispatum. Ejus forma observari potest in Rocchetto Bonifacii PP. VIII. cujus Corpus adhuc integrum, & incorruptum, post annos 302. ab ejus obitu, occasione demolitionis veteris Basilicæ S. Petri, jussione Pauli V. PP., anno MDCV., detectum, ex descriptione accuratissima desumpta, & exarata a Jacobo Grimaldo Notario Apostolico, quæ a pluribus auctoribus enunciatur, & integrè redditur a Joanne Ruben Ordinis S. Benedicti Monacho, in suo Opere, cui titulus *Bonifacius VIII.* sive ejusdem Apologia, a pag. 347. & seq. ubi vestimenta omnia, quibus totum Corpus hujus Pontificis, & membra contegebantur, describit, qui ubi de Rocchetto, hæc habet: *Rocchettus longus erat palmos sex, & quarti unius, usque ad talos, ex tela Cameracj, quæ Cambraya dicitur, qui cingebatur cingulo ex corio serico rubro cooperto in modum zonulæ cum quatuor cordulis sericis rubeis antependentibus stringentibus zonam: Alba, quæ & Camisum dicitur &c.* Hæc etiam habet Paulus Muchantius Magister Cæremoniarum, cujus meminit Bzovius ad annum 1605. Hunc morem servatum fuisse a S. Carolo Borromæo apparet ex Rocchetto ejusdem, quod religiosè asservatur in Ven. Monasterio Clarissarum Civitatis Anagniæ, eisdem dono dato ab Antonio Seneca Episcopo Anagnino, ejusdem S. Cardinalis, dum viveret, familiari: quod Rocchettum ad sex palmos pertingit, non Crispatum, tenui admodum ornamento in extremitatibus acu picto, distinctum. Ex quo nimiæ superfluitatis, seu melius dicamus, vanitatis arguuntur, qui Rocchettum deserunt totum fere flosculis ramusculisque acu phrygiatum, itaut nulla ferè pars lineæ telæ, ex qua totum confectum esse debet, oculis intuentium appareat.

CAPUT XIV.

De STOLA, & CAMAURO *Romani Pontificis*.

Stola antiquis fuit quædam vestis ad Corporis ornamentum exterius delata, quæ a collo, usque ad pedes defluebat: prima hujus vestimenti usus mentio habetur in libro Genesis cap. 41. v. 42. ubi legitur, quod Pharao, cum Josephum, Proregem in tota terra Ægypti constituisset, *Tulit annulum de manu sua, & dedit eum in manu ejus: vestivitque eum Stola byssina, a collo torquem auream circumposuit*. Verum, Stolam non fuisse singulare principatus, sed tantum honoris insigne, apparet ex eodem libro cap. 45. v. 22. ubi habetur, quod & ipse Joseph, cum se fratribus suis manifestasset, singulis quoque proferri jussit *binas* Stolas; *Beniamin verò dedit trecentos argenteos cum quinque Stolis primis*. Ex quibus, aliisque Scripturæ testimoniis apparet, Stolas fuisse ex albo byssino, hoc est lino contextas, atque etiam alias fuisse *primas*, idest majoris, ac etiam *secundas*, seu inferioris ornamenti, seu pretii.

De prima vero origine hujus sacri vestimenti, & cui antiqui Sacerdotii indumento respondeat, haud explicant Innocentius III. de sacris vestibus, atque Durandus in Rationale Divinorum Officiorum: neque Octav. Ferrar. in Analectis de re vestiaria,

ria, ubi specialiter agit de Stola c. 17. & 17. Cuncti tamen in eo conveniunt, ut Stola sit idem, ac *Orarium*, ut docent Sacri Canones, unde S. Ambrosius de obitu fratri sui ait: *Quintum est, quod Orarium dicitur: licet hoc quidam Stolam vocant*, & ideo Orarium appellari a verbo *Oro*, quod *prædicare* significat, ut notat Beda in Collect. de 7. Ord. & Concilium Toletanum cap. 59. *Unum Orarium oportet gestare Levitam in sinistro humero, per quod orat, idest prædicat*. Sic etiam Honor. Augustodunensis, lib. 1. c. 104. *Deinde circumdat collum suum Stola, quæ & Orarium dicitur*.

Aliquando Stolam pro Pallio Archiepiscopali accipitur, ut notat *Du-Cange*. At Octavius Ferrarius in Analcetis de re Vestiaria, cap. 18. non fuisse Pallium probat. Rubenius (apud eumdem Ferrar. cap. seq.) putat humeralem fasciam, sive *Lorum* ab Imperatoribus Bizantynis gestatum, vere esse orarium, sed ea serico, auro, gemmisque contextum, unde duos profert nummos unum Anastasii, alterum Constantini, in quibus est fascia auro, gemmisque ornata, utrique humero imposita, deinde in pectore in Crucis formam deducta, ut solent deferre Sacerdotes, dum ea utuntur in celebratione Missæ.

Usum Stolæ, seu Orarii, Goar in Liturgia S. Jo. Chrysostomi, tradit in Ecclesia indu̇ctum ea Apostolica Institutione ex Actis S. Clementis, ut habetur apud Sanctum Antoninum p. 1. tit. 6. num. 26. Ab initio Ecclesiæ fuit Stola, seu Orarium commune tum Diaconibus, tum Presbyteris, tum & Episcopis insigne, quod omnibus his commune esset orandi, seu prædicandi officium, quamvis diversimodè ab unoquoque eorum gestata; Nam Diaconi non rectà a collo, sed super lævam tantum scapulam in modum Crucis ante pectus, Presbyteri vero a collo circumducta ab utroque humero recta defluit, solum in pectore ad formam Crucis in celebratione Missæ, in qua Christi Passio recolitur: Episcopi vero pendentem a collo deferunt, nec ad modum Crucis implicatam, cum supra pectus Crucem aliam, sive auream, sive argenteam deferunt.

In Concilio Moguntino celebrato tempore Caroli Magni, cautum erat cap. 28. *Ut Presbyteri sine intermissione utantur Orariis propter differentiam Sacerdotiæ dignitatis*: nempe ut a Diaconis, vel aliis in Sacerdotio non constitutis Ecclesiasticis discernerentur. Sed talis observantia, ut publicè, & ubique deferatur Stola, in solo Summo Pontifice Romano remansit, itaut hodie pro singulari ejus prærogativa reputetur, eamque defert supra Mozettum, atque tamquam ultimum, ac proprium Pontificii ornamenti tum domi, tum extra, & in publicum prodiens, tumque supremæ anthoritatis insigne: quo etiam admonetur se orarium semper deferre, quod ipsi oporteat semper prædicare vel per se, vel per suos Apostolicos ministros, optimis quoque moribus, atque exemplis, ut in ejus persona semper, & ubique impleatur mandatum illud Christi: Pasce oves meas.

Sed quoad usum hujus *Stolæ* in Romano Pontifice in exteriori habitu, & in publico, quando incœperit, cum nullus adhue mihi occurrerit scriptor, nec certa documenta, in antiquissimis musivis, aut picturita habeantur ex alia parte, constat ex relatis a Scriptoribus supracitatis, Orarium, sive *Stolam* hanc, aliquando acceptam pro Pallio Archiepiscopali, & Pallium ipsum pro Stola, apparet namque ex Anastasio Bibliothecario in Vita Agathunis PP. quod cum in Sexta Synodo Macarius Antiochenus Patriarcha declaratus esset Hæreticus, ac damnatus, ibi publice est Orario despoliatus, quod erat signum degradationis: *Ea hora Sancta Synodus unà cum Principe ejus Orarium auferri jusserunt a collo ejus, & exiliens Basilius Episcopus Creteusis Ecclesiæ ejus Orarium absolvit, & ante anathematizantes projecerunt eum foris Synodum, simulque & thronum ejus*: (hujus ritus plura alia videsis apud Macrium verbo Orarium.)

Simile quid peractum fuisse tradit Anastasius Bibliothecarius in Vita S. Pontificis Silverii, a Bellisario, ut impiis jussionibus uxoris Justiniani Imperatoris obsequeretur: cum enim S. Pontifex accessisset in Palatium in Pincis, cum exprobratus fuisset ab Antonina Bellisarii uxore, quòd vellet eos tradere in manus Gothorum: *adhuc ea loquente ingressus Joannes Subdiaconus regionarius primæ regionis tulit pallium de collo ejus, & duxit in Cubiculum, & expolians cum induit cum veste monastica, & abscondit eum. Tunc Sixtus subdiaconus regionarius Regionis sextæ egressus foras nunciavit ad Clerum dicens: quia Dominus Papa depositus, est & factus est Monachus*. Non immerito quidem suspicari possumus, pallium detractum a collo Silverii PP. non fuisse pallium Episcopale, seu Pontificale, non enim hoc pallio utebantur ubique, sed tantum

tum in ſacrificio Miſſæ, aut forſan etiam in Conciliis agendis, ac aliis Sacris Eccleſiaſticis functionibus, ſed fuiſſe tantum Orarium, ſeu Stolam, qua utebantur, in privatis etiam viſitationibus, prout modò, Pontifex illâ ubique uti ſolet. Hinc par credere non eſt S. Silverium in publicum, & per plateas proceſſiſſe in domum privatam Belliſarii ad conveniendum cum uxore ejus, ſolo Pallio Pontificali, abſque aliis ſacris Indumentis.

Clarius exprimitur *Orarii* detractio in ſignum degradationis ab eodem Anaſtaſio Bibliothecario in Vita Stephani IV. in perſona Conſtantini Sedis Apoſtolicæ Invaſoris, & Pſeudopontificis, qui ductus in Baſilicam Salvatoris, ita depoſitus fuit coram Epiſcopis, Presbyteris, & Clericis: *Accedens Maurianus Subdiaconus Orarium ei de collo abſtulit, & ante pedes ejus projecit, & compages illius abſcidit*.

Sed clarius in Romano Pontifice ordinarius uſus Stolæ apparet in effigie muſiva Joannis PP. VII. qui ſedit anno Chriſti 705. In ſacrario Baſilicæ S. Mariæ in Coſmedin de Urbe ſervatur Tabula, muſivo opere elaborata, quam idem Pontifex ſupra Altare Oratorii B. Virginis a ſe erecto in Baſilica Vaticana poſuit. Sedet in medio B. V. puerum Jeſum in ulnis geſtans; in latere ejus ſiniſtro eſt Angelus alatus virgam manu tenens, nymbo in capite decoratus; in dextero verò ſtat effigies ipſius Joannis VII. habitu quidem non monaſtico, ut volunt nonnulli, ſed longa toga, quæ ad talos uſque deſcendit, quo ſuper, a collo, & utrinque per ſcapulas Orarium, ſeu Stola pendet, largioris tamen formæ, quam quæ hodie in uſu eſt, per totum a Summo deorſum, lapillis aliis rotundis ad roſarum formam, & aliis quadratis intertextum. Hanc Imaginem perperàm deſcripſiſſe Abbatem Piazza (de Gerarch. Cardinal. pag. 772.) obſervat Cl. Vir. Joannes Marius Creſcimbenius in ſua Hiſtoria de Baſil. Sanctæ Mariæ in Coſmedin, pag. 144. necnon & Patrem Severanum in lib. de VII. Eccleſ. Urbis pag. 70. qui loco hujus Tabulæ Muſivæ, aliam acceperunt, quæ pariter, idem PP. Joannes VII. Muſivo opere, efformari fecerat ſupra portam ejuſdem Sacelli, quæ inde ablata, tempore Pauli Quinti, Florentiam tranſmiſſa eſt (juxta Torrigium de Cryptis Vaticanis par. 2. pag. 117. & 121. a Petro Strozzio Canonic. Baſil. Vaticanæ, ac juxta Severanum cap. 24. pag. 47., ablata a Card. Pallotta tunc Archipresbytero, ac dono data Familiæ de Ricciis, ad effectum eam collocandi Florentiæ in Sacello eorum in Eccleſia S. Marci: hanc ibidem Creſcimbenius ita deſcriptam tradit ex Marraccio, ubi legitur *ad ejus dexteram ſtabat erectus idem Joannes VII. veſtitus planeta, & ornatus pallio, habens in capite quadratum Diadema, & ſublatum manibus offerens Deiparæ ipſum Oratorium*. Hæc ſunt itaque inſignia ſacra, quibus Joannes VII. exornatus habetur in ea Imagine, quæ nunc extat Florentiæ: In hac verò de qua loquimur, ipſemet ſeipſum exhibuit humiliter veſtitum, domeſticis tantum indumentis, inter quæ clara eſt forma Stolæ eidem pendentis e collo, & ad inferiora defluentis, ut videre eſt apud ipſum S. Mariæ in Coſmedin Hiſtoricum, ac etiam apud Ciampin. in lib. de Sac. Ædific. Conſtantini pag. 74.

DE CAMAURO.

Quamvis perperàm, atque impropriè titulus Camauri a nonnullis tribuatur Tiaræ, ſive Regno, quo utitur Romanus Pontifex, propriè tamen Camaurum eſt Birettum illud, quo ejuſdem caput operitur, cujus limbus binas habet appendices, parabolicis figuris deſinentes, quæ faciei tempora contegunt. Ejuſdem porrò formæ biretto caput operiunt Monachi Græci, uſumque ejus quoque acceperunt Monachi Ordinis Sancti Benedicti, utpote indumentum aptiſſimum ad caput ipſum ab aeris injuriis cuſtodiendum, atque fovendum. At Camaurum Pontificium confectum eſt purpureo raſo, pro tempore æſtivo, villoſo verò ſerico item purpureo, ac pelle Armellina ſubſuto, in hyeme.

Sed obſervat Macrius V. *Camelaucium*, ea ratione *Tiaram*, quæ vulgo appellatur Triregnum Summi Pontificis, ideo etiam Camaurum appellatam, *vel quia ſuper tale Birettum imponebatur, ut in antiquis picturis conſpicitur; vel quâ Camaurum a Camelaucio diverſificatur*.

Quamvis in ſuperſtitibus adhuc antiquorum Pontificum Romanorum muſivis Imaginibus, (quod ſciam) nullum veſtigium appareat hujus Pontificii capitis ornamenti, deprehenditur tamen in Imagine Muſiva Gregorii PP. IV. (qui ſedit an. 827.) in abſida Baſilicæ S. Marci. Vid. Ciampin. Veter. Moniment. p. 1. Tab. XXXVII. quæ caput præſefert ſimilis formæ Bireto contectum, quod binis limbis dependentibus partem quoque utriuſque auris jam attingit: unde ex hoc, atque eo quod nihil ſupra caput elevetur, pro Tiaræ forma accipi poteſt. Melius quoque obſervatur in antiquioribus numiſmatibus Pontificum, quæ

O fu-

supersunt: In nummo argenteo Sergii Papæ, inter alios diversorum Pontificum producto a Garampio, in Tabula ad calcem Dissertat. de Nummo argenteo Benedicti PP. III. n. 5. in antica ejusdem Nummi parte, cusa est Imago S. Petri, hisce litteris indicata, S. P. quæ evidentissime hujus Camauri formam capite refert, & linea parabolica juxta sinistram aurem desinit: sive igitur hic nummus cusus referatur a Sergio sæculo 9. sive a Sergio III. initio sæculi 10., ejusdem Camauri usus cernitur antiquus.

De hoc Biretto, ejusque usu a Romano Pont. ex Bonannio in lib. de Hierarchia Ecclesiastica, tom. 1. cap. 89. antiquissimus censetur, & Birettum auriculare fuisse olim appellatum, quod nunquam tamen gestat Summus Pontifex in sacris functionibus.

CAPUT XV.

De Veste civili Summi Pontificis Romani, quæ vulgo MOZZETTA, *sive* MOZZETTUM *appellatur. De ejusdem prima origine, & usu, atque extensione ad S. R. E. Cardinales, ac etiam ad Episcopos.*

Cur in nostra Chronologia Romanorum Pontificum, nuper exhibita in parietibus Basilicæ S. Pauli, forma hujus indumenti (vulgo Mozzetta) non antea appareat, quàm in picturis eorumdem, qui in Galliæ partibus, ineunte sæculo XIV. sedere cœperunt, ex iis satis declarabitur, quæ, post examinatam ejus indumenti originem, adducentur.

Prima opinio circa originem Mozzetti est Cl. Viri de Hist. Ecclesiastica eximie benemeriti Card. Baronii, qui tenet, hoc indumentum, nempe *Mazzettum*, idem esse, ac antiquum *Birrum*. Occasione itaque, qua, sub annum Christi CCLXI. se se illi offerrent illustranda Acta S. Cypriani Episcopi Carthaginensis, & M., multiplici sua eruditione aggressus est explanare hæc verba ex Actis ejusdem relata: *Cyprianus in Agrum Sexti productus est, & ibi se lacerno Birro expoliavit, & genu in terra flexit, & in Orationem se Domino prostravit: & cum se Dalmatica expoliasset, & Diaconibus tradidisset, in linea stetit, & cœpit spiculatorem sustinere &c.*

Ex his verbis probare conatur (dict. anno n. 40.) primò *Lineam* illam nihil aliud fuisse, nisi illud cunctis Episcopis commune indumentum, quod alii *Ephod* dicunt, Italicè verò *Rochettum* appellamus. 2. Dalmaticæ nomine, Tunicam *simplitem* nominatam, idest sine manicis: subinde n. 41, & 42. significationem expendit *lacerni Birri*, & hæc, duo esse indumentorum genera, tradit, juxta sensum Sulpicii Severi; sed utrumque extitisse habitum Clericalem, nam cum idem Sulpicius invehitur contra Voluptuosos Clericos, In lib. 1. Dialog. sic ait: *Hæc charis viduis, ac familiaribus mandat tributa virginibus: illa ut Birrum rigentem, hæc ut fluentem texat lacernam*: ex quibus apparet lacernam a Birro fuisse diversam.

Post hæc, variis Ethnicorum testimoniis, tradit, lacernam fuisse quodam vestimenti genus, ad humeros, brachiaque tegenda compositum: Ex Festo (notat) Birrum, apud aliquos, rufum colorem dictum, ac proinde lacernam rubri coloris, sive etiam, *lacernum Birrum*, hoc est, sericum: mox subdit; *etiam, si magis placet, lacernum, Birrum significare ipsum Birrum in modum Lacernæ compositum*: subinde, observat, usum Birrorum communem fuisse tum Clericis, tum Episcopis, ætate S. Augustini, qui ser. 50. de diversis, indicat, Episcopos Birro usos esse pretiosiore, quàm Clericos, ita scribens: *Nemo dat Birrum, vel lineam tunicam, seu aliquid, nisi in commune; de commune accipiam mihi ipsi. Offeratur mihi, verbi gratia, Birrum pretiosum, fortè decet Episcopum, quamvis non deceat Augustinum, idest hominem pauperem, de pauperibus natum.*

Mox num. 43. exponit, Concilium Gangrense (hoc celebratum fuit an. Christi 330. in Provincia Paphlagoniæ, & quamvis fuerit Provinciale tantùm, fuit tamen confirmatum in sexta Synodo Generali) cap. 12. anathematis sententia perculisse Monachos Eustatianos, eo quod ipsi incedentes palliati, damnarent eos, qui Birris uterentur: ex quo, ipse Baronius, sibi minime placere (ait) quòd per Birrum alii interpretati

tati sunt vestem pretiosam simpliciter; *Sed potius, quòd illi amictû pallio sui longitudine, & latitudine distuente, eos damnarent, qui birro, nempe breviori indumento, uterentur.*

Hisce omnibus constabilitis, Cl. Annalium parens sic num. 44. concludit: *Ex his itaque jam exploratum haberi videtur, Episcoporum fuisse antiquum habitum, ut post vestem, supraindurerent lineam, & desuper eam, solutam tunicam, ac denique humeros tantum tegens, & brachia, lacernum Birrum: quo genere indumenti hodie videmus, uti S.R.E. Cardinales, atque Episcopos illos, qui ex Regularibus ad eam dignitatem promoti non sunt, Romanum vero Pontificem Birro, absque Tunica super lineam, sed serico, atque rufo, interdum vel albo, pro temporis ratione.*

Hæc Baronii opinio statim pluribus visa est plausibilis, inter quos, quoad Birrum, Coriolanus (relatus a Pennotto) in suo Defensorio *cap. 5. ad 3. argumentum*, sic ait: *Birrum, secundum famosiores Vocabulistas, & Decretalistas, est Caputium illud intus foderatum, pendens a collo per humeros ad brachia, quasi per cubitum, quo adhuc in Ecclesiis Cathedralibus Canonici sæculares utuntur*: Gavantus quoque Cardinalis Baronii sententiam amplexus est, *tom. 1. p. 2. tit. 2. De principio Missæ §. 3. litt. coram Cardinale*: Macrius in Hierolex. Ecclesiast. v. Birrus, aliique nonnulli, & inter recentiores eruditus Pompejus Sarnelli Episcopus Vigiliensis, in Epist. 27. tom. 2. suarum Epist. quæ editæ sunt Venetiis, an. 1740. qua respondit cuidam amico sibi scribenti, reperisse in Historia Concilii Tridentini Card. Sfortiæ Pallavicini *lib. 15. cap. 13. n. 5.*) Mozzettum ita appellari, quod sit compendium Cappæ magnæ decurtatæ: & hic Sarnellus monet amicum, Em. scriptorem, eo loco nullam mentionem facere Cappæ magnæ, sed tantum hæc verba scripsisse *la Cappa breve, o Mozzetta, che perciò è chiamata Mozzetta*. Mox desumpto fundamento Baronii ex Actis S. Cypriani, illius opinionem amplectitur, videlicet *Birrum lacernum* imo & Tunicam extitisse *Mantellettum* Lacernæ simile, ac propterea antiquorum Episcoporum indumentum fuisse *Rocchettum, Mantellectam*, atque *Mozzettum*.

A Baronii tamen opinione discedunt alii, utique eruditi Viri: E primò C. V. *Du-Fresne in Glossar. med. & infimæ latinitatis, verbo Birrus*, post relatum sensum Baronii, ait: *Id verò vix credam, cum Birrus nihil aliud fuisse videatur, quàm vestis, quam cæteri, æque ac Episcopi utebantur*: idque probat etiam testimonio eorumdem scriptorum, qui Episcopis etiam Birros tribuunt. Theodoricus quoque Ruinartius Ordinis S. Benedicti scriptor illustris, in notis ad Acta Proconsularia S. Cypriani, post indicatam Baronii sententiam, subinfert: *At mirum est, ab eo hodiernas Episcoporum vestes repertas fuisse: Talibus quippe ornamentis Episcopos olim usos fuisse erat probandum.* Improbat etiam *Ferrar. de Re Vestiar. lib. 1. cap. 26.* lacernum Birrum in modum lacernæ factum fuisse.

Relictis aliis, qui afferri possent, Gabriel Pennottus in sua valde erudita Historia Tripartita Clericorum Regularium Canonicorum, lib. 1. cap. 22. ubi disertissime agit de duplici suis Clericis habitu a S. Augustino constituto, *Birro* videlicet, ac *Linea*, num. 5. sic habet: *Cardinalis Baronius sub ann. 269. suspicatur, Birrum Augustinianum idem fuisse cum Amictu illo, quo nunc etiam Episcopi, & Clerici Canonici multis in locis utuntur, quod Almutiam, sive Mozzettum nuncupamus*. Et paulo post: *Hæc Baronii sententia nonnullis satis plausibilis videtur: sed esto, sub nomine Birrorum, etiam ipsæ Almutiæ quodantenus comprehendantur, non est tamen hoc istius nominis proprium, & solum, & adæquatum significatum*.

Subinde §. IV. pluribus resolvit, absolutè dicendum esse, Birros, maximè circa tempora B. Augustini, non fuisse Birreta, nec rubra capitis tegumenta, nec solas Almutias nomine Birrorum comprehensas, sed vestes amplas, & longas fuisse, quæ totum corpus ita contegerent, ut & caput possent operire, quæque pileorum nostrorum, & capparum officio, tunc temporis, fungerentur: & non solum apud Episcopos, & Clericos, verùm etiam apud Monachos, & laicos, sive nobiles, sive ignobiles, sive christianos, sive etiam paganos, in usu essent: & hanc ipsissimam fuisse hujus nominis acceptionem, & significationem, plurium antiquorum, &, quoad hoc, probatæ fidei, authorum testimoniis, probat, & primo loco, Joannis Cassiani (*floruit an. 404.*) *qui lib. de Institutis renunciantium, cap. 7.* ubi de habitu Religiosorum primitivæ Ecclesiæ in Ægypto degentium, verba faciens, inquit: *Post hæc, assumpto pallio, tam amictus humilitatem, quàm vilitatem pretii, compendiumque sectantes, colla pariter, atque humeros tegunt, quod Mafortes, tam nostro, quàm ipsorum nuncupatur eloquio: & ita Planeticarum, at-*

atque Birrorum pretia simul, ambitionemque declinant. Quibus in verbis, indicat Pennottus, duo esse notanda: primum apud veteres eumdem fuisse usum Birrorum, & Planeticarum (planetica enim Cappam longam, & amplam significare) alterum, Birrorum antiquorum vestes non solum vulgares, sed etiam pretiosas extitisse: secundo loco affert testimonium Clementis Alexandrini in lib. 2. Pedagog. c. 4. scribentis: *Clamys, quæ dicitur Ephestis, aut Birrus, quia corpus complectitur*: demum, postquam idem probavit testimonio quoque Æthnicorum scriptorum, subinsert: *Ex quibus omnibus apparet Birrum apud veteres non fuisse pileum, aut aliud capitis tegumentum, quod Birretum vocamus, sed genus vestis externæ, amplæ, & longæ, ac fluentis, qua, non solum Episcopi, vel Clerici, sed Monachi, laici, nobiles, vulgares, liberi, ac servi, Christiani, & Pagani promiscuè utebantur*.

Procedit deinde num. 5. ad explorandam formam antiqui Birri, quoad Ecclesiasticos Clericos domi vel extra, vel in Divinis persolvendis Officiis, ubi etiam nonnulla indicat de usu Cappæ magnæ. Exclusa itaque sententia eorum, qui tenent Mozzettum fuisse antiquum Birrum, illius primam originem, & usum inquiramus ex monumentis, quæ affert Pater Philippus Bonannius in sua Hierarchia Ecclesiastica. Primo loco ait: *Usum Mozzetti, tum Mantellettæ concessum fuisse, (ut ajunt nonnulli) a Nicolao III. unà cum caudatis vestibus*. Torrigius tamen de Mozzetto mentionem minime facit in libro de cryptis Vaticanis pag. 407, ubi testatur, se reperisse in veteri Ms. Codice, Nicolaum PP. III. instituisse vestes caudatas, & Rochetti usum Cardinalibus; & Prælatis dedisse quoque Pileos, sed non rubeos, & Cappas cum Capucciis. Ex hac igitur assertione, si probari posset, haud obscurè appareret tempore Nicolai PP. III. Romanum Pontificem usum habuisse Mozzetti, cum probabile minime sit, idem Mozzettum, (quod in Pontifice insigne est summæ Potestatis, ac Jurisdictionis) ab eo gestari cœpisse post Cardinales. Sed hæc assertio omnino improbabilis redditur, quòd, a Nicolao III. qui sedit anno Christi 1277. & per subsequentes Pontifices, nulla in Ritualibus, seu Ordinibus Ecclesiæ Romanæ de hoc indumento Mozzetti, mentio habeatur; neque etiam respectu S. R. E. Cardinalium, nec id memoretur ab ullo scriptorum rerum gestarum Summorum Pontificum, neque de hac Mozzetti concessione facta Cardinalibus vestigium apparet apud Ciacconium in vita Nicolai, nec in Additionibus Victorelli, & Oldoini ad eumdem Ciacconium.

Ex musivis Imaginibus Pontificum, quæ supersunt in Urbis Ecclesiis ante x. sæculum, supra inferiorem tunicam, tantùm conspicitur aliud vestimenti genus laxioris quidem, seu amplioris formæ, quod manu sublevatum tenetur ab ipsis Pontificibus, & hæc superposita vestis in Ritualibus, seu Ordinibus Ecclesiæ Romanæ, collectis a Cl. V. Mabillonio *tom. 2. Musei Italici*, appellatur *Mantum*, seu *Mantus*, *Cappa*, *Pallium Pontificium*, seu *vestis Pontificia*, *& Clamys*, eratque purpurei coloris. Hinc S. Petrus Damiani (circa annum 1060.) in Epistola contra Cadaloum Pseudopapam, sic ait: *Habes forsitam Mitram, habes juxta morem Romanorum Pontificum rubram Cappam?* Sic quoque Petrus Diaconus, ante Petrum Damiani, loquens de Victore PP. III. (Hist. Casinen. lib. 3. cap. 66.) ait: *Ab inde & Clamydem, & cætera Pontificalia insignia dimisit*: ubi verò tradit Victorem ea resumpsisse (cap. seq) subdit, *Præteritam electionem, Crucis, & Purpuræ resumptione firmavit*. Sic quoque Pandulphus in vita Paschalis II. (anno 1099.) narrat, quòd jam electus, *Clamyde coccinea induitur a Patribus*: Idemque repetit in electione Callisti II. (anno 1119.) ac etiam Honorii II. qui creatus est anno 1124.

In Ordine Cencii Camerarii, de anno 1192. (qui postea fuit Honorius III.) §. 1. legitur, *apposito Manto super scapulas, sedet in Fontlatorio, seu Cathedra, & largitur Presbyterium*, & §. v., *& Induto Manto apponit Mitram*: Deinde §. 48, ubi de electione Pontificis, explicat, Mantum pro pluviali rubeo, sic, *Prior Diaconorum ipsum Electum de pluviali rubeo ammantat*. In Cæremoniali autem a Gregorio Papa X. edito, circa an. 1271 habetur, quod, post electionem, *Prior Diaconorum ponit ei Mantum, & dicit: Investio Te de Papatu Romano, ut præsis Urbi, & Orbi*. Et paulo post: *Revertitur ad Cameram, deponit Pluviale, & assumit rubrum Mantellum* (& ferme eadem verba leguntur in Ordine Romano conscripto a Jacobo Cardinale Cajetano (circa ann. 1342.) Et hìc prima habetur Mantelli hujus mentio: unde apparet, olim proprium Summi Pontificis vestimentum, fuisse *Mantum*, vario nomine dictum, nunc *Clamydem*, nunc *Cappam rubeam*, nunc *Pluviale rubeum*. Mantellum vero assumptum fuis-

fuisse tamquam domesticum, & familiare indumentum, quod postea in Mazzettum immutatum fuit.

Placet Eruditis, hoc rubrum Mantellum extitisse ad modum lacernæ, de quo agens Ferrarius (De Re Vestiar. lib. 1. p. 2. c. 5.) putat extitisse *Vestem talarem, ita tamen, quod haberet cucullum, sive caputium, quo, ad libitum caput operiretur*, cujus speciem (non tamen rubri coloris) absque caputio deferunt Eminentissimi Cardinales, dum in Conclavi versantur, quæ a collo tantum constricta, ad talos usque defluens, totum contegit corpus, & appellatur CROCIA: de quo indumento, ita Cardinalis Papiensis, ubi loquitur de ingressu Cardinalium in Conclave, de anno 1464: *Manè Patres omnes induti palliis, a summo deorsum apertis, quas Crocias appellant*.

Ex hoc porrò *Mantello*, sivè parum, sivè multum decurtato, minime putandum est emersisse formam Mozzetti, quoad Summum Pontificem, sive etiam Mantelletti quoad Eminentissimos Cardinales: Nam origo Mozzetti penes Romanum Pontificem, apertissime habetur in Ms. Diario antiquo, relato ab eodem Bonannio Societatis Jesu eruditissimo Scriptore in Hierarchia Ecclesiastica, ubi de Mozzetto Pontificio agit: In eo nanque Diario hæc ad rem nostram leguntur: *Caputium autem Pontificis Maximi recens indumentum, antiquis Pontificibus omnino incognitum. In Galliis extitit mutatum, cum Apostolicæ Sedi in illis partibus contigit commorari. Ibi enim propter aeris intemperiem, & hyemis asperitatem, veteri illo Manto deposito, Mantellum, & Caputium purpureum Pontifices, prima vice, induere inceperunt: Erat autem, per ca tempora, Mantellum hoc Pontificis simile omnino Cardinalium vesti, quam vulgo dicimus Mantellettum, longum tamen ad pedes descendens, & rubrum semper, & Caputium, quod imponebatur Mantelleto, similiter rubrum tale erat, quod caput operiens humeros pectat, & brachia, simulque integrè ambiat: vestimenti genus ad aeris injurias depellendas peraccomodatum, & ad fovendum aptissimum: Nam & in hyeme variis pellibus fulciebatur. Hoc igitur vestimenti genere, Mantello scilicet, & Caputio, inter proprios lares, & extra etiam in actionibus quibuscumque, non tamen sacris, usi sunt Pontifices Maximi usque ad Leonem X.* Huc usque Diarium, in quo etiam notatur, quòd æstivo tempore, seu crescente calore, deponebatur Mantellettum, retinebatur verò usus Rocchetti, cum eadem forma Caputii coloris semper purpurei.

Ad astruendam hujus rei veritatem, refert idem Bonannius nonnulla, quæ habentur in Regestis expensarum, quæ factæ fuerunt pro Summo Pontifice in Galliis commorante, quæ Regesta servantur Avenione.

Inter alias expensas, quæ in eodem Diario recensentur, fol. 425. ita legitur: *Die 24. Martii 1320. pro cimatura unius petiæ, & decem cannarum panni de scarletto pro Domino Nostro, &c. Die 13. Julii, pro tribus Gennachiis cum dimidia, & quatuor forraturis pro Caputiis grisorum, emptis pro D. N. Papa, &c.* Item fol. 698. *Die 22. Octobris an. 1326. pro quadrata forlatara leporum Norvegiæ &c. Eadem die, pro factura xi. Almutiorum, unius Mantelli, cum Caputio, unius supertunicalis, & 14. Birettorum de panno pro D. N. &c.* Et fol. 700. *Die 19. Julii, pro rebus emptis pro persona ipsius D. N. videlicet pro una forlatura Mantelli, & duabus forlaturis Caputiorum de grisis, & factura vestium diversarum ipsius D. N. &c.*

Post verò restitutam in Urbem Apostolicam Sedem a Gregorio Papa XI. in Cæremonialibus eorumdem temporum occurrit mentio usus Caputii, & Mantelli penes Summos Pontifices, ac etiam Mantelli quoad S. R. E. Cardinales, & aliorum Prælatorum. Verum tamen est, quod Pontifex aliquando quibusdam in functionibus Clamyde, seu Mantello ipso utebatur, absque separato Caputio, nam & Caputium eidem Mantello erat assutum: Nam Petrus Amelii Episcopus Sennogalliensis, in suo Cæremoniali, quod exaravit sub Urbano V. Gregorio XI. & Urbano VI. ab an. 1362. usque ad 1388., cap. 62. non semel meminit Clamydis de scarletto cum Caputio, quo caput tegebatur Summi Pontificis, & pag. 480. (editionis Mabillonii) ait: *Item Papa venit ad Cappellam cum Cappa clausa de scarletto rubeo foderata de hermellinis, clausa medio pectore sursum, & aperta deorsum, cucullum semper tenet super caput*: Postmodum cap. 70. ubi agit de Comæstione in die Cœnæ Domini, ac de iis, qui cum Pontifice ad mensam accumbebant, hæc explicat: *Cardinales verò omnes tam sæculares, quàm Religiosi habebunt Cottas sine superpelliciis, cum fabiis, seu Rocchettis tantum, & Mitras simplices de Garnella in capite, & Mantello de Brunetto ad scapulas: sed sæculares habebunt Mantellos de Brunetto Rosaceo: Religiosi verò habebunt Mantellos coloris suæ Re-*

Religionis: Et ita parati comedunt: Et omnes alii Prælati simpliciter sic induti, facta tamen inter eos discretione de sæcularibus, & Religiosis, quoad Mantellos in colore, sicut dictum est de Cardinalibus. Subinde procedit ad explicandam formam eorumdem Mantellorum, hisce verbis: *Sed nota modum Mantellorum omnium tam sæcularium, quàm Religiosorum: Retro inter scapulas duas, conjunguntur duæ partes clamydis, & bene sumitur per spatium palmi, & fiat diffutum, & illud, quod est sutum, quod conjungit duas partes clamydis, stat super collum, & clamys pendet ante pectus ab utraque parte usque ad terram, & etiam retro usque ad terram dumtaxat, & sine cauda, sed formà circulari sphærica, nec partes conjunguntur clamydis ante pectus.*

Ex hisce, & formam Mantellorum, & nomina Mantelli, & clamydis, synonima, & convertibilia extitisse jam patet. At quando, vel qua occasione Romanus Pontifex, abjecto omnimode usu Mantelli cum assuto caputio, pro extimo habitu civili caputium tantum hujusmodi a Mantello separatum supra nudum Rocchettum assumpserit, & habendum fore statuerit tamquam supremæ Dignitatis, ac Jurisdictionis insigne constituerit, inexploratum mihi adhuc est. Potuit tamen, & hoc fecit, tamquam Orbis, & Ecclesiæ summus Hierarcha, qui nulla vi constringitur consuetudinis. Plura namque sæpe immutari solent, cum id aliqua ratio, & tempus postulare videantur, & maxime cum agitur de Ecclesiastico augendo decore, quod non semel, immo sæpissime peractum fuisse a Summo Romano Pontifice circa alios ritus, & cæremonias sacras, quorum omnium ipse solus est arbiter, constat.

Certum tamen est ex Cæremoniali Episcoporum, lib. 1. cap. 3. Usum Mozzettæ supra Rocchettum nudum, indicium esse Jurisdictionis Pontificis, quæ plenaria est ubique, per totum Orbem, absque ulla temporis, vel loci restrictione, quæ restrictio præscripta est cæteris, qui ex indulto Apostolico tali privilegio donati sunt. Pontifex igitur (*Barbosa de Jur. Eccl. lib.* 1. *cap.* 1. *num.* 121.) *Toto anni tempore, nullo alio colore utitur in vestibus, quàm rubro, & albo; videlicet veste talari, quam subtana vocant, supra quam induitur Rocchetto, & Caputio, seu Mozzetta, e biretto rubro. In æstate Caputio, seu Mozzetta utitur, & biretto rubro, quod rasum vocant, sine pellibus: infra vero Octavam Paschæ Resurrectionis, & octo supradictis diebus utitur Mozzetto, & biretto ex serico damasceno albo, pellibus albis armellinis circumfultis: Hyeme vero utitur Caputio, & biretto ex panno laneo rubro, & graviori, pellibus armellinis circumfultis.*

Cum itaque usus Mozzetti supra Rocchettum evaserit in signum amplissimæ potestatis, ac jurisdictionis, Paulus Papa II. optimè perpendens, S. R. E. Cardinales suos esse consiliarios, & administros in rebus non tantum ad temporale Ecclesiæ dominium pertinentibus, sed etiam in recursibus caussarum ex universu Orbe terrarum, ac propterea simul esse oneris, ac laboris Pontificis participes, placuit sibi, illos signo jurisdictionis condecorare parum absimili ab eo, quo Summus Pontifex utitur: Hoc clarissimè testatur oculatus inspector eruditissimus Cardinalis Jacobus Piccolomineus, Papiensis nuncupatus, qui in libro suorum Commentar. 2. loquens de Papa Paulo II., inter cætera, hæc scripsit: *Cardinalibus, qui sacris induti vestibus, à Prælatis inferiorum Ordinum, præterquam loco, non noscebantur, usum Mitræ sericeæ damasceni operis, rubraque capitia indulsit, quibus soli Antistites Romani antea utebantur: Subsellia quoque, tam ad Senatus, quàm ad sacrificiorum consessus, altius elevavit.*

Jacobus Cohellius in suo Opere tit. Notitia Cardinalatus, cap. XI. ubi de Cardinalium habitu, & ornamentis, narrat, Mandosium tradidisse, Paulum II. eis concessisse *habitum purpuræ, Mozzettam, Mitram &c.* Sed, quoad usum purpuræ, a Mandosii sententia discedere se cogi fatetur Cohellius, quamvis eidem Mandosio favere videantur Platina in Vita Pauli II. & Panvinius in Addit. ad Platinam; nam in vita Innocentii IV. diu ante Paulum II. certissimum est Cardinalibus indultum fuisse purpurei vestimenti usum: Ciacconius enim in vita Bonifacii PP. VIII. qui sedit ann. 1295. sic ait: *Cardinalibus dignitatem admodum auxit, gravissimas pœnas irrogans eis, qui Cardinalem, re, aut verbo, aut opere læsissent: quibus & purpurei coloris vestimenta dedit:* Probabilius tamen videtur, Bonifatium non auctorem primum hujus concessionis extitisse, sed potius Innocentium PP. IV. qui & iisdem Cardinalibus in Concilio Lugdunensi de an. 1245 Pileum ejusdem coloris tradidit; nam & Tholosanus affirmat, unà cum hac galeri rubri concessione, eis quoque, *Usum purpuræ in quotidiano usu permisisse.* Bzovius verò in Annal. ad an. 1297. refert, Bonifatium VIII. plurimum incrementi Cardinalium dignitati adjecisse, & usum pur-

puræ

puræ iis concessum, ratum habuisse: quare potius dicendum est, Bonifacium, concessionem antea ab Innocentio indultam confirmasse.

Hoc quoque confirmari potest antiquissimis duobus monumentis superstitibus, altero in Basilica S. Mariæ Majoris, altero in Ecclesia S. Mariæ de Aracæli: primum est Mausoleum Gunsalvi Cardinalis & Episcopi Albanensis (nuper jussione SS. D. N. BENEDICTI XIV. ab antiqua, & obscura ejus sede, in nobiliorem locum translatum. Inter cæteras sacras imagines, musivo opere in eo elaboratas, extat ipsius Cardinalis effigies ante Deiparam, puerum Jesum in ulnis gestantem, provoluta in modum orantis, Pallio seu Cappa purpurei coloris exornata, a collo usque ad pedes defluente conspicua. Alterum simile Mausoleum Card. Matthæi de Acquasparta extat in Ecclesia S. Mariæ de Aracæli prope Sacrarium, excepto quòd Imagines non sunt musivæ, sed ex coloribus tantum penicillò ductis, & ibidem, ea quæ ipsum Cardinalem repræsentat, eodem purpureo amictu fulget: Matthæus namque fuit Generalis Ordinis Minorum, Bonifacio acceptissimus, cujus precibus, amotis ab eo Monasterio Aræ Cœli Monachis nigris, eam Ecclesiam cum Cœnobio Fratribus ejusdem Ordinis Minorum concessit, ipsumque Matthæum Cardinalem creavit, qui & obiit anno 1297. At hic obiter observandum est, hunc Cardinalem, quamvis, ex Regulari Ordine assumptum, purpurea clamyde exornatum apparere, quod præter consuetudinem est, non mutandi colorem in vestibus, penes assumptos ex Regularibus Ordinibus: nec id attribuendum est, quòd hujusmodi Imagines, aliquando fuerint vel innovatæ, vel instauratæ, & tunc color purpureus superadditus fuerit; cum id nullatenus peractum fuisse diligenter introspeximus: & hoc pluribus aliis hujusmodi documentis probare possemus. Sed quoad usum Mozzetti in Cardinalibus, standum omnino est attestationi prælaudati Cardinalis Papiensis, qui ea, quæ fieri viderat a Paulo II. irrefragabili testimonio conscripta reliquit: unde, ubi notat, *Rubra Capitia*, nihil aliud accipiendum venit, quàm forma Caputii, quæ communi vocabulo Mozzetta appellatur, idque clarius explicat per ea verba, *quibus soli Antistites Romani antea utebantur*.

Regulares verò ad Cardinalatus dignitatem assumpti hoc purpureo insigni donati minime fuerunt, cum in signum Monasticæ professionis, formam Caputii retineant ejusdem coloris sui Ordinis, sicuti antea deferebant, neque id immutatum unquam fuisse memorià proditum est: Immo, sedente san. mem. Innocentio XIII. spectatissimæ gentis de Comitibus, disputatum est inter Cæremoniarum Magistros, an aliquo modo variari posset Mozzettum bo. me. Bernardi Cardinalis germani fratris ejusdem Pontificis, ex clarissimo Ordine Monastico S. Benedicti assumpti, ratione consanguinitatis cum Summo Pontifice; sed, quoad colorem, visum est nihil esse innovandum, sed tantummodo, ut eidem liceret, Mozzettum deferre serico rubri coloris intus foderatum, & quòd, exterius, globulis aureis ante pectus necteretur; quibus tantum assumptis, usque ad obitum usus est.

Usus tamen Mozzetti etiam Cardinalibus hac conditione concessus est, ut nunquam præsente Summo Pontifice, illo uterentur supra nudum Rocchettum, sed supra Mantellettum, quo operiatur ipsum Rocchettum: In Ecclesiis vero suorum Titulorum, seu Diaconaliun, in quibus auctoritate Ordinarii funguntur, necnon in aliquibus solemnioribus functionibus, ac visitationibus, proprio in Palatio, & in aliis quoque locis extra Urbem præscriptis a Cæremoniali Romano, Mozzetto supra nudum Rocchettum utantur. Optime igitur Paulus II. S. R. E. Cardinalibus usum Mozzetti concessit, quia (ut habet Gloss. in cap. 1. de Officio Legati a Latere in 6. *Papa, & Cardinales faciunt unum corpus, cujus Papa est caput, & Cardinales sunt membra; ideo quando aliquis assumitur de Cardinalibus, ut mittatur Legatus, dicitur sumptus de Latere*. De excelsa Cardinalium dignitate fuse agit Barbosa *De Jur. Eccles.* lib. 1. cap. 7. aliique plures Jurisconsulti.

Propositi hujus argumenti ratio postulare videtur, ut sicuti originem, & usum Mozzetti in Romano Pontifice, ejusque extensionem ad S. R. E. Cardinales explicavimus; ita quoque pauca attingantur de ejusdem indumenti forma, & usu, quoad Prælatos inferioris Ordinis in Ecclesiastica Hierarchia, qui unà cum Romano Pontifice universalem Ecclesiam administrant. Scripsit enim S. Cyprianus lib. de Unitat. Eccles. (a Baron. relat. ad ann. Christi 187. num. 1.) *Una est Ecclesia per totum Mundum in multa membra divisa. Et Episcopatus unus est Episcoporum multorum concordi numerositate diffusa*: Et post multa subdit: *Episcopatus unus est, cujus a singulis in solidum pars tenetur, ut Episcopatum unum, indivisumque probemus*: idest cum quodlibet membrum pro toto corpore, cujus unum est ca-

caput, intelligitur laborare. Proinde Romanus Pontifex, respectu cæterorum Episcoporum omnium, in Conciliis, in plurimorum Pontificum epistolis, aliisque documentis (ut passim in Historia Ecclesiastica occurrit) appellatur *Universalis, seu Catholicæ Ecclesiæ Episcopus: Universalis Archiepiscopus: Universalis Orbis terræ Patriarcha: & respectu omnium aliorum Pontificum, Pontifex Maximus*. Unde omnis aliorum Episcoporum jurisdictio, tamquam a capite supremo in eos a Romano Pontifice derivat, ac pendet, itaut eorum, singulorumque causas ad se revocet, tamquam unicus in terra Judex & arbiter, eosque non alio titulo nisi Fratrum suorum appellare solet. Cum itaque Romanus Pontifex in signum jurisdictionis sive plenariæ, sive etiam partialis, & limitatæ, usum Muzzetti supra Rocchettum discoopertum, concesserit S. R. E. Cardinalibus, ut dictum est, eodem quoque placuit Episcopos ex Clero sæculari assumptos, in signum Ordinariæ Jurisdictionis, qua pollent, in propriis decorare Diœcesibus. Nihilominus varia extant S. Congregationis Rituum Decreta, ut superioris dignitatis, & gradus servetur excellentia, quæ decreta indicantur a Gavanto in verbo *Episcopus* num. 4. ubi *Processurus cum Mozzetta, eam deponere debet coram Cardinalibus etiam non Legatis, ex consuetudine Italiæ* 10. *Julii* 1621. Item. *Et coram suo Archiepiscopo*: eadem 31. Januar. 1626. *Nisi aliud sit statutum, ut in Prov. Mediol.* In verbo autem *Legatus*: Ita. *Legato præsente in Civitate, Episcopus non potest uti Mozzetta, neque Rochetto discooperto, nec benedicere populo, sed intra Ecclesiam, eo absente, vel annuente, potest benedicere* (*Congreg. Rit.* 2. *Octob.* 1601.) plura super hoc argumento Barbosa lib. 1. cap. 5. ubi tradit Mozzettam significare in Episcopo *illius jurisdictionem ordinariam*. Ex speciali tamen Indulto fan. mem. Benedicti PP. XIII. Quatuor Patriarchæ, nempe Constantinopolitanus, Antiochenus, Jerosolymitanus, atque Alexandrinus usum habent deferendi Mozzettum coloris violacei supra Rochettum, Mantelletto coopertum: (nisi forte, appellandum hoc sit potius veteris privilegii, jam antiquati restitutio, cum non recenseatur indultum.) Et hoc respectu dignitatis earumdem sedium, quæ primum locum habent post Romanum Pontificem. Hoc tamen nullo decreto, nec Bullâ Apostolica stabilitum accipio, sed tantum ejusdem Pontificis vivæ vocis oraculo indultum. Idem propterea meritò putamus peractum fuisse, priscis temporibus, in concessione usus aliorum indumentorum Civilium tam Cardinalibus, quàm Episcopis, & Prælatis, cum de eorum prima Institutione scriptæ memoriæ deficiant. De prærogativis harum Patriarchalium disertè Baronius (ad annos Christi 325. 382. 493. & alibi) & quanto honore Romana Ecclesia earum Antistites dignata fuerit, donec unitatem cum Catholica Ecclesia servaverunt, aliquo modo educitur ex Cæremoniali Petri Amelii Episcopi Senogalliensis (*apud Mabillon. Musei Ital. tom.* 2.) ubi agit de ordine sedendi in mensa fer. 5. Cœnæ Domini, quando Pontifex in Laterano Cardinales, Curiamque totam secum ad prandium admittebat: scribit enim: *Sedet Papa* (idest in mensa sua singulari,) subinde: *In alia mensa, quæ est ad dexteram Papæ in longum Aulæ, seu tinelli, sedent Episcopi Cardinales; inter quos sedent Patriarchæ, si sint, quatuor principalium Ecclesiarum Patriarchalium, secundum ordinem prioratus, & posterioratus Ecclesiarum suarum: ita tamen, quòd primus sedeat inter primum Episcopum Cardinalem, & secundum Episcopum, si non esset Rex, quia ille sederet inter duos Episcopos, & Patriarcha inter secundum Episcopum, tertius post tertium, & sic deinceps: ita tamen, quòd semper inter duos Episcopos Cardinales quilibet eorum sedeat &c.* Sed quoad concessionem usus Mozzetti violacei coloris quibuslibet Episcopis ex Clericali statu assumptis, ex quo tempore, nullum adhuc nobis documentum occurrit. Ex relatis tamen superius, cum probatum sit, hujus vestimenti civilis formam non antiquam esse, & a Paulo II. indultam S. R. E. Cardinalibus, par est credere, tunc concessam fuisse cæteris Episcopis Clericis: Rejectâ quoque opinione eorum scriptorum, qui putant Mozzettum nostrum fuisse antiquum *Birrum*, clarè patet, nostri Mozzetti formam antiquo Birro non respondere: præter quam quod nulla ejus descriptio legitur apud priscos authores, qui de rebus Ecclesiasticis Rituales ediderunt, nec in pictis, vel sculptis antiquis monumentis conspicitur (quod sciam) ante sæculum xv.

Nihil tamen obstat, quòd aliqualis similitudo Mozzetti appareat in Episcopis ex Regularibus Institutis assumptis diù antea: Cum ex antiquissimis temporibus usuvenerit, ut Regulares, seu Monachi etiam ad hac dignitatem evecti, habitum suarum Religionum nunquam dimiserint. Hinc formâ Caputii, quam antea deferebant, semper

usi fuerunt, quæ quamdam cum Mozzetto similitudinem habet, cum & Mozzettum quoque revera fuerit Capuccium, ut supra probatum est. Et quamvis hoc Regularium, improprie appellari consuevit *Mozzettum*, potius appellandum videtur *Bavarum latum*, ut per synonymum explicatur in quodam Decreto Sacræ Congregationis Rituum allato a Macrio, ubi de hoc synonymo: ibi namque legitur: *Sacra Rituum Congregatio censuit dicto Abbati Generali Congregationis Montis Virginis posse concedi usum dictæ Mozzettæ, seu Bavari lati cum caputio sine birreto, & in Terris, & locis tantùm suæ Jurisdictioni subjectis*: *Bullar. Casinen. tom. 2. Const.* 571.


Sic etiam impropriè, titulo Mozzettæ appellari solent signa Canonicorum quarumdam Cathedralium, seu Collegiatarum, quibus concessus est usus ejusdem Caputii, seu Bavari lati, coloris violacei, seu nigri, ejusdem formæ, in quibus, nullum adest Jurisdictionis indicium. Idque dicendum est de Archiconfraternitatibus, aliisque Sodalitatibus ab eis sibi aggregatis, quæ hujusmodi caputiis, diversorum tamen colorum, donatæ fuerunt, ut veluti quamdam laicalem formam in suis cœtibus, ac conventibus repræsentarent, ad instar veræ spiritualis Religiosæ veluti sodalitatis, & fraternitatis, præseferrent.

CAPUT XVI.

De Monumento Joannis Papæ XVI. seu juxta alios, XVII. nuper detecto in Diœcesi Firmana: & quid ad Chronologiam conferat.

DUm prælo subessent adhuc in Chronologiam Summorum Pontificum nostræ animadversiones, opportunè accidit, ut Illustrissimus, ac Reverendissimus D. Alexander Borgia Archiepiscopus Firmanus, vir utique non minus eruditione, quàm pietate conspicuus, editisque operibus clarus, unà cum sua epistola data XIII. Kal. Aprilis ad SS. D. N. BENEDICTUM PP. XIV. Inscriptionem quamdam transmiserit, quæ monumentum refert Joannis XVI. seu juxta alios, XVII. Pontificis, paucos ante dies repertam in Ecclesia Matrici Castri *Rapugnani* (olim *Ripæ Jani* appellati) a R. D. Griffone ejusdem Loci Plebano, Viro probo, dum pavimentum ejusdem instauraret. Distat Castrum hoc quinque mille passibus a Civitate Firmana, situm propè fluvium *Tinnum*. Sculpta extat Inscriptio characteribus, nec omnino Gothicis, nec in totum Longobardicis, sed ex utrisque deductis, optime tamen expressis in lapide rudi, ac vulgari, qui Palumbinus dicitur, longitudinis palmorum trium uncià minus, latitudinis pal. duorum, totidemque unciarum, litteræ quoque diligenti studio exaratæ, ad duarum unciarum altitudinem pertingunt: in utraque marmoris extremitate duo cernuntur sculpta stemmata, quorum alterum situm in latere dextero exhibet Pontificiam Tiaram, tribus exornatam Coronis, ex qua pendent claves duæ mediam ambientes parmam, cujus spatium occupat Crux quadrilateris. Alterum stemma exhibet Insigne nobilissimæ Gentis Piccolomineæ, nempe quinque biforcatas lunas in medio Crucis dispositas, Mitra Episcopali in parte superiori exornatum.

Primo aspectu, hæc Inscriptio visa est nonnullis Commentitia, atque consicta in gratiam illius oppidi incolarum: primò quod Phrasis ejusdem minime ætati Joannis respondeat; secundò, quod characteres tam diligenter iis temporibus non scriberentur, nec Gothicis, nec Longobardicis assimilentur: tertio quòd de relatis in ea, nulla alibi appareat memoria: quartò id apparere ex stemmatibus in ea sculptis, tum quòd in primo adsit Tiara triplici Corona insignita, in altero stemma Familiæ Piccolominæ. Priusquam tamen ad hæc objecta dissolvenda procedamus ejusdem conspiciendum est exemplar Inscriptionis, & eadem characterum formà, quæ prostat in authographo, adjecta quoque ejus Interpretatione latinè, ac subjectis etiam cuique abbreviato verbo, deficientibus litteris.



I N T E R P R E T A T I O

Latino charactere expofita.

JOANNES EX SICCON. ET COLVMB. IN A. RAPVGNANI PROP.
c a rce e

TINN. ORTVM HAB. AD. ADOL. ROM. DVC. ET A PETRON. COS.
um uit huc efcens am tus io Confule

DOM. RECEPT. ADEO LICTER. INCVB. VT TOTO VRB. AP
i us is uit is

PL. V. ID. IVN. A. D. MIIL FVER. PONT. CREAT. PAR. TN̄
aufu Quinto Idus ias año Dñi it ifex tus um tamen

REXIT ECCLES. NAM REGNAT. IN COEL. PR. K.
iam urus is idie Kalendas

NOV. SEQ. OBDORM. IN PACE.
embris uentis ivit

Expofita fuperius criticorum objecta, ac difficultates antevertit laudatiffimus Archipræful Borgia in memorata fua Epiftola ad Sanctiffimum Dominum data. Primò namque ait: *De antiquitate, & fide hujus monumenti ambigendum fore non dubito. Locus procul a fufpicionibus*; nempe ipfa Matrix Ecclefia, ubi repertus eft lapis, occafione inftaurationis pavimenti ab ipfo Parocho, quem hifce verbis laudat: *Cum Parochus majoris Ecclefiæ S. Mariæ vir diligens, probus & pius pavimentum facræ ædis inftauraret lapidem reperiit*: Immo, ut ex aliis notitiis accepimus, idem Parochus teftatus

status est, ante quinquaginta annos, se olim vidisse tunc affixum lapidem eumdem in eadem Ecclesia, qui postea collapsus, in eodem pavimento ab aliquo ex antecessoribus suis, rerum ignaro, fuit occultatus.

II. Quòad characteres, eos Longobardicis accensendos putat, quamvis (ait non credam opus temporis fuisse, quo Joannes XVII. defunctus est, sed ejusdem, vel sequentis sæculi, confectum, scilicet ad servandum in Patria tanti Viri monumentum. At plura super hoc, alibi se offerent maturius observanda.

III. Quoad stylum, & phrasim, quòd minime ætati Joannis respondeat. Certum est difficillimum fore, ex hoc antiquitatem Inscriptionis educi posse: ait enim: *Styli denique simplicitas fidem astruit, quamvis non credam opus ejus temporis fuisse &c.* & revera anctor hujus monumenti non elegantia sermonis, nec verborum delectu usus est, sed uti debebat, rem tantummodo posuit, quantum necesse erat ad rei memoriam servandam.

IV. Quòd de nonnullis in Inscriptione relatis, nullibi reperiatur memoria, aut documentum, nihil omnino refert: non enim omnia antiqua scripta fuerunt, & præsertim sæculo Joannis, quo deperditæ bonæ artes, neglecta dignoscitur Scriptorum omnium sollicitudo, ac diligentia in rebus etiam maximi momenti annotandis, quod in Historia Ecclesiastica satis superque experimur. Nonnulla namque expiscari frequentissime oportet ex particularibus locorum Archivis, ac monumentis in iis annotatis, ut etiam dicendum est de Inscriptione Joannis Papa XVII., desumpta, ex documentis repertis in Archivo Ripugnani, ut fusius, paulo post, explicandum est. Immò per hunc lapidem potius statuitur vera epocha tam electionis ad Pontificatum, quàm mortis Joannis, ut suo loco dicemus.

V. Quinta oppositio vetustati lapidis duo sunt illa apposita Stemmata, Pontificium scilicet primum triplici corona exornatum, & Episcopale aliud Piccolomineæ Familiæ: sed primò loco audiendus est eruditissimi Præsulis Borgiæ sensus, cui non facile neminem refragari licebit. *Forte* (ait) *nonnulli videntes Pontificiam Tiaram ejus insignibus superpositam triplici corona ornari, qua Urbanus V. primus omnium usus est, postquam Bonifacius VIII. secundam (ut fertur) addidisset, Inscriptionem hanc evocabunt ad sæculum xiv. immo & alii, stemma gentilitium Æneæ Silvii Piccolominei, qui post excessum Cardinalis Dominici Capranicæ, Ecclesiam Firmanam anno MCCCC. ante Romanum Pontificatum, administrandam suscepit, huic lapidi adjectum intuentes, ejus temporis Inscriptionem attribuent, quin & ejus stylo: quod si verum foret, adderetur potius, quàm detraheretur auctoritas ex Pii II. Viri apprimè docti, & in historia versatissimi testimonio &c.* Cum verò in eam sententiam inclinaverit, characteres antiquiores esse, ac Æneæ Sylvii, necnon Urbani V. immo & Bonifacii VIII. tempora excedere, ac indicasset, ea stemmata leviori manu & sculpto lapidi adjecta fuisse, ita prosequitur: *Itaut ego in sententiam descendam, quòd eruditissimus ac diligentissimus ille vir* (nempe Æneas Sylvius) *veteri lapide, forte regiminis sui tempore reperto, utrumque stemma addiderit, tum ad significandum Populo, hujusmodi characterum ignaro, memoriam Romani Pontificis in eo contineri, cum ad confirmandam apud posteros rei fidem.*

Hæc in re dubia prudenter opinatus est eruditissimus Præsul, nec rejiciendam duxit opinionem eorum, qui Inscriptionem ipsam attribuent ejusdem Æneæ Sylvii temporibus, ac stylo: & revera in hanc sententiam descendunt studiosi nonnulli. Inter cæteros, qui hanc amplectuntur sententiam, antesignanus est studiosissimus rei antiquariæ adolescens Stephanus Borgia ejusdem Præsulis ex fratre nepos, qui visà primum explicatione hujus monumenti, per nos facta, jussione Sanctitatis Suæ, quamdam Epistolam, hoc super argumento, vulgavit, suam adjiciens sententiam, in quam nos ultrò descendimus. Nempe lapidem non excedere ætatem Æneæ Sylvii, quod Inscriptioni non solum non detrahit, sed potius eidem plurimum attribuit auctoritatis: Quantum sui temporis Historicorum facile princeps Æneas eruditione fulgeret, & in pretio haberetur, neminem latet, idque testantur opera typis edita, ac præcipuè *Historia de Bohemorum origine, ac gestis, Epistolæ, & alia*: Cum itaque in Visitatione suæ Diœcesis, in Archivo Rapugnani reperisset, ac examinasset, hoc monumentum, illud marmori consignari curavit, nè temporis lapsu, ex aliquo fortuito casu, aut incendio deperiret: & hoc reverà accidit, nam bis postea, idem Rapugnani Archivium fatale ignis absumpsit. Ad rei fidem astruendam negari non potest, quod lapidem ipsum insigniri jusserit suo stemmate mitrato, cum esset illius Diœcesis Archipræsul, & alio Pontificia Tiara coronato, ut rudioribus, primo aspectu, pateret

 hoc

hoc monumentum ſpectare ad Summum Pontificem, Diœceſanum, ſive Oriundum ex eo loco Civitati Firmanæ ſubdito, cujus Urbis ſignum eſt figura Crucis, quæ ſpectatur in parma.

Clariſſimus Vir de re litteraria optimè meritus Mabillonius libro 1. cap. 11. de Re Diplomatica, ſcitè obſervat, ex ipſa characterum forma, ætatem illorum conjici poſſe, quod etiam obſervandum eſt in lapidibus. Inter cætera, quoad rem noſtram attinet, præſertim notat, dignoſci ætatem ex uſu acuti accentus adhibiti in litteris I, ſcribit enim: *Minutæ litteræ accentus acutus, ſuperponi cœpit ſæculo xiij. ut patet ex variis ejus ævi Mſs. quorum unus eſt Henrici Puſtellæ, continens verſionem Gallicam Bibliorum, qui duobus Tomis, anni* clɔccxciv. *exaratus eſt. Perſeveravit iſte uſus, non tamen ubique ſemper, ad finem ſæculi xv. quo tempore idem ferè accentus etiam litteræ M. more Belgii, etiam nunc uſitato, adhibitus eſt. Cæterum ab hoc ſæculo ineunte, littera I, puncto, quod nos modò retinemus inſigniri cœpit: ità obſervare licet in Mſs. libris de Imitatione Chriſti Mellicenſi, anno* 1421. *Germanenſi noſtro, de anno* 1460; *Saltzburgenſi an.* 1463. *cum in authographo Kempenſi anni* 1441. *accentus ſupponatur*. Et poſt varias obſervationes, characterum formas exhibet perſimiles noſtri lapidis litteris, ex lib. 5. Scripturæ ſæculi xiv. & xv. ex Codice Tereneniano ex Codice S. Germani num. 302.

Nil igitur veritati hujus Inſcriptionis detrahi poteſt, ſi hoc monumentum, uti peractum ab ipſomet Ænea Sylvio referatur; immo talis, ac tanti Viri auctoritate, ac teſtimonio, plurimum ejus fides augetur, atque comprobatur; cum in eo plura explicentur, quæ de hoc Pontifice, vel dubia, vel ignota adhuc erant.

Quo vero ad quadrilaterem Crucem, quæ in ſcuto Pontificio expreſſa conſpicitur, optime laudatus Illuſtriſſimus Borgia, putat eſſe ſtemma Civitatis Firmanæ; non quòd, tempore Joannis, eo uteretur, ſed poſtea quam, ab Urbano II. anno 1095. In Concilio Claromontano, indicta expeditione in Terram Sanctam (quæ *Cruciata* appellata fuit) pro Teſſera militari Crucis ſignum rubei coloris ſuper ſcapulam dexteram, aſſutum veſtibus conceſſit: Ex tunc igitur Milites ab expeditione illa revertentes non pauci Crucem aſſumpſerunt in propriarum Civitatum, ac etiam familiarum Inſigne. In hoc itaque monumento Joannis, forte Æneas Sylvius apponendum eſſe putavit ſtemma Civitatis Firmanæ, ut rudioribus, etiam primo aſpectu, pateret eum Pontificem cenſendum eſſe Firmanum, quòd natus fuerit in pago, ſeu Caſtro Rapugnani, quod eſt ejuſdem Territorii, ac ditionis. Nunc vero, Inſcriptionem per partes explicemus: Sicuti primùm egimus, in prædicta noſtra Diſſertatione.

§. I.

JOANNES EX SICCONE ET COLUMBA. Hìc prima difficultas occurrit, quòd Joannes ab antiquis Catalogis, & Cronologis cognominetur modo SICCUS, modò SICCONIUS. Pagius in Breviario Romanorum Pontificum, in ejuſdem vita, Panvinius, Genebrardus, & alii (inter quos accenſendus eſt Baronius) eum appellant SICCONEM, ſed hoc ſine teſte; mox ſubdit: *Verùm in quatuor Catalogis Romanorum Pontificum Criticæ Baronianæ præfixis, circa annum* 1130. *exaratis, hic Pontifex diſertè dicitur* SICCO: *Cujus familiæ (inquit Joannes Palatius) hodie juncta Paſchaliorum familiæ, quæ Venetiis implet numerum Senatorum, ſuo in ſtemmate hunc Joannem Pontificem numerat: unde ſubdit meritò de Siccorum familia Franciſcus Sfortia Dux Inſubriæ, diplomate dato anno* 1485. *die* 24 *Junii dixerit: Non neſcio, quo ſplendore, quantavis exiſtimatione Siccorum domus ornata ſit, quæ inter primarias, ne dum Inſubriæ, verùm Italiæ familias connumerari poteſt: Hæc Palatius: ex quibus refelluntur tam Platina, quàm Panvinus, & Ciacconius ſcribentes, vel eum ex ignobili familia natum, vel familiam ejus, & patriam propter* ignobilitatem ignorari: *Huc uſque Pagius Junior*.

Sed quicquid ſcripſerit Palatius (ſcriptor modernus, nec accuratus, nec diligens, & maculis adeo reſperſus, ut meritò ejus opus in Indicem librorum prohibitorum rejici meruerit) clarè profert Inſcriptio Patriam, & genus, & unde denominationem SICCONIS hauſerit, ac propterea patet, ſic appellatum fuiſſe, non ex cognomine Familiæ, ſed tantùm ex nomine Patris. Ævo namque illo, cum in uſu adhuc non eſſent cognomina Familiarum, & perraræ eſſent, quæ primariâ etiam nobilitate fulgentes, ſibi cognomina aſſumerent, cæteri inferiores homines, ut dignoſci poſſent, proprio ſuo nomini nomen Patris addjiciebant, ut paulo poſt explicabimus. Nam certum eſt, quod etiam

etiam Familiæ Magnatum, quorum plurimæ, quæ adhuc illustriori, ac primaria nobilitate fulgent, a Longobardis, Francis, & Alemannis, qui post Romanos rerum in Italia potiti sunt, cognominum usum traxerint. Unde meritò Papebrochius in Propilæo antiquario tom. 2. Aprilis, ubi de Martyrologio Brixiano, scripsit: *Satis constat ejusmodi Civicarum familiarum cognomina, partim Patronymica, partim a possessione, aut natali solo sumpta, post annum Christi millesimum cœpta esse usurpari: pleraque ex hodierna Italica lingua, quæ primis sæculis nec adhuc nota erat, accepta intelliguntur*: Et cap. 4. subdit: *Quis non credat de tam antiqua origine, citrà testem gloriari ei, qui congruum nequit adferre documentum, quo ad annum millesimum Christi attingant: Etenim eæ familiæ, & sunt, & meritò habentur antiquissimæ, quæ suum nomen ad quartum, aut quintum sæculum sursum ducere, & probare possunt ex publicis eorum de quibus agitur, documentum.*

Non pauci quidem etiam nostra ætate gloriantur de præstantia, atque vetustate suarum familiarum, falsò; & commentitio innixi fundamento, ac testimonio Impostorum nonnullorum, quos, bona quidem fide, sed tamen oscitanter, sequuntur. Dum Tomum primum Thesauri Parochorum adornarem, a quodam amico, mihi, tamquam pretiosum Cymelium, manu scriptus liber oblatus est, excerptus ex alio, qui servatur in Bibliotheca Vaticana Urbinaten. Cod. juxta veterem Indicem num. 639. juxta vero recentiorem num. 875. cujus titulus est *Chronicon Pontificum, & Cardinalium S. R. E. a S. Silvestro usque ad Gregorium XII. productum a Jacobo Corelli Coloniensi, qui vixit Romæ, sub eodem Pontifice an. 1406. in contubernio Jacobi Utinensis Diaconi Cardinalis.*

Cum verò hunc librum, seu Codicem evolvere cœpissem, atque attente considerarem, omnia, non modò mihi multimodis suspecta visa sunt, verùm & fabulosa, ac plane conficta, & indigna quibus a viro sensato, & erudito fides aliqua præberetur, quæ, pro tunc, explicavi per totum caput 25. libro 1. ejusdem Operis, a pag. 107. & sequentibus, & 2. loco falsitatem ejusdem auctoris notavi ex nomenclaturis, & cognominibus Cardinalium præcipue tempori S. Silvestri attributis. Cum vero post impressionem primi libri ejusdem, meas ad manus venisset eruditissimi Viri Leonis Allatii opus, cujus titulus: *Animadversionum Etruscarum fragmenta ab Inghiramio edita*, in ejus calce reperi *Animadversionem in libros Alphonsi Ceccarelli*: Ubi Corelliani Chronici larvatus impostor detectus apparet. Hic namque ex medicina, se ad componendas, fingendasque historias, ac genealogias contulit, ac familiarum, stemmatumque monumenta, suo ex cerebro ducta, ad illa pertraxit Pontifices, & Cardinales, qui nunquam fuerunt, ut lucrum caperet a plurimis nobilibus, ac Principibus Viris: Immò ad ea corroboranda, quæ suo marte somniabat, plures excogitavit Auctores, qui nunquam extiterunt, vel quorum opera minime extant, vel qui suspectæ sunt fidei. Hæc nova figmenta, ut auribus prurienția, tam gratanti animo, ac voluptate fuerunt accepta, ut nonnulla ejus opera, ingenti plausu, partim typis comissa fuerint, partim Mss. sparsa per vulgus, in diversis Urbis, ac Italiæ Bibliothecis non infimum locum apud eruditos invenerint: quin & nonnulli ejus ætatis Auctores, suis in lucubrationibus, testimonio Ceccarelli, ad firmandas, roborandasque Genealogias, easque citandas, usi fuerint. Cum tamen nugator iste, majoris lucri spe ductus, Instrumenta quoque publicam adulterantia fidem, cœpisset confingere, detectus tandem sub Gregorio PP. XIII., & captus a Curia unà cum suis schediasmatibus, authographisque chartulis, ac Epistolis aliquot Virorum Principum, quibus somnia sua venditabat, & carceribus mancipatus, omnes suas Imposturas confessus est; immò & supplici libello singulorum operum confictorum, (inter quæ Chronicon Corelianum enumeratur) se auctorem declaravit. Tandem, ut bono publico bonо exitiosus, sub eodem Pontifice justissimas capitis pœnas luit: In triplice indice, apud eumdem Allatium, habes Scripta omnia tam edita, quam Mss. & fictorum Auctorum, quibus ille usus est ad sua corroboranda: necnon eorum, qui locum ejus Imposturis in suis editis libris dederunt. Hæc omnia ex libro 11. cap. 9. tom. 1. ejusdem nostri Operis, hic exscribenda duximus, ut appareat quid sentiendum de cognominibus, a recentioribus, quandoque alicui ex Romanis antiquioribus Pontificibus attributis, veluti etiam de cognomine familiæ Siccæ Joannis XVII. seu XVI.

Ex his tamen non sequitur, ut usus cognominum apud veteres Romanos, sit revocandus in dubium: Cognomina, & quandoque plura habuerunt Romani, ut patet ex Livio, & ex aliis de Romana Republica scriptoribus antiquis, ac etiam recentioribus Ca-

Caroln Signnio, Panvinio, aliifque *De Nominibus Romanis*, recensitis tom. 2. *Antiquitatum Romanarum*, ac ex Samuele Pitisco in suo *Lexico Rom. Antiq. verbo Cognomen*: Nam, ut plurimum, tria assumi solebant nomina, primum erat prænomen, alterum familiæ toti Commune, Tertium Agnomen ejusdem Induidui proprium, quod aliquando, ob ejusdem præclarè facta, & persæpe ab Hæredibus retinebatur. Hæc tamen regula, non semper est certa, nam in Fastis Consularibus, ubi tria nomina habentur, primum erat Prænomen, alterum Nomen, tertium vero cognomen, a quo ultimo familia appellabatur, ut exempli gratia *Publius Valerius Poplicola*: aliquando legitur quartum nomen, ut *Lucius Valerius Poplicola Potitus*: quo, quarto nomine forsan designari videbatur alter ejusdem familiæ stipes, & aliquando designatur aliquod egregium facinus ejusdem, *ut Q. Cæcilius Marcellus Aesernius*; quòd patria esset Æsernius: *Q. Cæcilius Marcellus Numidius*, quòd Proconsul in Numidia fuerit, & de Rege Jugurta triumphasset. *P. Cornelius Scipio Africanus*, quòd expugnatà Carthagine, Africam subegerit Populo Romano: Hoc tamen super argumento plura videsis apud Ricciolium, & alios de Fastis Consularibus, & plura collecta a laudato Pitisco, loco citato.

Multiplicitas verò nominum, atque cognominunt, ut observari potest, ex Fastis Consularibus, servata est in Nobilibus Urbis familiis, ad ea usque tempora, quibus Roma ipsa a Gothis Barbaris obsessa, & capta, oppressa fuit, sæculo Christi quinto, & subsequentibus: nempe sub Alarico Gothorum Rege, a Genserico Vandalorum, & a Totila, & Longobardis. Ex tunc enim Nobiliores Romanorum Familiæ, ut extinguerentur ad necem quæsitæ, ipsa sua cognomina occultare, atque deserere cœperunt, adeo ut quasi in oblivionem abierint, atque rarissimæ familiæ ex antiquis, prisca sua cognomina agnoscere potuerint.

Quamvis tamen in Romanis familiis usus cognominum servatus fuerit ad plura sæcula post fundatam Romanæ Ecclesiæ Cathedram, necnon ad eam sedem plures Romani Cives, ac etiam ex Patriciis, evecti fuerint, usu receptum fuisse constat, ut in Catalogis, & Fastis Ecclesiæ, retento tantum ipsorum nomine, ac eorum Patris, & Patriæ, nulla mentio haberetur de Cognomento Familiæ, ut videre est in libro Pontificali Romanorum Pontificum, & in Anastasii Bibliothecarii Opere, necnon antiquis Ecclesiæ Romanæ Catalogis: Incipiendo namque a Beato Petro Apostolorum Principe legitur: *Petrus filius Joannis Golilæus, e Vico Bethsoida, &c.*

Linus Natione Italus Tuscus ex Patre Herculano &c.

Cletus Natione Romanus, de regione Vico Patritii, Patre Æmiliono &c.

Clemens Natione Romanus, de regione Cælii montis, ex patre Faustino &c. Et sic in subsequentibus.

Et certum quidem est: S. Cletum, cum ex Vico Patrio notetur extitisse, ex Nobili, & Patritia Familia propagatum fuisse, cum in Vico Patricio tantùm degerent Familiæ Patritiæ: S. Clementem verò, ut tradunt nonnulli, extitisse ex nobilissima Gente *Cornelia*, seu *Julia*, natum: Ita & S. Alexandrum ex nobili Familia, tamen sic tantummodo expressum: *Alexander Natione Romanus ex Patre Alexandro de Regione caput Tauri*. In Vigilio autem, qui fuit LX. Pontifex tantum declaratur Nobilitas generis ex Consulari Patre, cum habeatur: *Vigilius Natione Romanus, ex Patre Joanne Consule*: & in Joanne, qui fuit Pontifex LXII. enunciatur *Natione Romanus ex Patre Anastosio Illustri Viro*. Sic etiam de Honorio I. qui sedit anno DCXVI. *Natione Campanus* dicitur *ex Patre Petronio Consule*. In cæteris vero relatis ab Anastasio Bibliothecario, & a Catalogis nulla mentio habetur tam de Nobilitate generis, quam de cognomento Familiæ.

Verùm contra hunc morem exactè servatum a relatis Scriptoribus, objici posset quædam vetus inscriptio, quæ extat affixa in Basilica S. Petri ad Vincula, seu Titulo Eudoxiæ Urbis, quam refert etiam Baronius ad annum Christi DXXXI. correctius tamen a Blanchinio in vita Joannis PP. II. Tom. 3. in Notis ad Anastasium Bibliothecarium, quam nos quoque diligenter exemplavimus, hujus tenoris.

SALBO PAPA. N. IOHANNE COGNOMEn
TO MERCVRIO EX SCE ECCL. ROM. PRESBYTE
RIS ORDINATO EX TIT. SCI CLEMENTIS AD GLO
RIAM PONTIFICALEM PROM. TO BEATO PETRO
AP. PATRONO SVO A VINC. LIS EIVS SEVERvS PRO FRT
ET. IT. P. C. LAMPADI ET ORETIS. VV. CC. VRBI ✠ CLVS CEDRINUS EST.

Quæ

Quæ ultima linea ſic legenda eſt : *Et iterum poſt Conſulatum Lampadii , & Oreſtis Clariſſimorum Virorum : Urbiculus Cedrinus eſt* , ut notat laudatus Blanchinius , atque ex Cardinale Noriſio , per verbum *Iterum* poſt Conſulatum Lampadii , & Oreſtis , annum Chriſti indicatur non 531. ſed annus 532. quo electus fuit Pontifex Joannes II. qui ſatis exprimitur per verbum *Iterum* , cum ii fuerint Conſules primùm anno 530. nam exacto anno Conſulatus , & ſequenti cum non eſſent electi novi Conſules , in faſtis ſubſequens annus notabatur *Poſt Conſulatum*, ſi vero nec ſubſequenti anno , tum indicabatur *Iterum poſt Conſulatum* .

Quamvis tamen in hac Inſcriptione habeatur *Cognomento Mercurius*, nihil tamen ſtatuere videtur contra noſtrum aſſertum de uſu Cognominum , quoad Romanos Pontifices , ante annum Chriſti milleſimum , & præcipue in favorem prætenſi Cognominis SICCI quoad Joannem XVII. Nam revera Joannes II. binomius fuit : & ab aliquibus ſecundo tantum nomine appellatus eſt , nempe MERCURIUS , abſque nomine Joannis. Anaſtaſius verò Bibliothecarius de eo ſic ait: *Joannes , qui & Mercurius* , in editione Moguntina an. 602. ubi , per copulam ET clarè conſtat , non Cognomen , ſed alterum fuiſſe Joannis II. nomen : ac proinde , ut animadvertit idem Blanchinius , in Codice Bibliothecæ Laurentianæ hic Pontifex dicitur *Mercurius* . Imò , etſi Baronius Vir Clariſs. in Annalibus ad annum 559. referat Joannem III. fuiſſe cognomento appellatum *Catellinum* , & ad an. 573. eidem ſuffectum in Pontificem Benedictum II. cognomento *Bonoſum* , ac etiam a Græcis *Bonoſum* appellatum fuiſſet , ex Evagrii tamen hiſtoria libro 5. cap. 16. expreſſe legitur : *Cum Joannes , qui alio nomine Catellinus dicebatur , ex vita migraſſet , Bonoſus Epiſcopatus Romani ſuſcepit gubernacula* : Ex quibus clare conſtat , utrumque non cognomine , ſed binomine ante Pontificatum dictum , ſic etiam de anno 1044. Gregorius VI. duplici nomine appellabatur , nempe Joannes Gratianus .

§. II.

SEquitur noſtra Inſcriptio IN *Arce* RAPUGNANI PROPè TINN*um* ORTUM HAB*uit* : *In Arce* potius , quàm *in Agro* , rectè interpretandam eſſe putamus litteram *A.* abbreviatam ; pro loco namque , ſeu Caſtro , ſtrictè hic eſt accipienda , ubi Joannes natus eſt : Ager vero latius ſe extendit extra Civitatem , & amplum etiam Territorium ſignificat , unà cum Villis , & Oppidulis ſubjectis . In Arce igitur Rapugnani (*olim Ripæ Jani* ,) propè fluvium Tinnum ortum hauſiſſe Joannem lapis exprimit , ex *Siccone* , & *Columba* : Ex quibus ſatis perſpecta dignoſcitur , & Loci , ſeu Patriæ humilitas , & Parentum ignobilitas , contra aſſertum Junioris Pagii (qui innixus opinioni Palatii) ſcripſit : *Ex quibus refellitur tam Platina , quam Panvinus , & Ciacconius aſſerentes , vel eum ex ignobili familia natum , vel familiam ejus , & patriam propter ignobilitatem ignorari* . Certum tamen eſt , ab antiquis Joannem dictum eſſe *Romanum* , ut habent Baronius , & ipſe Pagius : & certe per id temporis invaluiſſe hanc opinionem mirum non eſt ; nam , cum Joannes adhuc adoleſcens , ex patria Romam advenerit , & in contubernio Petronii eximii , ac nobilis Viri educatus , ſtudiis incubuerit , & in Romani Cleri cœtum relatus , immo & S. Eccleſiæ Romanæ Presbyter Card. creatus , ut infra oſtendemus , tamquam Romanus habitus eſt , & creditus , nullà patriæ habita ratione ; poterat etiam appellari Romanus , lato modo , nempe quod eſſet natus in Piceno , quæ eſt Romanæ ditionis non ignobilis pars .

§. III.

ADHuc ADOL*eſcens* ROM*am* DUC*tus* , ET A PETRONi*o* COS*ule*, DOMI RECEP*tus* .

QUis fuerit iſte Petronius , divinare non licet : ex titulo tamen *Conſulis* manifeſte educitur , virum extitiſſe ex Patritiis , & ex Nobilis generis , tum in Urbe præpotenti familia . Eo namque ſæculo florebant Romæ potentiores nonnullæ familiæ , ut *Creſcentii Nomentanæ Urbis Domini* , *Comitum Tuſculanorum* , & aliæ , quorum partes ſequebantur cives Romani : quæ etiam , pro libito , cuncta diſponebant , & moderabantur , ſeù veriùs turbabant , factiones excitantes , itaut etiam Clerus Romanus eorum præpotentiæ , in electione Summi Pontificis , nè ſchiſmata excitarentur , cedere fuerit coactus , ut patet ex hiſtoria Eccleſiaſtica , ab anno Chriſti 897. uſque ad 1049. Inter cæteras excelluit familia Comitum Tuſculanorum , quorum favore (Baron. ad ann. 974.) Donus II. Creatus fuit Pontifex , & anno 1003. noſter

ster Joannes XVII. Ex his quidem meritò opinari possumus, & Petronium, de quo mentio habetur in Inscriptione, ex eadem Comitum Tusculanorum familia præpotenti extitisse.

Quòd vero hic titulo *Consulis* exornetur Petronius, scire quidem oportet, quòd quamvis excelsa illa, ac Regibus parantiqua Consularis dignitas, quæ, post exactos Reges, primum creari cœpit anno Urbis conditæ CCLIV, in persona L. Junii Bruti, Reipublicæ, ac libertatis Romanæ Vindicis laudatissimi, ac perduravit per tot sæcula, tandem omnino illam defecisse anno Christi 585. quo ultimus Consul habetur fuisse Imperator Tib. Fl. Mauritius; quamvis autem à Consulatu Basilii, nempe ab anno 541. usque ad 565. jam anni annotarentur *post Consulatum Basilii*, nihilominus dict. anno Justinus Junior Consulatum assumpsit, usque ad an. 570. ac tandem Mauritius II. unicus, & ultimus reperiatur Consul, post quem hæc Dignitas omnino sublata defecit. Nihilominus (teste Carolo Sigonio *De Regno Italiæ lib.* 1.) constat excitatam fuisse quamdam imaginem Consulum ab Otthone I. Imperatore, qui regnare cœpit anno Christi 936., concessitque, ut in Provinciis Maritimæ, & Campaniæ, in Ducatu Romano, & Provincia Lucaniæ crearentur Consules, sed multum porrò ab antiquioribus Consulibus Romanis absimiles, & dignitate, & auctoritate, ac honore distantes, cum tantùm præstantiam haberent in Urbibus, seu locis. At certum est in locis Romano Pontifici subjectis, nonnisi ejusdem auctoritate, permissum fuisse circa XI. sæculum se regere, & gubernare posse ad formam Reipublicæ, cum municipalibus suis legibus, ac statutis, concessâ quoque illis facultate meri, ac mixti Imperii, ac tunc unaquæque Civitas, & locus, duos, quandoque tres, ex suis Civibus creabat Consules (auctoritate tamen Pontificis) qui rebus publicis incumberent: id tamen, saltem communiter, contigisse habetur sub Adriano PP. IV., qui sedit anno 1154, ut C. V. Muratorius tradit, To. 4. *Antiquitatum Medii Ævi*, Dissertat. XLV. Tit. *De assumpta a Civitatibus Italiæ Reipublicæ forma, antiqua Origine*, quod & nos ejusdem auctoritate explicavimus in nostra Hist. Civitatis Novæ in Piceno, edita Romæ an. 1743. a pag. 208, & sequentibus. Nam sæculo XII. plures Civitates, & loca, ampliori libertati, qua, auctoritate Pontificia gaudebant, inhiantes, per electionem Consulum turbas excitare cœperunt: Id tamen in Urbe, existimo, cœpisse ante Adrianum IV. saltem annis decem, sub Lucii II. Papæ Pontificatu, quando Romani sequentes partes, ac tumultus Arnaldi de Brixia hæretici, potentiam Senatoribus addiderunt: unde laudatus Muratorius subdit: *Neque Romà erupit, sed & nonnullæ aliæ ex Civitatibus, Oppidis, & Castellis Pontificiæ Ditionis æmulatæ sunt Populi Romani factiones, & facinus: Urbevetanos præsertim invenio, per ea tempora, Rempublicæ formam assumpsisse, & regimen Civitatis retulisse Consulibus an.* 1157. *& Cornetanos* 1187. Platina autem tradit, Alexandrum PP. III., qui sedit ab anno 1159. cum Romam Venetiis rediisset, agere cœpisse cum Romanis de tollendo Magistratu Consulum ab Urbe: at quoniam a pluribus annis hic mos esset inveteratus, Romani tandem conditionem apposuerunt, ut hujusmodi Consules suum Magistratum exercere non possent, antequam Juramentum fidelitatis præstarent in manibus Pontificis, nihil contra Pontificiam dignitatem se gesturos.

Ex his itaque apparet, hunc Magistratum Consulum initium sumpsisse diu post sæculum XI. initia, nec Titulum Consulis convenire posse Petronio ante initia Pontificatus Joannis XVII., nec in Urbe usurpatum fuisse hunc titulum ex concessione Otthonis Primi Imperatoris. Verum antequam sublata fuisset vetus illa Consularis Dignitas, anno Christi 371. claruit alius Petronius, gessitque Consulatum, unà cum Collega Gratiano Augusto II. iterumque anno 406. cum Arcadio Augusto VI. Postmodum in vita Honorii PP. I. qui sedit anno 625. eum fuisse legitur *filium Petronii Consularis Viri*.

Nihilominus animadvertendum est, quod per illam ætatem abusus invaluerat, ut qui ex potentioribus, Arcem, seu Molem Hadriani, vulgo Castrum S. Angeli, occupasset, ac possideret, titulum Consulis sibi arrogaret. In Actis enim Joannis XV. (sedit hic Pontifex anno Christi 984. ut habet Codex Vaticanus a Boronio relatus, dict. n. 1.) habetur, quod novus in Urbe Tyrannus Crescentius munitionem S. Angeli, *titulo Consulatus*, occupasset, inde Pontificem *infestare cœpit*: Subinde in Actis Gregorii V. successoris Joannis, ante Othonis Imperatoris adventum, post ejusdem electionem, per Crescentium Consulem schismatice peractam Pseudopontificem appellatum Joannem XVI. (ut scribit Glaber Rodulphus Monachus Cluniacensis lib. 1. c. 4.) Otho verò, comperta expulsione Gregorii propinqui sui, & intrusio-

trusione Joannis, cum permaximo exercitu Romam properavit, & Joannem manibus, auribusque truncatum oculis privavit, Crescentium verò in munitione S. Angeli se continentem, inde, nonnisi juramento firmata promissione, eductum, & ità deceptum, capitis pœna mulctavit.

Non aliter igitur censeri potest, fuisse Consulem appellatum, quàm a possessione munitionis Castri S. Angeli, Petronium, cum esset ex præpotenti Comitum Tusculanorum familia; adeout, teste Baronio ad annum 974. ejus operà, ab ejusdem factione electus fuerit Pontifex Donus II. ac subinde anno 1003. etiam noster Joannes XVII. ejusdem familiæ Comitum favore ad Summum Pontificatum fuerit evectus, ac paulo post, nempe anno 1012. præpotentià eorumdem Comitum factionis, creatus fuerit Pontifex Benedictus VIII. postea an. 1024. Joannes dictus XX. subinde an. 1033. Benedictus IX. omnes ex eadem familia orti.

§. IV.

ADEO LICTERIs INCUBuit UT TOTO URBis APPLausu &c.

QUòd quis humili loco, modicisque Parentibus nascatur, nihil obest, quin ad excelsas evehatur Dignitates, si eximii animi dotibus, ac virtutibus se exornandum curaverit: quòd illustri genere, nobilique sanguine decoratus procedat aliquis, fortunæ donum est; propriæ tamen virtutis, atque eximiè laudandæ solertiæ, si studio, ac labore summo, ad summos honores, atque dignitates viam sibi sternat: ille namque, qui præclaro ex sanguine ducitur, ea tantum necessitate constringitur, nè ab Avorum suorum probitate degeneret: qui verò obscuris parentibus oritur, studio verò ac labore tantum splendoris sibi comparat, ut Patriæ, generi, atque posteris splendorem suæ nobilitatis relinquat, & imitandas virtutes. Eximià hac laude decoratus Joannes XVII. ab auctore nostræ Inscriptionis, exprimitur, quòd sub Petronii tutela degens, adeo litterarum studiis incubuerit, ut *tota applaudente Urbe*, ad supremum Pontificatus culmen exaltari meruerit. Et fortè inferioribus aliis dignitatibus, favore Petronii, ac Duce virtute, antequam Pontifex renunciaretur, æquum est credere, auctum fuisse, tum ob doctrinæ præstantiam, tum ob sui officii Patroni, & Joannem a Gregorio V. Pontifice laudatissimo, Regia, & Imperiali affinitate decorato, creatum fuisse S. R. E. Presbyterum Cardinalem, testatur primo loco Ciacconius, ubi de hoc Pontifice ait: *Joannes XVII. Sicco antea nominatus &c.* Oldoinus vero ad Ciacconium, & vitam Gregorii PP. V. inter Cardinales ab eo creatos n. III. ait, *SICCO Romanus Presbyter Cardinalis S. R. E. a Gregorio V. creatus fuit: hic post Silvestrum II. Romanam Cathedram obtinuit, & dictus est Joannes XVII. vel XVIII.* Non tantum itaque congruenter, sed talium scriptorum auctoritate firmari potest, Joannem, favore Petronii, ad summi Cardinalatus apicem assumptum fuisse, antequam R. E. Pontifex crearetur.

§. V.

V. ID. JUNias Anno Domini MIII. (*Millesimo Tertio*) FUERit PONTifex CREATus PARum TameN REXIT ECCLESIAM NAM REGNATurus IN COELis PRidie Kalendas NOVembris SEQuentis OBDORMivit IN PACE.

PEr hæc statuitur Epoca electionis, sessionis, atque obitus Joannis, nempe electum, & creatum fuisse die IX. mensis Junii anni millesimi, ac tertii, & vità excessisse die 31. Octobris ejusdem anni; ac propterea sedisse tantum menses quatuor, ac dies 23. relatis in numerum electionis, mortisque diebus.

Codices tamen Vaticani, ut Pagius Junior notat, aliique scriptores indicant, Joannem sedisse dies aliquot ultra menses quinque; sex vero ex Vaticanis, mensibus iisdem dies 25. addidere (& hanc Epocam nos sequuti sumus in Chronologia depicta in Basilica S. Pauli.) Cum autem animadvertat ipse Pagius, ex Catalogo VIII. præfixo To. I. Criticæ Baronianæ, post Silvestri II. antecessoris Joannis, Sedem vacasse dies XXXIV. & Joannes dicatur consecratus fuisse die 13. Junii, atque Catalogi omnes Ordinationis diem, pro die electionis, seu creationis, accipiant, & cum Silvester obiisse dicatur 5. Idus Majas nempe die XI. & Joannes fuerit consecratus die 13. Junii, sequeretur, quod sedes vacasset dies 34.

At nostra Inscriptio clare exponit Joannem non consecratum, sed creatum V. Idus Junias, nempe die 9. Junii, ac stare potest, quòd die 13. ejusdem fuerit ordinatus (quòd esset dies Dominicalis). Postmodum Pagius diem emortualem Joannis statuit ad VII.

Idus Decembris, nempe 7. Decembris, unde sequitur, quòd sedisset menses v. dies vero XXVII. Ciacconius verò in ejus vita, ait: *sedit menses iv. dies xxv. creatus vij. Idus Junii*, & paulo post, obiit Romæ pridie Kal. Novembris, unde videtur & ipse cum antiquis, reperisse appositum pro die electionis, diem Ordinationis. Ex Inscriptione tamen apertè habetur, creatum fuisse die IX. Junii, obiisse vero die 31. Octobris, ac propterea sedisse menses quatuor dies vero XXII. Sed cum Catalogi Vaticani in plurimis differant, quoad sedes Summorum Pontificum, erroris non videtur inurenda hæc Inscriptio, ex documentis forsan servatis in Archivo Rapugnani, indeque excerptis, ut alibi annotatum est: quod tamen definiendum sapientioribus Criticis lubenter relinquimus.

Gesta a Joanne in Pontificatu, ob temporis brevitatem, non memorantur: Inscriptio vero, per illa verba *Nam regnaturus in Cælis*, satis demonstrat, & indicat, illum extitisse virum pietate, ac optima opinione laudabilem: Quo vero ad ejus Corpus Joannes Diaconus Junior, in suo de Lateranensi Basilica Libello, tradit, tumulatum fuisse ibidem, ejusque Epitaphium refert hujus tenoris,

Cernitur hic tumulus, qui Præsul dicitur esse
Summi Joannis, sic quoque dictus erat.

At Pagius subdit, non rectè legi, nec in Joanne Diacono, nec apud Cæsarem Rasponum (ex quibus illud retulit Papebrochius, sub Joannis XVI. nomine) sed rite legendum esse in extrema linea, SICCOQUE dictus erat, ut de se patet.

Memorati tamen Scriptores, qui & illum Cardinalem fuisse tradunt, indicant Joannem sepultum fuisse in Monasterio S. Sabbæ in Cellanova. At Oldoinus corrigit Panvinum scribentem in Epit. Rom. Pontificum, sepultum fuisse in Ecclesia S. Sabinæ in Aventino, dicens: *Sed teste Ciacconio, aliisque scriptoribus in Ecclesia S. Sabbæ in Cella Nova*. Sed error forte irrepsit ex similitudine nominis *Sabbæ*, & *Sabinæ*, cum utraque Ecclesia sita sit in Monte Aventino.

FINIS ANIMADVERSIONUM.

CHRO-

CHRONOLOGIA
ROMANORUM PONTIFICUM

Superstes in pariete Australi Basilicæ S. Pauli Apostoli
Viæ Ostiensis

Depicta sæculo V. seù ætate S. Leonis PP. Magni,

CUM ADDITIONE

Reliquorum Summorum Pontificum nostra ad hæc
usque tempora producta

JUSSIONE

SS. D. N. BENEDICTI PP. XIV.

*Cum Notis, singulis eorum Imaginibus subjectis, Epochas
Illorum Sedis, dies Emortuales, necnon & loca
ubi eorum Corpora sepulta fuerunt
indicantibus.*

ACCEDET AD CALCEM

A P P E N D I X

In Qua difficultates, quæ occurrunt, ex Translationibus Corporum,
& Pignorum SS. Pontificum Romanorum,
explicantur, atque solvuntur.

JESUS CHRISTUS DEI FILIUS

PONTIFEX FACTUS IN ÆTERNUM.

AD HEBR. C. 6. V. 20.



Tu es Petrus, et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, et Tibi dabo Claves Regni Cœlorum (a) *Pasce oves meas.* (b)

(a) Matth. c. 26. v. 18. (b) Jo. cap. 21. v. 17.

I.

1



NOTÆ.

SANCTUS PETRUS Natione Galilæus, filius Jonæ, seù Joannis, ex Vico Bethsaida, a Christo Dño primus in sua Ecclesia constitutus Vicarius, quam Præfecturam in ea suscepit per illa verba: *Pasce Agnos meos, & pasce Oves meas*. Pontificium administravit primò Jerosolymis annis quinque, mox Antiochiæ septem; demum jussu Dñi Romam veniens, anno secundo Claudii Imp. Cathedram ibi fundavit, tenuitque per an. 25. & ultra, quamvis non semper præsens. Quoad annos sedis ejus conveniunt cum nostra epigraphe liber Pontificalis, Anastasius Bibliothecarius, veteres omnes scriptores tam Græci, quam Latini, & præcipuè Eusebius, & Hieronymus, necnon & Codices Vaticani relati a Vignolio in Variantibus lectionibus ad librum Pontificalem, & alii ab eruditiss. Præsule Francisco Blanchinio in Prologomenis ad To. 2. Anastasii: In omnibus tamen conveniunt duo ex Vaticanis apud Vignolium, alter a Papebrochio relatus in Conatu Chron. & quatuor adducti a Schelestratio To. 1. de Antiquitate Ecclesiæ dist. 1. cap. 5.

Hanc tamen universalem de Sede S. Petri in Urbe sententiam primus impugnavit Baluzius, & post eum Papebrochius, quos sequutus est uterque Pagius, alter ad an. 43. in Critica Baroniana, alter in Gestis Rom. Pontificum, negantes Petrum Romam venisse sub Claudio, & propterea ejusdem sedem ad summum decennalem fuisse. Hanc tamen opinionem tam validis veterum testimoniis, & argumentis diluit Cl. V. Schelestratius, ut meritò dubitari non possit, B. Petrum ad Urbem accessisse anno secundo Claudii, & propterea sedisse annos XXV. & paulò amplius.

Corpus Beatissimi Petri in Vaticano sepultum fuit: De ejusdem Reliquiis, nonnulla erunt adnotanda in Appendice, quam dabimus post absolutam hanc Romanor. Pontif. Chronologiam §. 1.

II.

2



NOTÆ.

SANCTUS LINUS Natione Italus, patria Volaterranus, Herculani Filius, primus in locum Apostolorum Principis subrogatus est Romanus Pontifex: de controversia successionis tum Lini, tum Cleti, ac etiam Clementis, quæ ab historicis agitatur, videndum est, in præcedentibus nostris Animadversionibus, Cap. v. Quo verò ad Epocham ejusdem sedis, idem Blanchinius, cum ex pavimento Basilicæ S. Pauli, tubo optico deprehendere non valuisset nisi notam numeralem x, rectè quidem, de suo, addidit aliam videlicet 1. per quam completur numerus annor. xi. idque minutioris characteris elemento 1. expresso. Nos verò, per admotum ligneum Castrum propius accedentes, excusso alto pulvere, ac superfusà aqua, clarè integram notam xi. prospeximus annorum, & M. III. ac dierum xii. Cum qua concordant duo ex Catalogis Vaticanis a Vignolio relatis, necnon octo exteri apud Blanchinium in Prolegom. ad Anastasium Biblioth. Liber Pontificalis, & Anastasius differunt sive in annis, sive in mensibus, sive in diebus. Baronius ad an. Christi 80. eidem tribuit sedis annos xi. M. II. & dies xxiii. recensendo Lini annos a die post martyrium S. Petri, ducensque usque ad diem, qua anniversaria ejus commemoratio antiquitus fieri consuevit, cum non appareat, quot diebus alicujus Pontificis sedes vacaverit a die obitus præcedentis. Verùm Pagius, ad an. 78. §. 5., putat non esse existimandum, S. Linum eo die, nempe 9. Kal. Oct. ut colitur in M. R. Romano, & Officio, ad superos transisse.

S. Lini effigies, ex quibusdam residuis lineamentis, ad antiquam ejus formam reparari potuit. Corpus hujus Pontificis depositum fuit in Vaticano juxta Principem Apostolorum. De eo tamen videas quæ notanda sunt in Appendice §. 2.

III.

3



NOTÆ.

SANCTUS CLETUS, Patria Romanus, ex Vico Patricio, Patre Æmiliano, B. Lino in Pontificatu successit. Cum fere tota effigies periisset, ex delapsu calcis in Basilica S. Pauli, & cum ea epigraphes, hanc supplere oportuit ex Catalogis Vaticanis relatis a Vignolio in Variantibus lectionibus ad librum Pontificalem, quos emendatiores esse judicavimus, necnon ex decem aliis Catalogis exteris a Blanchinio relatis (in tom. 2. Anastasii) qui omnes consentiunt, Cletum sedisse annos XII. M. I.; & novem ex his, dies XI. Alii omnes Catalogi Vaticani, unà cum libro Pontificali, & Anastasio Bibliothecario mendosè habent An. XV. M. I. D. II. Baronius, rectè quoad annos XII. quamvis assignet M. VII. D. II. Antiquus vero Catalogus, ex Ms. Codice Bibliothecæ Reginæ Sveciæ, relatus a Schelestratio in appendice ad opus Chronologicum, tom. I. de Antiquitate Ecclesiæ, sic habet: *Cletus sedit annis XII. M. I. D. XI.*

Martyrio coronatus est in persecutione Domitiani die 26. Aprilis.

Corpus ejus, juxta memorias SS. Petri, & Lini decessorum ejus, sepultum fuit in Basilica Vaticana, ubi nunc etiam requiescit, & colitur.

IV.

4



NOTÆ.

SANCTUS CLEMENS, Faustini filius, de Regione Montis Cœlii, ex antiquis B. Petri discipulis. De hujus in Romani Pontificatus successione post Cletum, satis egimus in Animadversionum cap. V. Fere omnes in annis cum nostra epigraphe consentiunt, sed variant in mensibus, & diebus. Liber Pontificalis in diebus, quos 12. enumerat: respondet in omnibus Anastasius Bibliothecarius ex editione Velserj. Catalogi Vaticani a Vignolo exhibiti, annos quidem IX. sed M. I. diesque XI. tradunt. Exteri a Blanchinio relati eosdem annos referunt, & ex his undecim concordant in M. II. decem vero ex iisdem, dies X. In omnibus tamen consentit Catalogus Reginæ Sveciæ, apud Schelestratium, necnon duo alii Catalogi Vallicellani, relati a R. P. Josepho Blanchinio Cong. Oratorii de Urbe (cl. me. Francisci Nepote, quem nos in seqq. Blanchinum Juniorem appellabimus) in Prolegomenis ad To. IV. Anastasii Bibliothecarii, Pagius in Breviario habet annos IX. M. XI. D. XII.

Anno I. Imperii Trajani relegatus in Chersonesam Tauricam, ejusdem Principis jussu, in mare demersus martyrii coronam accepit, anno Christi 102. nono Kal. Decembris: Inde post annos plurimos corpus Romam translatum in Æde ipsi dicata repositum fuit. Nonnulla, de ejusdem corporis translatione, rejicimus in Appendicem §. 3. In Basilica Sancti Pauli, exceptis primis duabus lineis, tam Epocha sedis, quam Protome ejusdem S. Clementis integræ, & inviolatæ conspiciebantur.

V.

5 

N O T Æ.

SANCTUS ANACLETUS, Natione Græcus, patria Atheniensis ex Antiocho Patre, in locum S. Clementis Pontificis suffectus est. Hic memoriam B. Petri construxit, & composuit, dum Presbyter factus fuisset a B. Petro, & alia loca, ubi successores ejus Pontifices sepulturà reconderentur. Annos menses, & dies illius sedis perspicue reddebat Epigraphes, quamvis aliæ litteræ, omnes ex delapsu calcis omnino periissent. Liber Pontificalis consentit in annis, sed in cæteris discrepat, notans M. VII. D. vero III. Anastasius Bibliothecarius habet An. IX. M. II. D. X. In annis consonat Catalogus Tertius Vaticanus apud Vignolium: Catalogi quoque exteri quindecim, apud Blanchinium seniorem, concordant in Annis XII, octo in Mensibus X, ac diebus VII. Catalogus Vallicellanus 2. relat. a Blanchinio Jun. omnino cum nostra Epigraphe concordat, primus vero discrepat tantùm in diebus, quorum unicum assignat. Alius Catalogus sub Liberio confectus, integram prorsus Epocham, in Epigraphe relatam, exhibet, quæ porro correctior videtur, quàm quæ notatur a Baronio, qui illi assignat A. IX. M. III. ac D. III. Pagius in Breviario Rom. Pontif. exactiori calculo ducto, similiter S. Anacleti sedem tradit Ann. XII. M. X. dierum vero III. Martyrio coronatus est sub Trajano An. C. 112. die 13. Julii. Ejus Corpus in Vaticano propè Principem Apostolorum depositum fuit, ubi, & requiescit, & cum cæteris religiosissime colitur: ejus memoria in M. R. Romano, & Officio celebratur.

VI.

 6

N O T Æ.

SANCTUS EVARISTUS, Natione Syrus, ex Patre Judæo, nomine Juda, ex Civitate Bethleem: Hic Titulos in Urbe Presbyteris divisit, idest domos fidelium cultui Divino mancipatas, in quibus Christiani Synaxes agerent, & Sacramenta perciperent, quæ postea Ecclesiæ sunt appellatæ. Epocha illius sedis, quoad annos, extendenda minime videtur ultra ann. IX. & menses, ac dies aliquot. Cl. V. Blanchinius cum ex pavimento Basilicæ S. Pauli hanc Imaginem S. Evaristi contemplaretur tubo optico, & nonnisi elementum X. detexisset, putavit ibidem defecisse tres alias unitates, ut integer haberetur numerus annor. XIII, ut jam percipiebat ex textu Anastasii Bibl. necnon ex octo Catalogis, quos præ manibus habebat, hinc tria elementa I. parvo charactere, litteræ X. adjecit. Verùm nos, deterso pariete, ac beneficio aquæ superfusæ, manifeste conspeximus unum elementum I. ante X. extare: immo, & inter X. & M. subsequentem, tantum spatii non fuisse relictum, ut in eo tria apponi potuerint elementa. Hinc integra Epocha sedis S. Evaristi apparuit esse A. IX. M. VII. D. II. Huic etiam, quoad annos, consonat Baronius, qui differt tantum, menses tres enumerando. Ex Codicibus quoque ab ipso Blanchinio adductis, qui est, Felicis IV, & Colbertini 2. & 3. eumdem numerum annor. proferunt: ac nonnulli ex Codicibus Vaticanis a Vignolio exhibitis idem exhibent, Codex Bibl. Reginæ Sveciæ a Schelestratio relatus habet Annos IX. M. X. ac dies II.

Martyrio coronatus est Evaristus sub Adriano Imperatore An. C. 121. die 25. Oct. Ejusque Corpus in Vaticano prope Principem Apostolorum tumulatum fuit. De quo vide infra in Append. §. IV.

VII.

7 

NOTÆ.

SANCTUS ALEXANDER, Romanus Alexandri filius, de regione caput Tauri. Ætate adhuc florentem, ſed moribus, ſcientia, & ſanctitate incomparabili conſpicuum fuiſſe, & magnam partem Procerum Romanorum, ſua prædicatione, ac miraculis ad Chriſtum traduxiſſe celebrant. Plura, quæ ex traditione Apoſtolica in Eccleſia ſervabantur, ut de aſperſione aquæ ſali mixtæ benedictæ, de mixtione aquæ cum vino conſecrando, & alia decreto firmavit. In noſtra Epigraphe, quæ integra, quoad numeros omnes adhuc erat, habetur ſediſſe Ann. X. M. VII, ac dies III. Quoad annos, Catalogi Vaticani apud Vignolium concordant, in cæteris diſcrepant. Undecim alii relati a Blanchinio ſeniore, eumdem numerum Annorum reddunt, decem ſignant Menſes VII. Oldoinus in Necrologio tribuit S. Alexandro ſedem annorum X. M. V. ac dierum XXI. Pagius verò in Breviario, ſequutus Chronicon Damaſi, habet Annos VIII. M.II. D.I. Baronius, traditâ Epocha libri de Romanis Pontificibus Annorum X. M. VII. ac dierum II., ſuum calculum ſtatuit in An. X. M. V. ac D. XX. Martyrio coronatur ſub Hadriano Imperatore capite truncatus in Via Nomentana, ſeptimo ab Urbe milliario, quo in loco honorifice ſepultus eſt a religioſa Matrona Severina, Uxore Aureliani Judicis, qui, abſente Imperatore, ſanctum Pontificem damnaverat; De ejuſdem Corpore inde tranſlato, & pluribus in locis diſperſo, vide infra in Appendice §. v.

VIII.

 8

NOTÆ.

SANCTUS SIXTUS, patriâ Romanus, Filius Paſtoris de Regione Viæ Latæ. Quamvis in hac ſerie Leoniana integra, ac ſervata appareret hujus Pontificis imago, Epocha tamen ejus ſedis, a longe ſtanti Blanchinio cum tubo optico, minime apparuit, unde per parvum elementum X. illam ſupplevit ex Catalogis ap ipſo relatis, atque ex Anaſtaſio Bibliothecario, & Baronio, qui totidem illi aſſignarunt. Nos verò propè accedentes, aquæ beneficio, clariſſimè deprehendimus ſuperſtites notas, ut in Epigraphe. Certè Baronius ad an. 142. tradit Sixtum ſediſſe annos X. minus menſe uno, ac diebus XXVIII. ex quibus conficiuntur anni VIIII. menſes X. ac dies VIII. cui reſpondet liber Pontificalis: Anaſtaſius Bibliothecarius habet Ann. X. M. III. D. XXI. Quare ſi demas ex eo Annum unum, reſpondebit in cæteris cum noſtra Epigraphe. Cæterum animadvertendum eſt, Chronologos pleroſque Latinos, qui Græcos ſequuti ſunt, & præcipuè Euſebium Cæſarienſem in ſua Hiſtoria, circa Sedem Romanorum Pontificum, conſueviſſe illam ſtatuere in integro, ac rotundo annorum numero jam incœpto, nullà habita ratione de menſibus, atque diebus: nam & ipſe Euſebius S. Sixto annos X. rotundos attribuit. Pagius vero Annos X. M. II. D. I.

Martyrio coronatus eſt ſub Antonino Pio Imperatore an. C. 142. Corpus ejus in Vaticano ſepultum fuit, de quo, & ejus tranſlatione vide in Appendice §. VI.

IX. X.





N O T Æ.

SANCTUS TELESPHORUS, Natione Græcus, patria (ut tradit Oldoinus in Necrol. ad 5. Jan.) Thurienſis in Calabria, Anachorita, vel Anachoritæ filius. Notas numerales in Epigraphe integras intactaſque reperimus, ejus ſedem exprimentes: quibus etiam reſpondet liber Pontificalis, excepto quòd una die illas excedit, idemque præſtat Anaſtaſius Bibliothecarius. Baronius concordat in annis, menſes vero ad novem producit, tres minus dies. Catalogi Vaticani a Vignolio relati variant in menſibus, ac diebus, excepto tertio, qui concordat in omnibus. Ex aliis relatis a Blanchinio, undecim aſſignant Teleſphoro annos XI. Octo M. III. ſeptem dies XXII. unus vero dies XXI. Codex Reginæ Sveciæ, apud Schelestratium, ſicuti & duo Vallicellani relati a Blanchinio Juniore, Tom. IV. Anaſtaſii, conſonant in omnibus noſtræ Epigraphi. Pagius Junior in Breviario habet Annos XI. M. III. dies vero III. Ex quibus apparet, quam præſtans ſit Epocha relata in picturis Baſilicæ S. Pauli. Nam & Euſebius annos XI. exactos tribuit, idemque Indices Creſconiani indicati a Baronio ad an. 154 qui tamen non approbat ſenſum eorum, qui tribuunt Teleſphoro ſedis annos XI. M. III. ac dies XXI. quod tamen expreſſe apparet in noſtra Epigraphe.

Martyrio coronatus eſt ſub Antonino, die 5. Jan. Ann. C. 154 cujus Corpus in Vaticano ſepultum, ibidem requieſcere tradunt ejuſdem Baſilicæ monumenta.

N O T Æ.

SANCTUS HYGINUS, Natione Græcus, ex Philoſopho Summus Pontifex renunciatur, cum eſſet Presbyter S.R.E. Blanchinius cum integram haud potuiſſet videre epocham ſedis ejus, ſed tantum tria elementa, quartum, parvo charactere, optimè addidit, quod poſtea nos propius conſpeximus adſuiſſe. In textu Anaſtaſii legitur An. IIII. M. III. D. VIII. Vignolius annotavit in Codice Vaticano, corruptè quidem, legi ann.X. quod ſic corrigendum eſſe notavit Ann. IIII. M. III. D. VII. & Vaticanum ſextum habere annos IV. M. II. D. VIII. Baronius habet ann. IV. duobus minus diebus. Codices a Blanchinio Sen. relati, aſſignant annos IV. M. III. & eorum ſex, D. VIII. Catalogi duo Vallicellani a Blanchinio Juniore (tom. 4. Anaſtaſ.) In omnibus cum Epigraphe noſtra concordant. Euſebius quoque Cæſarienſis, Hiſtor. lib. 4. cap. XI. in annis IV. convenit, ſcribens: *poſt quartum Pontificatus annum moritur*. Pagius in Breviario ei annos quatuor tantùm attribuit.

Martyrio coronatus eſt, Antonino Imperatore, die 11. Jan. An. C. 158. ejuſque Corpus in Vaticano, prope Apoſtolum Petrum ſepultum fuit, ibique requieſcere illius tradunt Baſilicæ monumenta. Super quo, vide In Appendice §. VII.

d SAN-

XI. XII.

11 

 12

NOTÆ.

SANCTUS PIUS, Natione Italus, patria Aquilejensis, ex Patre Rufino. Ancipitem hujus S. Pontificis epocham sedis tradunt antiqui scriptores, & catalogi plures, quòd nonnulli Anicetum, alii Pium anteponant, ex qua transpositione factum est, ut Epocha sedis unius alteri fuerit assignata. Ita Anastasius Bibliothecarius, Aniceto, quem Pio præponit, annos Pii attribuit, Pio vero annos Aniceti, quamvis utrobique corruptè. Sed, quoad ordinem Chronologiæ, Baronius probat ad an. 158. Pium esse anteponendum, quod etiam apparet in hac serie Leoniana in parietibus S. Pauli, ubi residuæ notæ numerales distinctè exhibent, eum sedisse annos VIII. M. III. D. III. quamvis Catalogi Vaticani apud Vignolium, & alii Colbertini diversimode assignent. Nam liber Pontificalis Damaso adscriptus, & Anastasius, Pio attribuunt annos XIX. M. IV. D. III. Eusebius annos XV. Pagius tandem in Breviario Annos X. M. IV. D. III.

Martyrio coronatus est, sub Antonino Pio, & M. Aurelio Impp. die 11. Julii Anni 167. atque sepultus juxta corpus B. Petri Apostoli in Vaticano, ubi ab immemorabili colitur. Quonam verò documento, in Indice, seu Catalogo Reliquiarum, relato in calce Martyrologii Maurolici, habeatur corpus hujus S. Pontificis asservari Bambergæ in Germania, omninò ignoramus.

NOTÆ.

SANCTUS ANICETUS, Natione Syrus, ex patre Joanne de Vico Omisa, seu Humisia. Ex transpositione nominis, Pii, & Aniceti, non modica confusio orta est circa utriusque sedis tempus. Verùm in serie nostra Leoniana, seu S. Pauli, epocha sedis S. Aniceti clare conspiciebatur Ann. XI. M. IIII. & D. XX. Catalogi plures Vaticani, apud Vignolium, assignant Annos XI. M. IV. dies vero tres. Totidem annos Aniceto tribuunt Damasus, & Beda: totidemque annos, & menses Catalogi a Blanchinio Seniore relati, dies vero habent XX. Pagius autem Junior annos X. Baronius ad ann. 175. sedi Aniceti annos assignat octo, minus mensibus tribus, ac diebus septem, licet (ait) *alii decem, & undecim alii eidem tribuant annos, & quam in multis sequimur, Cresconiana series octo annos, & menses tres.*

Martyrio coronatus est in persecutione Marci Aurelii Antonini, & Lucii Veri die 17. Aprilis An. C. 175. Ejus Corpus in Cœmeterio Viæ Appiæ, quod postea Callisti dictum est, depositum fuit: ex quo, sub Clemente Papa VIII. extractum an. 1590. honorifice collocatum fuit in Sacello domestico nobilis familiæ de Altaemps de Urbe, ut explicabimus in Appendice §. VIII.

XIII.




NOTÆ.

SANCTUS SOTER in Campania ortus ex Patre Concordio (ab aliis etiam Concordius Soter appellatus). Epigraphes unà cum imagine S. Soteris ita detrita apparuit Blanchinio, ut ex ea nihil percipere potuerit, sed ex alia, a Nicolao Papa III. renovata in Epistylio subjectæ columnæ, illam supplevit. Nos verò ulteriori adhibita diligentià, perspicue deteximus Epocham sedis in Ann. VIIII. M. III. ac D. XXI. Cum ipsa, quoad annos, & menses, concordat Anastasius Bibliothecarius, nullo addito die. Damasus vero discordat in Mensibus VIII. necnon in diebus XXII. supra novennium. Catalogi Vaticani, apud Vignolium, primus, secundus, & septimus, eosdem referunt annos, quorum ultimus addit dies XXI. Tresdecim apud Blanchinium eosdem indicant annos, novem verò, Menses III. & quinque, dies XXI. Catalogi a Schelestratio adducti, in lib. de Antiquit. Eccles. in omnibus consentiunt. Pagius verò in Breviario habet annos IX. & aliquot menses, ac dies.

Martyrii corona fuit insignitus anno 182. sub M. Aurelio Imperatore, die 22. Apr. & sepultus fuit in Cœmeterio Callisti, Via Appia, inde extractum in varias Ecclesias dispertitum est corpus ejus, ut annotabimus in Appendice suo loco.

XIV.



NOTÆ.

SANCTUS ELEUTHERUS, dictus etiam Abundius Eleutherius, Abundio Patre, Nicopolitanus, hoc est ex Nicopoli Epiri Urbe. Præter nomen ELETHERUS, & M. IIII. D. V. nihil aliud apparebat in nostra Epigraphe, quare supplenda fuit, sedit Ao. XV. ut antea fecit Blanchinus, & in quem annorum numerum concordant Anastasius Bibliothecarius, & liber Pontificalis, quamvis primus addat M. III. ac D. II. alibi vero M. VI. D. V. Baronius ad an. 194. tradit sedisse Annos XV. D. XXIII. *De cujus sedis annis* (ait) *cum omnes consentiant tam Latini, quam Græci, quòd apud Eusebium in Hist. tredecim tantum ei assignentur, aut errore numeri accidit, aut eò quod obijsse putat ante biennium.* Pagius in Breviario attribuit Ann. XV. & D. XXIV. Catalogi Vaticani a Vignolio relati, in annis omnes consentiunt, quamvis in Mensibus, ac diebus discordent: sicut etiam alii adducti a Blanchinio, ex quibus unus reddit M. IIII. & novem Dies V.

Dubitat Baronius, an S. Eleutherius per Martyrium fuerit vita spoliatus: nihilominus standum esse scribit antiquioribus Ecclesiæ Romanæ Martyrulogiis, in quibus Martyr declaratur, ac etiam traditioni ejusdem Ecclesiæ, quæ eum ut talem Officio concelebrat 26. Maji. Corpus ejus in Vaticano sepultum fuit, nec de ejusdem Translatione, apud eam Basilicam, ulla extat memoria. Nec de Reliquiis ejus mentionem reperisse me meminit nisi apud Pancirolum, de quibus tamen dubitare licet, eas indicatas esse per æquivocationem.

XV. XVI.



NOTÆ.

SANCTUS VICTOR, Natione Afer, patre Felice, Eleutherio in Pontificatu suffectus est. In nostra Epigraphe, præter nomen, ac notas mensium, ac dierum, quibus sedit, nihil prorsus cernebatur, quare Annos X. opportuit supplere ex libro Pontificali, & Anastasio, qui & menses, ac dies eosdem assignant; idque præstant Catalogi primus, ac tertius Vaticani a Vignolio relati, atque unicus Colbertinus apud Blanchinium Senior., necnon duo Vallicellani penes Blanchinium Juniorem to. 4. Anastasii. Baronius vero ad ann. 203. habet annos IX. M. I. D. XXVIII. Codex Reginæ Sveciæ, corruptè tradit Annos XI. M. II. D. X. Franciscus Pagius in Breviario habet Annos XII. M. I. D. XVI. Placuit tamen sequi Epocham ex supradictis melioris notæ Codicibus.

Nullus antiquorum tradit Victorem Martyrio vitam consummasse, standum tamen est auctoritati Ecclesiæ, quæ illum uti talem colit sub die 28. Julii.

Corpus ejus sepultum fuit in Vaticano, ut veteres omnes scriptores testantur. Cum vero monumenta ejusdem Basilicæ doceant, adhuc in ipsa servari, nec constet de ejus translatione, equivocè putamus accipiendum esse, quod scripsit Jacobillus Tom. 3. SS. Umbriæ, nempe majorem partem ossium hujus Sancti Pontificis servari in Cathedrali Civitatis Burgi Sancti Sepulchi in Etruria, ac esse potius alterius S. Martyris ejusdem nominis, præcipue cum legatur apud eundem: *Quod erat in Cæmeterio Callisti*. Et idem esse dicendum de nonnullis Reliquiis, seu fragmentis, quæ a Giambonio indicantur esse Florentiæ in Metropolitana, seu aliis locis.

NOTÆ.

SANCTUS ZEPHYRINUS, patriâ Romanus, Abundio patre natus. Integram sedis Epigraphem reperimus in serie Basilicæ S. Pauli, cui in totum consonant Anastasius Bibliothecarius, ac Liber Pontificalis, qui tantum differt in Mensibus, quos VII. apponit. Nostræ quoquæ respondent Catalogus primus a Vignolio relatus, ac duo alii apud Blanchinium Senior. nempe Bergomensis, & Farfensis, necnon primus Vallicellanus apud Blanchinium Jun.

Baronius ad annum 221, tradit sedisse annos XVIII. totidemque dies, quot etiam illi attribuit Oldoinus in Necrologio. Pagius in Breviario Annos XIX., menses X. ac dies V. illi assignat. Cum vero consentiant cum nostra Epocha antiquiores scriptores, aliique Catalogi, cui fides sit potius adhibenda judicet Lector.

Ejusdem memoria tamquam Martyris celebratur ab Ecclesia Romana sub die 26. Augusti. Ejus Corpus sepultum fuit in Cœmeterio Viæ Appiæ, quod postea Callisti appellatum est. Ea pars tamen, in qua depositus est Zephyrinus dicta est etiam Cœmeterium Zephyrini: De ejusdem vero Translatione, ac Reliquiis vide, quæ in Appendicem rejicimus.

XVII. XVIII.

17



18



NOTÆ.

SANCTUS CALLISTUS, patriâ Romanus, Domitii filius, de Vico Caſtrorum Ravennatum (ſeu regionis Tranſtyberinæ) ſedit ſub Alexandro Severo Imp. In ſerie Pontificum Romanorum Baſilicæ S. Pauli ab hac Immagine, ipſorum effigies, & epigraphes omnino intactæ ſuperſunt: Nomini Sancti Calliſti cernitur præfixa Crux rubri coloris, quæ tamen in nonnullis ex ſubſequentibus deleta conſpicitur. Epocha Sedis S. Calliſti eſt Ann. V. M. II. & D. X. Cui in annis, ac menſibus reſpondet liber Pontificalis, dies vero XI. habet. Baronius in annis concordat, menſes vero unum, ac dies duodecim aſſignat. Catalogi duo Vallicellani ambo conveniunt. Ex [illegible]s, a Blanchinio Seniore adductis, undecim tradunt annos v. ſexdecim M. II. & quindecim D. X. quam Epocham ſequutus eſt etiam Pagius in Breviario. Anaſtaſius Bibliothecarius non rectè exhibet annos VI. M. II. D. X.

Longo carcere, ac fame vexatus Calliſtus in puteum domus præcipitatus eſt die 28. Septembris, ſub eodem Imperatore Alexandro, anno Chriſti 227. Corpus ejus poſt dies 17. è puteo ſublatum, in Cœmeterio Calepodii Via Aurelia tumulatum fuit. Inde poſtea extractum, in Baſilicam Sanctæ Mariæ Tranſtyberim, ab eo ædificatam, translatum eſt, ubi ſub ejus Ara Maxima honorifice colitur. De ejuſdem translatione Sacri Corporis, ac Reliquiis, vide in Appendice, ſuo loco.

NOTÆ.

SANCTUS URBANUS, Patriâ Romanus, Pontiani filius. Baronius ad annum 233. Urbani Papæ ſedem conſtituit in Ann. VI. M. VII. ac diebus IV. licèt Euſebius, (ut ait) eum ſediſſe dicat annis novem: ſed Indices Vaticani, & Creſconiani huic poſitioni magis aſſentiri videntur. Verùm Epigraphes noſtra, adhuc intacta, perſpicuè deſignat Annos VIII. M. XI. D. XII. Cui conſonat liber Pontificalis. Anaſtaſius Bibliothecarius corruptè reddit Annos VI. M. II. & Dies X. Epocham noſtram exhibent primus Catalogus Vallicellanus apud Blanchinium Jun. Ex relatis a Blanchinio Seniore, ſeptem reddunt Annos VIII. Treſdecim Menſes XI, unus & viginti, Dies XII. Pagius in Breviario habet Annos VII. M. VII. cum aliquibus diebus.

Sub Alexandro Severo, gladio percuſſus Martyrii corona decoratus eſt, die 25. Maji ann. Chriſti 233. Ejus Corpus ſepultum fuit in Cœmeterio Prætextati, Via Appia, ex quo a S. Paſchali I. unà cum aliis SS. Cæciliæ, Valeriani ejus Sponſi, Tiburtii, & Maximi, extractum, in Eccleſia prædictæ S. Cæciliæ, quam Urbanus ipſe conſecraverat, honorifice collocavit, ubi nunc etiam colitur. Difficultates, quæ de poſſeſſione Sacri Corporis S. Urbani excitantur, expendemus in ſubjecta Appendice, ſuo loco.

f SAN-


XIX.

19



XX.

20



NOTÆ.

SANCTUS PONTIANUS, Calpurnii filius, ac propterea dictus etiam *Calpurnius Pontianus*, patriâ Romanus, post S. Urbanum Pontifex renunciatus est. Ab Alexandro Severo Imperatore, aliquâ potius circumventus calumnia, quàm Religionis causâ, in Sardiniam relegatus est. Alexandro interim occiso, elatus ad Imperium Julius Maximinus, acerbam in Christianos excitavit persecutionem, quam auspicatus est ab eorum Summo Pastore Pontiano, quem in eadem Insula fustibus mactari jussit, cum sedisset Annos V. M. II. & Dies II. Hanc Epocham sedis exhibet (quoad annos) nostra Epigraphes antiqua, sed in mensibus, ac diebus mutilam, quam ex libro Pontificali, & Anastasio Bibliothecario supplevimus. Huic consonant vetus Catalogus, & alter primus ambo Vaticani, a Vignolio relati, nec non primus Vallicellanus apud Blanchinium Juniorem. Ex adductis a Blanchinio Sen. in Tomo 2. Anastasii, tresdecim habent annos V. undecim M. II. & novem dies II.

Ejus Corpus a B. Fabiano, postea Summo Pontifice, Romam delatum ex Sardinia, sepultum fuit in Cœmeterio Callisti, unde a S. Paschali Papa I. extractum, in Titulo S. Praxedis depositum fuit. Vide in Appendice, suo loco.

NOTÆ.

SANCTUS ANTERUS, ex Magna Græcia, quem Pontiano nonnulli præponunt; sed Indices Vaticani, & Scriptores fere omnes, post Pontianum, Anterum sedisse brevi quidem tempore, affirmant. Anastasius Bibliothecarius corruptissimè sedem Antero assignat Ann. XII. M. I. D. XI, sed error librariorum oscitantiâ irrepsit, cum liber Pontificalis assignet M. I. D. XII. Blanchinius Sen. cum in exploratione nostræ Epigraphis, post verbum *Anni*, cætera non vidisset, lacunam expressit. Nos vero propius conspicientes, expresse deteximus Anni M.I. D.X. *nempe*, *Anni unius Mensem I. & D. X.* Plures Catalogos exhibet ipse idem Blanchinius Sen., & fere omnes in Epocha sedis Anteri vitiatos; Catalogus tamen Liberianus, omnino cum Epigraphe nostra concordat: Bergomensis consonat in M. I.; dies vero XV. enumerat, sicut & Colbertinus septimus. Baronius ad an. 238. notat, Anterum martyrio fuisse coronatum die 3. Januarii, sub Julio Maximino, cum electus fuisset pauiò post martyrium S. Pontiani, quod contigit die 19. Novembris anni præcedentis. Ex his planè constat, Epigraphem nostram esse correctissimam, in quam, exceptis diebus tribus, quos addit, consonat & Pagius in Breviario.

Corpus ejus tumulatum fuit in Cœmeterio Callisti, undè primùm a S. Paulo Papa I. extractum, ad Titulum S. Silvestri in Capite translatum fuit: de quo etiam vide in nostra Appendice, suo loco.

XXI.

21



NOTÆ.

SANCTUS FABIANUS, Fabii Filius, Romanus, Antero fufficitur, indicio Columbæ, quæ capiti ejus infedit. Ex Baronio, Ciacconio, & Panvinio, fedit annis XV. diebus IV., ex Beda, Adnoe An. XIV. M. XI. D. II. Ex Luitprando Ann. XIII. M.I. D. XI. Huic affinis eft Epocha in ferie Bafilicæ S. Pauli, quæ clare exhibet Ann. XIII. M. I. D. X. Cum ea concordant Codex Vatic. quartus, apud Vignolium, necnon Bergomenfis, & Colbertinus relati a Blanchinio Seniore, ac etiam primus Catalogus Vallicellanus apud Jun. Sedente S. Fabiano Philippus Imp. ad Chriftianam Fidem converfus, & baptizatus ab eo celebratur; Eoque Veronæ, & ejus filio, pariter Philippo, Romæ occifis, Decius elatus ad Imperium mox perfecutionem conflavit, hinc Pagius in Breviario tradit, Fabianum martyrio affectum die 20.Januarii anni 250. cum fediffet annos XIV. dies vero XV. fub eodem Decio Imperatore. Liber Pontificalis concordat cum noftra Epigraphe in annis XIII., fed addit M. XI., totidemque dies. Anaftafius vero Bibliothecarius habet annos XIV. M. X. D. XI. Sed cum noftra Epigraphes perfpicue Epocham defignet, non eft utique ab ea recedendum.

Martyrio coronatus eft fub Decio Imperatore Anno Chrifti 253. Cujus Corpus fepultum fuit in Cœmeterio Callifti Via Appia, ex quo poftea a Sancto Pafchali Papa I. tranflatum eft in Ecclefiam S. Praxedis ad Montes, ut legitur in Tabula marmorea ejufdem Pafchalis in ea affixa: Cætera de eodem facro Corpore, vel de ejus Reliquiis, dabimus in Appendice, fuo loco.

XXII.

22



NOTÆ.


SANCTUS CORNELIUS, Patria Romanus, ex Patre Caftino. Blanchinius Senior in excipienda, tubo optico, noftra Epigraphe, nec ex alto pulvere, quo contecta erat, minime percipiens litteras, judicavit, poft verbus ANNI, adeffe litteram M. quæ Menfes fignificaret tres fubfequentes, ac proinde minutiori charactere illam expreffit. Verùm nos propius accedentes, & aquæ fuperfufæ beneficio, integram Epocham clare perfpeximus, & nihil fpatii intereffe inter verbum ANNI, & fubfequentia III. Elementa, quibus manifefte indicatur, fedem Cornelii fuiffe Annorum III. ac dierum X. Baronius ad ann. 255. putavit Cornelium, neque biennium expleviffe in Pontificatu. Liber Pontificalis An. I. M. II. & dies III. illi attribuit. Pagius in Breviario An. I. M. II. & dies. Panvinius fupra duos annos menfes aliquot. Anaftafius Bibliothecarius habet Annos III. M. II. D. X. Eufebius autem tertium annum, eum in fede compleviffe affirmat. Integram vero Epocam noftram explicant Catalogus fextus Vaticanus a Vignolio relatus, alius Bergomenfis apud Blanchinium Seniorem, necnon quatuor Ocriculani ab eodem adducti.

Martyrio coronatus eft in perfecutione Galli, & Volufiani, Anno Chrifti 256. a Lucina fepultus eft in Arenario Viæ Appiæ. A quo verò Pontifice inde extractum fuerit, & in Bafilicam Sanctæ Mariæ Tranftyberim tranflatum, explicabimus in Appendice, fuo loco.

XXIII. XXIV.

23 24





NOTÆ.

SANCTUS LUCIUS, quem Baronius Romanum facit, ex patre Porphyrio, Anastasius vero Bibliothecarius, Tuscum, de Civitate Lucæ, ex Patre Lucino. Liber Pontificalis tradit, Lucium sedisse menses tantum V. & dies X. Vignolius hanc Epocham tuetur, existimans omnes Mss. Codices corruptos esse, in quibus Lucii sedes statuitur ad Annos III. M. III. ac dies totidem: sed oppositum apparet ex consensione tot codicum ejusdem libri Pontificalis, ac etiam nostræ Epigraphis Leoniani sæculi in Basilica S. Pauli, in qua expresse legitur Ann. III. M. III. D. III. cui etiam consentit Anastasius Bibliothecarius, quamvis discordet in M. VIII. Hanc quoque nostram Vignolius testatur reddere Catalogos Vaticanos primum, ac tertium: insuper quatuordecim alii Catalogi a Blanchinio Seniore relati, necnon ambo Vallicellani apud Blanchinium Juniorem, ac etiam Codex Reginæ Sveciæ apud Schelestratium. Pagius vero computum sedis non explicat, sed duas tradit ordinationes, mense Decembri, fecisse, ex quo educi potest, ultra duos annos sedisse: ex allatis itaque documentis patet, nostram Epocham cæteris esse præferendam.

Martyrio coronatus est S. Lucius sub Gallo, & Volusiano Imperatoribus, anno Christi 257. ut tradit Anastasius Bibliothecarius, & ut Martyrem eum colit Ecclesia Romana sub die 4. Martii. Ejus Corpus in Cœmeterio Callisti tumulatum fuit, inde postea translatum est ad Basilicam S. Cæciliæ Transtyberim: sed de prima ejusdem Corporis translatione, vide in nostra Appendice, suo loco.

NOTÆ.

SANCTUS STEPHANUS, Romanus, ex Patre Julio. Baronius eum sedisse Annos III. M. III. ac Dies XXII. tradit, quem nonnulli sequuntur: at in Epocham nostram, videlicet Ann. IIII. M. II. D. XV. quoad annos conveniunt alii, itaut correctior cæteris appareat. Liber Pontificalis, habet annos IV. Menses vero V. dies duos: Codices Vaticani secundus, & 6. apud Vignolium, Codex vero, eidem Pontificali ab eodem præfixus, in omnibus consonat, & Anastasius Bibliothecarius reddit annos IIII. Menses II. Dies vero X. Catalogi vero a Blanchinio Seniore, & Liberianus, exceptis diebus, & mensibus, quatuor annos exhibent, sicut etiam quatuor exteri ab eodem relati, necnon & primus Vallicellanus a Blanchinio Juniore: & hanc Epocham amplexus est Pagius in Breviario, sequutus Chronicon Damasi, ubi legitur, sedit annos IIII. M. II. D. XXI. sicut in nostra Epigraphe.

Sub Gallo, & Volusiano, in persecutione excitata a Valeriano, & Gallieno, die 2. Augusti, ann. Christi 260. decollatus est in Cœmeterio Callisti in sua sede, post ibidem expleta sacra mysteria: & cum ipsa sede sanguine ejus aspersa sepultus est. De ejusdem Corporis extractione, ac translatione in varias Urbis Ecclesias, plura exponemus in sequenti nostra Appendice, suo loco.

XXV.

25



NOTÆ.

SANCTUS SIXTUS hujus nominis II. Natione Græcus, patria Atheniensis, ex Philosopho Christi discipulus, post S. Stephanum renunciatus est Pontifex. Baronius rejicit opinionem eorum, qui asserunt, eum sedisse plus an. I. minus diebus XVIII. Damasus illi attribuit annos duos, totidem menses, ac dies VI. Liber Pontificalis Ann. I. M.X. D. XXIII. Cum nostra Epigraphe, quæ clarè habet Ann. II. M. XI. D. VI. in totum concordat Anastasius Bibliothecarius, sicuti etiam Codices Vaticani primus, & secundus apud Vignolium. Sic quoque quindecim Catalogi a Blanchinio Sen. habent Annos II., duodecim Menses XI. dies vero VI. sicuti etiam primus Catalogus Vallicellanus, apud Blanchinium Juniorem. Pagius in Breviario assignat Menses tantum XI. ac dies circiter XIII. Verùm si S. Sixtus, ut affirmat idemmet Pagius, duas habuit Ordinationes mense Decembri, fuitque electus Pontifex in mense Augusti anni 257. nec Ordinationes a Pontifice fierent nisi mense Decembri, necesse est inferre, saltem ultra annos duos sedisse Sixtum.

Gladio animadversus est in Cœmeterio Callisti cum aliis pluribus è Clero Romano, ex speciali rescripto Valeriani Imperatoris, Romà absentis, ad Senatum: atque in eodem Cœmeterio sepultus die 6. Augusti. De translatione ejusdem Sacri Corporis, atque Reliquiis, in Appendice tractabimus, suo loco.

XXVI.

26



NOTÆ.

SANCTUS DIONYSIUS, natione Græcus ex Calabria, Monachus, S.R.E. Presbyter, atque ex Presbytero Pontifex. Valde implexam reddunt auctores ejus sedem, nam Baronius illi assignavit Annos XI. M. III. D. XIV. Platina, ex Damaso, annos X, & menses nonnullos. Blanchinius Sen., in excipienda Epocha nostræ Epigraphis, post ann. II. addendum sibi esse putavit elementum X. quo redderentur Anni octo, quos enumerant Catalogus Liberianus, & liber Pontificalis, ut illis hanc Epocham conformem redderet: at minime advertit in nostra Epigraphe sic perspicuè haberi Sed. Ann.II. M. III. D.VII. & ita, post notam numeralem II. adesse punctum, & sic adhærere circulo Protomæ, ut nullus prorsus alius numerus adesse unquam potuerit. Unde ipse Blanchinius collegit ex Consulibus Æmiliano, & Basso, necnon Claudio, & Paterno appositis in Catalogo Liberiano, & Felicis IV. extendi posse per additionem elementi X, ut reddatur numerus octo Annorum. Sed Epocham nostram corrigendam non esse putamus, cum eamdemmet integram exhibuerit Anastasius Bibliothecarius, eique respondeant Codices Vaticani primus, & secundus relati a Vignolio, necnon sex alii ab eodem Blanchinio exhibiti, atque etiam duo Vallicellani apud Blanchinium Juniorem. Præterea duas tantum Ordinationes habuisse S. Dionysium tradit Anastasius, quæ respondent duobus annis suæ sedis.

Multis pro S. Ecclesia impensis laboribus clarus, sancto fine requievit, die 26. Decembris: Sepultus in Cœmeterio Callisti Via Appia, ex quo translatus est ad Ecclesiam S. Silvestri, ut in Appendice explicabimus, in Prolusione.

XXVII. XXVIII.

27



28



NOTÆ.

SANCTUS FELIX hujus nominis primus, patrià Romanus, Constantii filius. Blanchinius a longe stans ita obliteratam cognovit nostram Epigraphem, ut prudenter, ex paribus Consulum in Codicibus appositis, corrigendam esse duxerit, exprimendo Annos IV. sedis S. Felicis: sed consuetis a nobis adhibitis diligentiis, perspicue tandem apparuerunt Anni II. & M.X. ut annotavit Anastasius Bibliothecarius, ex quo numerum dierum XXV. duximus addendum. Hoc idem præstant Catalogus primus Vaticanus apud Vignolium, & duo alii Codices ab eo relati. Baronius quoque convenit in annis II. menses vero habet v. uno minus die. Catalogi etiam octo, apud Blanchinium reddunt annos II. M. X. & D. XXV. Vallicellani duo, penes Blanchinium Juniorem, concurrunt in annos, ac menses, dies vero, primus prætermittit, alter XXIII. enumerat. Pagius in Breviario Felici assignat An. IV. M. XI. Dies XXV. Oldoinus in Necrologio, annos quatuor totidemque menses, seu annos quinque, vel duos, & M. X. Sed & sedi nostræ Epigraphis omnino respondent binæ tantum ordinationes a Felice peractæ, quibus ordinavit Presbyteros IX. Diaconos V. & Episcopos V.

Martyrio coronatus est die 30. Maji, sub Aureliano Imperatore, ut Baronius probat: Corpus ejus sepultum fuit in Cœmeterio Viæ Aureliæ in Basilica, quam ibidem construxerat, De cujus Corpore in Appendice agemus.

NOTÆ.

SANCTUS EUTICHIANUS, Natione Tuscus, patrià Lunensis, filius Marini. Integram prorsus Epigraphem vidimus in pariete Basilicæ Sancti Pauli. Eamdem retulit Anastasius Biblinthecarius, addito uno die, quod fecit & Blanchinius Senior. Liber Pontificalis concordat in omnibus, exceptis diebus, quos XI. enumerat, quem & sequitur Pagius. Baronius satis sibi videtur annum IX. attigisse: duo Codices Vaticani penes Vignolium, differunt tantum in diebus IV. Octo vero alii apud Blanchinum Seniorem, in omnibus Epigraphi se conformant, ut etiam alii duo Vallicellani relati a Blanchino Jun. Pagius in Breviario, sequutus Chronicon Damasi, tradit Ann. VIII. M. XI. dies vero III.

Martyrio coronatus est sub Aureliano Imperatore, cum jam trecentos, & quadraginta Martyres, per diversa loca, manu sua sepelisset. Sepultus fuit in Cœmeterio Callisti Via Appia, anno Christi, juxta Baronium 284. die 8. Decembris. Ejus Corpus inde extractum in ejus Patriam Lunensem delatum est, sed post ejus desolationem, in Cathedrali Sarzanæ, quæ eidem in honore Cathedralis successit, colitur, ut refert Pagius in Breviario, & Ferrarius in Indice Topographico, ante Catal. SS. Italiæ.

XXIX. XXX.

29 30





NOTÆ.

SANCTUS CAJUS, Natione Dalmata, patria Salonitanus (ut ait Oldoinus in Necrologio) ex genere Diocletiani Imperatoris, patre Gajo natus, vel Concordio. Baronius ad annum Christi 296. Sedem ejus fixit ad An. XII. M. IV. & D. V. Liber Pontificalis eosdem annos, & menses habet unà cum diebus VII. Verùm nostra Epigraphes, quæ intacta omnino apparebat, refert An. XI. M. IIII. D. VIIII. cum qua consonant Anastasius Bibliothecarius, & duo Catalogi Vaticani, nempe primus, & tertius, apud Vignolium: & sexdecim relati a Blanchinio Seniore, qui totidem reddunt annos, & menses, & ex his quinque, dies VIIII. Duo alii Vallicellani, apud Blanchinium Juniorem, primus consentit in omnibus, alter dies apponit XII. Pagius autem in Breviario, sequutus Chronicon Damasi, habet annos XII. M. IV. & Dies VII. qui tenet, hunc Pontificem minime Martyrio fuisse coronatum, immo rejicit Baronium asserentem, id ex Actis S. Susannæ, quæ vel in toto, vel ex parte, suppostititia putat. Nihilominus standum est traditioni Ecclesiæ, quæ ut Martyrem eum colit, sub die 22. Aprilis, sub ipso Diocletiano Imperatore, ex testimonio tum Libri Pontificalis, tum etiam Anastasii Bibliothecarii, quod etiam habetur in vetustiori M. R. Occidentalis Ecclesiæ edito a Florentino.

Corpus ejus conditum fuit in Cœmeterio Callisti Via Appia: quo tempore fuerit extractum, alióque translatum, dicemus in Appendice.

NOTÆ.

SANCTUS MARCELLINUS, patrià Romanus, Projecti filius. Fere omnes antiqui scriptores consentiunt in annis, & fere omnes discordant in Mensibus, ac diebus. Liber Pontificalis habet M. VI. D. XV. Anastasius Bibliothecarius M. II. dies vero XXII. Baronius Annos VIII. minus dies VII. Integram vero nostram Epocham, videlicet in Ann. VIII. M. II. D. XXV. tradunt Catalogi Vaticani apud Vignolium primus, & secundus: Exteri vero apud Blanchinium Seniorem, duodecim exhibent An. VIII., ex quibus sex M. II. & dies XXV. sicuti etiam consonant duo Catalogi Vallicellani a Blanchinio Juniore relati. Pagius tandem in Breviario, sedem S. Marcellini tradit in Ann. VIII. M. III. & D. XXV. Ex Natali Alexandro, & aliis doctis Viris, lapsus Marcellini rejicitur tamquam fabulosus, & Acta Synodi Sinvessanæ, tamquam suppostititia habentur. Ex antiqua Ecclesiæ traditione, & Martyrologiis, Martyrium subiisse sub Diocletiano habetur, ut etiam explicatur a Libro Pontificali, & Anastasio Bibliothecario, ubi legitur, Corpus ejus a Marcello Presbytero tumulatum fuisse in Cœmeterio Priscillæ Via Salaria; cætera quæ de ejus sacris pignoribus sunt explicanda. Vide Appendicem suo loco.

XXXI.

31



NOTÆ.

SANCTUS MARCELLUS, Romanus, Benedicti filius, de regione Viæ latæ, ex Presbytero Cardinali Pontifex. In nostra Epigraphe sedes ejus enunciatur Annis V. M. VII. D.XXI. quam in Annis tantum sequitur Baronius. Anastasius Bibliothecarius, addit M. VI. & dies XL idemque præstat Liber Pontificalis, & Catalogi Vaticani apud Vignolium, sed plures nostræ Epochæ se conformant: Blanchinius Sen., cum numerum dierum non detexisset (ut etiam nobis contigit) optime supplevit in diebus XXI. cum undecim ex Catalogis, quos refert, signent Ann. V., septem M. VII., sex vero D. XXI. Catalogus vero Reginæ Sveciæ, apud Schelestratium, in omnibus nostræ Epochæ se conformat, eidemque consonant duo Catalogi Vallicellani apud Blanchinium Juniorem. Nonnullas difficultates, circa sedem S. Marcelli, nec non & Marcellini, enodatas habes a Schelestratio in Tom. 1. Dissertatione 2. cap. 8.

S. Marcellus ærumnis confectus in Catabulo, ad feris serviendum a Maxentio damnatus, Martyr occubuit anno 309. die 16. Januarii, & a Lucina Matrona honorifice sepultus in Cœmeterio Priscillæ: Inde vero translatum Corpus ejus, atque in Titulo sui nominis depositum, ibidem colitur; de quo plura in nostra Appendice annotabimus.

XXXII.

32



NOTÆ.

SANCTUS EUSEBIUS, Natione Græcus, patre Medico. Baronius ad annum 311. Epocham ejus sedis statuit ad annos II. M. VII. D. XXI. Liber Pontificalis, mendosè quidem, tradit Menses tantum IV. & D. XXI. Cum nostra Epigraphe, quæ talis est, sed An. II. M. I. D. XXV., concordant Anastasius Bibliothecarius, & Catalogi Vaticani primus, & secundus (apud Vignolium) Tertius vero discrepat tantum in M. V. Catalogi apud Blanchinium Sen., sex tradunt Annos II. sex signant M.I. & totidem D.XXV. Consentit nostræ Epochæ primus Catalogus Vallicell. a Blanchinio Jun. relatus: unde computus nostræ Epigraphis rectè statuendus videtur contra Pagium, qui eidem Menses tantum IV. & D. XVI. attribuit. Baronio (ut ipse loco citato notat) post varias opiniones de sede S.Eusebii, sibi magis placuisse ait sequi Indicem Cresconianum, in quo exponuntur Anni II. M. I. & dies XXV. quod clare exprimitur in nostra Epigraphe, nisi ratio temporis, quo sedere cœpit, ac desiit, aliter, quoad menses, & dies definire compellat. De varietate loci, ubi corpus ejus sepultum fuit, vide nostram inferius positam Appendicem, & quòd a diversis Scriptoribus *Martyris* Titulo, & ab aliis *Confessoris* appelletur, atque Notas, ad M. R. Occidentale vetustius, C. V. Franc. M. Florentini, ad diem 26. Septembris.

XXXIII.



NOTÆ.

SANCTUS MELCHIADES, vel, ut in nostra Epigraphe, MELTIADES, aliis *Miltiades*, Natione Afer: Tempore Magni Constantini, nondum plenè ad fidem conversi, electus, ab eo partem Lateranensis Palatii ad convocandum ibidem Concilium, anno Christi 313. obtinuit. Baronius putavit eum sedisse annos duos, totidemque menses, ac dies septem. Aliter tamen legitur in nostra Epigraphe, nempe Ann. III. M. VII. D. VII. Cui in annis, & mensibus consonat Anastasius Bibliothecarius, dies vero 12. signat. Liber Pontificalis tradit Annos III. Menses VI. Dies vero VII. Ex Codicibus Vaticanis, apud Vignolium, primus variat tantùm in Diebus XXI. sextus verò in omnibus consonat. Alii Codices a Blanchinio Seniore adducti, decem habent Annos III. undecim M. VII. duo vero dies VII. Pagius in Breviario sequutus Chronicon Damasi, & nonnullos Catalogos, exhibet Annos III. M. VI. & Dies IX. De ejusdem martyrio extat memoria in antiquis Ecclesiasticis monumentis, quòd, persecutionis tempore, plura perpessus fuerit, licèt superstes in pace quieverit, quarto idus Decembris, juxta Baronium, anno 313. quod rationibus probat. Sepultus est in Cœmeterio Callisti Via Appia, inde vero Corpus translatum a S. Paulo Papa I. & ad Ecclesia Sancti Silvestri in Capite, ut infra in Prolusione Appendicis ostendemus, collocatum fuit.

XXXIV.



NOTÆ.

SANCTUS SILVESTER, Romanus, ex Patre Rufino, Matre vero Justa muliere sanctissima, ex Presbytero S. R. E. ad Pontificatum evectus sub Imperatore Constantino Magno. De ejus sedis Epocha Baronius ad annum Christi 335. ait, eum sedisse Annos XXI. M. XI. minus die uno, & hanc Epocham se amplexum fuisse, ac nonnullis rationibus confirmat, rejectis aliis opinionibus. In nostra tamen Epigraphe perspicue legimus An. XXIII. M. X. D. XXVII. quamvis Blanchinius Sen. numerum dierum non detexisset. Anastasius Bibliothecarius cum ea in annis, ac mensibus convenit, dies vero XII. signat, sicuti etiam reddunt Catalogi Vaticani, apud Vignolium, primus, & quartus. Ex Codicibus ab eodem Blanchinio relatis, undecim habent annos XXIII. decem M. X. in diebus variant. Vallicellani penes Blanchinium Juniorem, primus tantum profert Annos XXIII, alter eosdem annos & M. X. dies verò XII, sicut etiam Codex Reginæ Sueciæ, apud Schelestrat. dies vero habet XI. Pagius in Breviar. sequutus, cum Baronio, Chronicon Damasi, reddit Annos XXI. M. XI. Sub S. Silvestro anno Christi 325. Nicææ in Bithynia sacrosancta prima Synodus celebrata est præsidentibus Legatis ipsius Pontificis, præeunte Constantino Imperatore, ac 318. Episcopis, contra Arrium, ejusque fautores, negantes Filium Dei consubstantialem Patri esse: Quod fuit primum Concilium Generale.

Corpus ejus sepultum fuit in Cœmeterio Priscillæ Viæ Salariæ. De cujus extractione, ac translatione varias expendemus sententias in Appendice suo loco.

XXXV.

35



NOTÆ.

SANCTUS MARCUS, patriâ Romanus, ex patre Priſco. Baronius, unà cum Libro Pontificali, ejus ſedi menſes tantum octo, & dies XXII. attribuit. Id etiam Pagius in Breviario, tradens Marcum ordinatum fuiſſe die 18. Januarii anni 336. & obiiſſe die 7. Octobris ejuſdem anni ac ſtatuit eamdem Epocham Menſium VIII. ac Dierum XX. In Epigraphe tamen noſtra perſpicuè legitur, ſediſſe Annos II. Menſes VIII. ac dies XXI. Anaſtaſius Bibliothecarius idem confirmat, excepto uno die. Codices Vaticani apud Vignolium, Alexandrinus primus habet annos II. Cæteri addunt M. VIII. & Dies XX. Treſdecim relati a Blanchinio Seniore habent Annos II. octo reddunt M. VIII., novem exprimunt D. XX, & unus XXI. Catalogi Vallicellani penes Blanchinium Juniorem, primus habet Annos II. M. VII. Dies XX. alter Annos duos, Menſes octo, & dies viginti. Ex Damaſo, & Platina fertur ſediſſe ultra biennium.

Corpus ejus ſepultum fuit in Cœmeterio Balbinæ, Via Ardeatina: de cujus tranſlatione, in Baſilicam ab ipſo in Urbe ædificatum juxta Pallacinas, ubi requieſcit, vide in Appendice ſuo loco.

XXXVI.

36




NOTÆ.

SANCTUS JULIUS, Romanus, ex Patre Ruſtico. Baronius, cum electum fuiſſe Pontificem tradit die 27. Octobris anni 336. obiiſſe verò pridie Idus Aprilis anni 352. ac propterea ſediſſe annis XV. M. V. D. XVII ac de Annis quidem conſentire Indices Vaticanos, licèt de diebus reperiatur alia diverſorum aſſertio. Pagius pariter ex Chronico Damaſi tradit, ſediſſe An. XV. Menſes II. Dies VI. Perſpicue tamen noſtra Epigraphes reddit Ann. XI. M. II. D. VI. cui conſonat Anaſtaſius Bibliothecarius, qui unum diem tantum excedit. Catalogi quoque a Blanchinio Seniore relati, octo dant annos XI. ex quibus ſex proferunt M. II. tres alii dies VI. Catalogus quoque Vallicellanus primus, apud Blanchinium Juniorem, integram noſtram Epocham exhibet. S. Athanaſium Epiſcopum ab Hæreticis Arianis exagitatum, Romæ profugum excepit, cum aliis Epiſcopis, in cujus cauſa, Romæ habito Concilio 50. Epiſcoporum, eum Innocentem declaravit, & ſedi ſuæ Alexandrinæ reſtituit. In cœlum migravit die 12. Aprilis anni 352.

Corpus ſepultum fuit in Cœmeterio Calepodii, Via Aurelia. Inde vero extractum in Baſilica Sanctæ Mariæ Tranſtyberim depoſitum eſt, uti explicabimus in Appendice, ſuo loco.

XXXVII. 37



NOTÆ.

SANCTUS LIBERIUS, Romanus, ex patro Augusto. Ex interpositione S. Felicis PP. II. intra Pontificatum Liberii (de quo in subsequenti) valde implexa redditur apud antiquos Epocha sedis ejusdem: nam Baronius ad annum 367. obitum affigit, post annos sedis ejus XV. M. IV. D. II. ad diem 9. Septembris. Pagius quoque in Breviario, ex alio calculo, notat eum obiisse anno 366, & hoc haberi ex Chronico Eusebii, juxta editionem Pontaci; & ex aliis auctoribus, sedisse tradit An. XIV. M. III. & D. III. in Epocha tamen nostræ Epigraphis distinctè exprimitur An. X. M. VII. D. III. cui plane respondet Anastasius Bibliothecarius. Simili modo Codex Vaticanus primus a Vignolio relatus, & Vaticanus secundus concordat in annis, menses verò addit III. & dies IV. Codices alii apud Blanchinium Seniorem, octo exhibent annos X. (dempto, ut ipse notat, intervallo lapsus, & exilii ipsius Liberii) ex quibus octo, septem habent M. VII. & quinque reddunt Dies III.

De Titulo *Sancti* Liberio tributo in nonnullis Martyrologiis antiquis, videndus est idem Baronius ad annum prædictum 367. & etiam Martyrol. vetustius Occidentale editum a Florentinio, ubi legitur *Romæ Depositio Sancti Liberii Episcopi*, obiit an. C. 367. die 9. Septembris, sub Constantio Imperatore, atque sepultus est in Cœmeterio Priscillæ, Via Salaria.

XXXVIII. 38



NOTÆ.

SANCTUS FELIX hujus nominis II. Romanus, ex Patre Anastasio, S. R. E. Diaconus Liberii, in locum ipsius, adnitentibus fautoribus Constantii Imp. ejus sedem occupavit, & a tribus Episcopis Arianis ordinatus: unde Felix, tamquam Pseudopontifex a Catholicis habitus est, donec Liberius in exilium actus ab Imp., tædio victus biennalis exilii, subscripsit damnationi S. Anastasii, & Fidei formulæ in Syrmiensi Concilio Arianorum editæ, defectivæ vocis *consubstantialis*: hinc factum est, ut a Catholicis existimatus fuerit Hæresi subscripsisse, ac præsumptio hæc fuit sufficiens motivum Clero illum abdicandi, atque ut legitimum Pontificem Felicem admittendi. Felix vero cum audisset lapsum Liberii, & prævaricationem, cum legitime sederet, condemnavit Imperatorem Arianum Constantium: cum vero Liberius, auctoritate Constantii, in Urbem rediens, extincto jam Felice, qui Fidem Catholicam propugnabat, Liberius iterum Pontifex est constitutus. Hinc est, quòd Pagius in Brev. Felicem tradit, sed annos plus, minus, III. nempe ab an. 355. usque ad 358. quibus pulsus est in exilium Liberius, & restitutus est: quo numero includitur totum tempus, quo etiam illegitime sedit, ac proinde Baronius ad an. 357. statuit, illum legitime sedisse Ann. I. Menses III. totidemque dies. Sic etiam Anastasius notat An. I. & M. III. Liber quoque Pontificalis nostram Epocham integram exhibet. Catalogi etiam a Blanchinio Sen. undecim reddunt An. I. M. III. & ex his novem dies II. Obiit die 22. Novembris an. C. 365. Ubi S. Felix II. fuerit sepultus, & ubi colatur, habes in Appendice suo loco.

XXXIX. XL.

39 40





NOTÆ.

SANCTUS DAMASUS, Natione Hispanus, ex patre Antonio. Baronius eum sedisse tradit annos XVII. M. III. minus diebus quatuor: in annis, & mensibus consonat cum Libro Pontificali, excepto quod hic dies Decem supra menses enumerat. Nostræ autem Epochæ, quæ ita se habet: Ann. XVIII. M. II. D. X. in totum respondet Anastasius Bibliothecarius, necnon Catalogus primus Vaticanus, & alii a Vignolio relati, excepto uno, qui discordat in diebus XI. Ex Codicibus apud Blanchinium Sen. quindecim numerant annos XVIII. & ex his quatuordecim reddunt menses II. & duodecim, dies X. Catalogi Vallicellani apud Blanchinium Jun. excepto 2. qui exhibet dies XII. & Catalogus Reginæ Sveciæ apud Schelestratium integram reddunt nostram Epocham. Sicuti etiam Pagius in Breviario, qui diem mortis S. Damasi, ait, nobis conservasse S. Hieronymum in Martyrologio; annum vero obitus deduci in Epitaphio Siricii ejus successoris, relato ab Annotatore Baronii. Obiit prope octogenarius, sub Theodosio Principe, an. 384. die 11. Decembris.

Corpus ejus sepultum fuit Via Ardeatina, in Basilica, quam ipse extruxerat supra Cœmeterium. Anno Christi 381. Damasi 15. celebratum est Concilium Constantinopolitanum Generale II. in quo fides Concilii Nicæni stabilita fuit, atque contra Macedonianorum, & Pneuchomacorum hæresim statutum est, ut Spiritus Sancti una, eademque esset cum Patre, & Filio Divina substantia. Quæ Decreta Damasus alio in Concilio Romano coacto confirmavit: plura dabimus in Appendice.

NOTÆ.

SANCTUS SIRICIUS Romanus, ex Patre Tiburtio. Baronius ad an. 398. tenet, eum sedisse annos XIII. M. I. D. XIV, quamvis (& ipse fateatur) *in nuper reperto indito ejus sepulturæ Epitaphio dicatur sedisse annos XV.* sed hæc lectio apprimè respondet Epochæ nostræ Epigraphis, cui in omnibus consonat Anastasius Bibliothecarius: Liber Pontificalis verò menses, & dies prætermittit. Similiter cuncti Catalogi Vaticani relati a Vignolio consentiunt in Ann. XV. quorum primus, & tertius conveniunt in totum, sicut duo Codices Vallicellani apud Blanchinium Juniorem. Ex relatis a Blanchinio Sen. quatuor exhibent ann. XV. novem menses XI. Undecim vero Dies 25. In annis quoque se conformat Codex Reginæ Sveciæ apud Schelestratium. Pagius in Breviario Siricio attribuit Annos XIII. M. XI. Dies V. migravit in Cœlum die 22. Febr. an. 398.

Corpus ejus tumulatum fuit in Cœmeterio Priscillæ Via Salaria, cum Inscriptiune, quam ex Gruthero refert Baronius: inde a Paschali I. translatum fuit in Titulum Sanctæ Praxedis. De appositione ejus nominis in Martyrologio Romano a Sanctissimo Domino Nostro Papa BENEDICTO XIV., vide in subjecta nostra Appendice.

XLI.



XLII.



NOTÆ.

SANCTUS ANASTASIUS Romanus, patre Maximo. Baronius ad an. 402. ejus fedis Epocham ad Annos IV. M. I. & dies XIII. extendit, validifque rationibus probat. Pagius in Breviario, ex pluribus Catalogis adductis in Critica Baroniana, fediffe tradit Annos III. ac D. X, & totidem adfcribuntur a Libro Pontificali. Noftra Epigraphes perfpicuè habet An. II. D. XVI. cum qua in annis convenit Anaftafius Bibliothecarius, qui dies habet XXIV. Idem quoque refert Codex primus a Vignolio relatus, alter verò difcordat in diebus 26. Cæteri etiam idem præftant, & duo Vallicellani apud Blanchinium Juniorem reddunt Ann. II. & dies XXVII. Duodecim vero exhibiti a Blanchinio Seniore conveniunt in annis, ex quibus quatuor, Dies 26. Huic numero annorum refpondent quoque duæ Ordinationes ab eo factæ menfe Decembri, ut fcribit Anaftafius. Alii cum Baronio, eum fediffe Annos quatuor M. unum, & dies 13. confentiunt, & obiiffe 27. Aprilis Anni 402.

Corpus ejus fepultum fuit in Cœmeterio ad Urfum Pileatum: at de hoc nonnulla animadvertemus in inferius pofita noftra Appendice.

NOTÆ.

SANCTUS INNOCENTIUS, patriâ Albanenfis, filius Innocentii. Sedem hujus S. Pontificis fere omnes tradunt ad annos relatos in noftra Epigraphe, videlicet XV. M. II. D. XX. pauci difcrepant tantum in menfibus: Baronius differt in uno menfe, Liber Pontificalis in diebus. Confentiunt omnino Anaftafius Bibliothecarius, & Catalogi, feu Codices Vaticani apud Vignolium primus, ac fextus, tertius vero differt uno tantum die fuperaddito, ficut facit etiam Codex Reginæ Sveciæ apud Schelestratium. Allati a Blanchinio Seniore, trefdecim dant Ann. XV. duodecim M. II. novem Dies XX, quod etiam Pagius in Breviario, allatis pluribus auctoribus, & Catalogis approbat. Obiit anno Chrifti 417. die 28. Julii. Verùm Oldoinus in Necrol. ad dictam diem, fic habet in nota: Obiit non 5. fed 6. Kal Augufti.

Corpus hujus Pontificis fepultum fuit ad Urfum Pileatum: quale autem hoc fuerit Cœmeterium, & quò translatum fuerit, explicabitur in Appendice.

Huc ufque Imagines primorum Pontificum, quæ fuperftites remanferant depictæ fæculo V. Leoniano, in pariete Auftrali Bafilicæ S. Pauli, cum antiquis Epigraphis expofuimus. Sequuntur modò aliæ X. ufque ad Symmachum, quas, ut alibi annotavimus, in pariete feptemptrionali, fub aliis recentioribus, fuiffe depictas deteximus, fed omnino deturpatas, eafque, uti ad idem fæculum V. fpectantes, eodem Pallio Phylofophico exornandas duximus, adhibitis Epigraphis cujufvis eorum fedis Epocham referentibus, a melioris notæ auctoribus excerptis.

XLIII. XLIV.

43 44





NOTÆ.

SANCTUS ZOSIMUS, Natione Græcus, patre Abramio, vir fanctitate clarus, & in purgandis hæresibus Pelagianorum admirabilis prudentiæ. Pagius in Breviario, exactiori fuo calculo, Epocham illius fedis conftituit Anni I. M. IX. & D. IX. cum ordinatus effet die 18. Menfis Martii anni Chrifti 417. ac defunctus die 26. Decembris anni 418. Valde tamen in menfibus differunt Liber Pontificalis, & Anaftafius, & Baronius, qui tamen omnes conveniunt, illum, poft annum, plures menfes, ac dies fediffe. Epocham Pagii, ut majori innixam fundamento, amplectimur. Is enim exactiori fuo calculo, (cui etiam confentit Vignolius in notis ad Librum Pontificalem, & ex Chronico Profperi edito a Pontaco) ultra annum legit M. IX. totidemque dies, in quorum numerum recenfentur dies 26. Decembris, quo obiit, & 28. quo fepultus fuit; Sed quicquid aliter fcribant de die obitus, Epocham, & computum Pagii fequimur.

Corpus ejus tumulatum fuit in Bafilica S. Laurentii Via Tiburtina, in crypta, ubi jacet illius S. Archilevitæ corpus: cumque nihil occurrat de ejufdem Corporis translatione, nec de ejus Reliquiis, meritò creditur ibidem nunc etiam requiefcere.

NOTÆ.

SANCTUS BONIFACIUS I., patriâ Romanus, filius Jucundi, Pontifex ordinatus eft die 29. Decembris anni 418. & juxta calculum Baronii, obiit 8. Calendas Novembris an. 423. ac proindè tradit, eum fediffe an. v. minus menfibus duobus, ac tribus diebus, quod probat ex litteris Symmachi Viri Confularis datis ad Honorium Imp. & ex Chronico Profperi, & Marcellini. Pagius in Breviario Bonifacium tradit obiiffe ann. 422. die 4. Setembris, ac propterea fediffe annos tres menfes octo dies feptem, fequutus calculum Libri Pontificalis, vel Anaftafii Bibl. qui habet An. III. M. IV. Dies XIII. Cum verò claris documentis Baronius fuum calculum conftabiliffe videatur, ejus Epocham fequuti fumus in Epigraphe.

Corpus ejus fepultum fuit in Cœmeterio S. Felicitatis Via Salaria: Id quoque legitur in Libro Pontificali, quibus verbis addit ipfe Pagius: *Sed falsò, cum ex Ciacconio conftet Cœmeterium S. Felicitatis fuiffe proximum Callifti, Via Appia, ubi hodie extat Sacellum ejufdem Martyris in quo legitur Infcriptio*, Bonifacii Papæ, & Confefforis, *& loculus ejus confpicitur, ubi quondam depofitum fuit ejus Corpus.* At revera non eft falfum, quod habetur in Libro Pontificali, & Anaftafii Bibl., cum certò Cœmeterium S. Felicitatis (ex documentis relatis a Bofio, Arringhio, Severano, & aliis Scriptoribus, de Cœmeteriis facris) fitum fit in Via Salaria. Ex Baronio, Annal. to. 9. in Appendice ad an. 423., Severanus lib. 3. cap. 53. affert duo epitaphia olim appofita fepulchro S. Bonifacii hujus, in prædicto Cœmeterio S. Felicitatis.

XLV.

45



NOTÆ.

SANCTUS COELESTINUS, quem patrià, seu natione Campanum facit Bibliothecarius, Baronius vero Romanum, Prisci filius: Ipse Annalium parens electum fuisse scribit anno Christi 423. eique sedem attribuit Annorum VIII. M. V. ac D. III. Pagius verò in Breviario, electum fuisse tradit die 10. Septembris anni 422. ac defunctum die 18. vel 19. Julii, anni 432. ac propterea sedisse Ann. IX. Mens. X. dies autem IX. quam Epocham accipimus, cum id habeatur ex Libro Pontificali, cui in annis respondet Anastasius Bibliothecarius, quamvis mensem I. & Dies IX. subjiciat. Id etiam haberi, notat idem Pagius, in pluribus exemplaribus M. SS. Anastasii Bibliothecarii Thuanen: & altis, atque ex Consulibus Valerio, & Aetio, quibus Prosper, & Marcellinus, Sixti Papæ successoris Ordinationem consignant. Sandinus habet Annos octo, menses quinque, & dies tres. Anno 431. auctoritate hujus Pontificis celebratum fuit Concilium Ephesinum Generale III. in quo vices egit Cœlestini, Cyrillus Episcopus Alexandrinus cum ducentis, & amplius Episcopis, contra Nestorium, in quo damnatus est cum suia impiis erroribus, & B. Virgo Maria declarata fuit *Vera Mater Dei &c.*

Corpus ejus sepultum fuit in Cœmeterio Priscillæ Via Salaria, ut tradit Anastasius Bibliothecarius: quod inde extractum a S. Paschali PP. I. translatum fuit in Titulum S. Praxedis, ut apparet ex Tabula ibidem ad ipso affixa, quam dabimus in Prolusione ad Appendicem.

XLVI.

46



NOTÆ.

SANCTUS SIXTUS III. Romanus, Sixti filius, ex Presbytero S. R. E. creatus Pontifex die 24. Julii anni 432. (Pagius in Breviario) e vita verò decessit XI. Augusti anni 440. unde sedit annos, & dies in Epigraphe relatos. Baronius vero illi tribuit annos quidem octo, minus vero dies 30., cum teneat, electum fuisse 6. Kal. Maji an. 332. obiisse verò 5. Kal. Aprilis 440. Anastasius Bibliothecarius habet, sedit Annos VIII. Dies XIX. sicut etiam Liber Pontificalis, Vignolius in Notis ad eumdem Librum Pontificalem, post plurium Codicum Vaticanorum variantes lectiones, etiam de numero annorum subdit: *Prosper, ais, Romanæ Ecclesiæ præficitur Sixtus Annis VIII.* nonnullis diebus non numeratis. Consentiunt in annis duo quoque Catalogi Vallicellani apud Blanchinium Juniorem, primus verò dies 24. alter 29. superaddit.

Basilicam Liberianam, seu S. Mariæ Majoris a fundamentis restituit, & ampliavit, ac musivis, per gyrum Ecclesiæ, supra columnas (quæ adhuc extant) exornavit, veteris Testamenti historias exprimentibus, unà cum arcu triumphali majori, quasi in trophæum nuper celebrati Concilii Ephesini, contra impias Nestorii blasphemias.

Sepultus fuit in Crypta Cœmeterii Cyriacæ, juxta Corpus S. Laurentii, cujus Basilicam, Via Tiburtina, Columnis Porphyreticis exornavit, variisque muneribus decoravit: ibique nunc etiam quiescere creditur, cum de ejusdem translatione nullum appareat documentum.

XLVII.



NOTÆ.

SANCTUS LEO I. cognomento Magnus, Natione Tuſcus, patre Quinctiano, S. R. E. Diaconus, poſt obitum Sixti, creatur Pontifex, expectato in Urbe ejus reditu ex Legatione, quam ſuſceperat a toto Clero, mirabili patientia, atque pace, & Conſecratus die 22. Septembris anni 440. Cumque migraſſet ad Dominum (ut probat Pagius in annotationibus ad Baronium) die 4. Novembris anni 461., conſtat eum ſediſſe Ann. XXI. M. I. dies XIII. Baronius verò certiorem ſententiam tradit, nempe obiiſſe die 11. Aprilis, ac propterea ſediſſe Annos XXI. dies verò minus triginta duobus: qui ob excellentem doctrinam, ac vigilantiſſimum in cura paſtorali ſtudium, a majoribus *Magnus* meruit appellari. Epocham ſedis amplectuntur fere omnes ſcriptores, qui ſequuntur Anaſtaſium Bibliothecarium, qui eam ſtatuit ad prædictos Annos XXI. M.I. dies vero habet XXVI. ex Libro quoque Pontificali, exceptis diebus, quos exhibet XIII. idque ſequimur in noſtra Epigraphe, cui conſonant primus, & ſecundus Codices apud Vignolium; octavus vero habet dies 28., Codices Vallicellani quoque apud Blanchinium Juniorem, differunt tantum, primus in diebus 18. alter 27. Sub hoc Pontifice celebratum eſt Chalcedone in Bithynia Concilium Chalcedonenſe dictum, & Generale IV. contra Dioſcorum Patriarcham Alexandrinum, & errores Eutychetis Presbyteri, &c.

Sepultus eſt S. Leo in Baſilica Vaticana, ubi Corpus ejus requieſcit, de quo plura agemus in noſtra Appendice.

XLVIII.



NOTÆ.

SANCTUS HILARUS, Natione Sardus, patriâ Calaritanus, filius Criſpini. Baronius ad an. 461. ex libro de Romanis Pontificibus corrigendum eſſe ait, quod traditur, nempe poſt S. Leonis obitum, ſedem vacaſſe dies ſeptem, cum locò dierum reponi debeant menſes, & id probat ex Mariano Scoto, qui pridie Idus Novembris Hilarii ordinationem ponit. Subinde, anno 467. indicat ejus obitum 4. Idus Septembris, ac proinde ſediſſe Annos V. M. X. minus duobus diebus. Pagius verò in Breviario, ſervato exactiori calculo, ejus electionis, & obitus, Epocham a nobis in Epigraphe relatam exhibet, cum electum fuiſſe aſſerat die 12. Novembris ann. 461. & è vivis ereptum 21. Februarii an. 468. & exinde reſultare, illum ſediſſe An. VI. M. III. D. X. Cui numero in totum reſpondet Anaſtaſius Bibliothecarius, necnon Catalogus Reginæ Sveciæ apud Scheleſtratium, & Vallicellani duo apud Blanchinium Juniorem, quorum ſecundus differt ſolum in diebus 18. idque firmat contra Papebrochium in Conatu, qui vult Hilarium defunctum non eſſe die 21. Februarii anni 468. Epocham quoque noſtram tradit Oldoinus in Necrol. qui tamen obiiſſe ſcribit anno 467. die 17. Auguſti.

Ejus memoria colitur in Martyrologio Romano ſub die X. Septembris. Corpus vero tumulatum fuit in Baſilica S. Laurentii in Agro Verano, Via Tiburtina, juxta S. Sixtum III. in Crypta, propè S. Laurentium, ubi adhuc creditur requieſcere.

XLIX. L.

49



50



NOTÆ.

SANCTUS SIMPLICIUS, patriâ Tiburtinus, ex Patre Castino; Baronius tradit, creatum fuisse, die 20. Septembris anni 467. & obiisse sexto nonas Majas anni 483., cum sedisset annos XV. M. V. & dies X. Pagius tamen, exactiori calculo, habet, ordinatum fuisse die 25. Februarii anni 468. & vitâ excessisse die 2. Martii anni 483. undè resultat Epocha ejusdem sedis An. XV. a dierum VI. nullo addito Mense. Codex Reginæ Sueciæ, apud Scheleftratium, post annos eodem habet M. I. & dies VII. idemque præstat Codex primus Vallicellanus; secundus vero in omnibus nostræ Epigraphi se conformat. Liber quoque Pontificalis dies & annos eosdem tradit: quam Epocham & nos amplexi sumus. Summa sanctitate, ac prudentia Catholicam rexit Ecclesiam, cum incidisset in funestissima politicis status tempora, dum universus Christianus Orbis sub hæreticorum Principum dominio constitutus esset.

Corpus ejus sepultum fuit in Basilica S. Petri, in eaque requiescit. Verùm ejusdem Reliquias Tibure, solemni anniversaria die coli tradunt Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ, & Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum, sub eadem die 2. Martii.

NOTÆ.

SANCTUS FELIX III., Romanus, filius Felicis, Presbyteri Tit. Fasciolæ, electus Pont. juxta Baronium, die octava Martii anni 483. ex computo verò Pagii, die 6. ejusdem mensis, & anni consecratus. Epocha vero nostram exhibet Liber Pontificalis, & Anastasius Bibliothecarius, qui differt tantum in diebus, quos 23. enumerat. Obitum ejus tradit Baronius ad diem 26. Februarii, an. 492. ac propterea sedisse ait annos novem minus diebus duobus. Pagius verò, ait defunctum 24. Februari ejusdem anni. Hanc nostram Epocham refert primus Catalogus Vallicellanus apud Blanchinium Jun. Codex Reginæ Sueciæ, penes Scheleftratium, differt tantum in uno die minus. Franciscus Maria de Aste in Martyrol. ad diem 25. Februarii, Disceptationem habet Chronologicam, an hic, vel IV. Felix fuerit Atavus S. Gregorii Magni.

Anastasius Bibliothecarius edit. M. Velseri, tradit, hunc S.Felicem sepultum fuisse in Basilica S. Pauli, quem sequutus est Baronius in Annalibus: idem dicunt Pancirolus, & Oldoinus in Necrol. sub die 25. Febr. At cum hujus rei monumentum nullum extet in eadem Basilica S. Pauli, putamus mendum irrepsisse apud Anastasium. Severanus in lib. 7. Ecclesiarum indicat tantum, in Ecclesia S. Pauli in Catalogo Reliquiarum, ejus esse quoque S Felicis Papæ, nihil agens de corpore, nec tradit an S. Felicis III. vel alterius. Bucellinus in Sanctuario suo Benedictino 25. Februarii, tradit ibidem esse Corpus S Felicis IV. non vero Tertii, & hic etiam error est.

LI. LII.

51





52

NOTÆ.

SANCTUS GELASIUS I., Natione Afer, patre Valerio. In Epocha ejus sedis conveniunt Liber Pontificalis, Anastasius Bibliothecarius in Annis IV. & Mensibus VIII. ut facit etiam Baronius, dies vero tradit Anastasius IX, & Baronius XIX. Concordant Catalogus Reginæ Sveciæ relatus a Scheleſtratio, necnon duo Vallicellani penes Blanchinium Juniorem. Pagius in Breviario, exactissimo suo calculo, eidem attribuit Annos IV. M. VIII. Dies XVIII. ex Luitprando, Olderico, Honorio Augustodunensi, Regino, Hermanno Contracto, & pluribus Codicibus M. SS. Anastasii, & mortuum esse scribit, die 19. Novembris anni 496. Habuit Concilium Romæ 70. Episcoporum, in quo decretum edidit de Primatu Ecclesiæ Romanæ supra alias, voce Domini instituto. Approbavit quatuor Œcumenicas Synodos, eo usque celebratas, utriusque Testamenti libros, ac Doctorum scripta Ecclesiastica discrevit ab ambiguis, & apocryphis. Lupercalia, & alia Gentilium spectacula penitus abolevit. Sanctitate, & doctrina conspicuus, ex supradictis scriptoribus, in Cælum migravit die 19. Novembris anno Chr. 496.

Sepultus est in Basilica S. Petri, ut scribit Anastasius, die 21. ejusdem mensis, ibique nunc etiam quiescere creditur, ubi Officio duplici colitur sub die 24. Novembris.

NOTÆ.

SANCTUS ANASTASIUS II. patriâ Romanus, ex patre Petro, de regione quinta. Sedisse eum Annos I. M. XI. ac Dies XXIV. tradit Anastasius Bibliothecarius: ex variatione diei electionis, & obitus, Baronius variat circa dies paucos, cum habeat Annos II. minus dies octo. Pagius verò textum Anastasii amplectitur; cui respondet Liber Pontificalis, necnon duo Catalogi Vallicellani, apud Blanchinium Juniorem, ac etiam Codex Reginæ Sveciæ apud Scheleſtratium, eamdemque Epocham & nos sequimur.

A Baronio, & Pagio vindicatur à calumnia, qua afficitur in Libro Pontificali, & Bibliothecarii, nempe, Anastasium voluisse Acatium Episcopum Constantinopolitanum, jam antea a Felice III. damnatum, in sedem suam (quamvis mortuum) revocare, vel saltem nomen ejus sacris Diptychis restituere; nam hæc, contra Anastasium, sparsa esse a schismaticis Laurentianis, probat Baronius. Obiit die 18. Novembris anno Christi 498.

Corpus ejus sepultum fuit in Porticu Basilicæ Vaticanæ, juxta Secretarium, ubi & alii Summi Pontifices sepeliebantur. Ejus nomini præfixam notam S., sicut reperitur in Textu Libri Pontificalis, & Anastasii Bibliothecarii, etiam in nostro Chronologia adjecimus, sicut egit in sua Pagius, cum revera albo Sanctorum minime reperiatur adscriptus.

LIII. LIV.

53





54

NOTÆ.

SANCTUS SIMMACUS, Anaftafius Bibliothecarius Romanum, Baronius vero Natione Sardum appellant, ex patre Fortunato, electus juxta Pagium, die 22. Novembris anni 498. fed eodem die, pecuniis, & arte, intrufus eft Laurentius Pfeudopontifex. At cum prior, & a majori parte electus, & ordinatus fuiffet Symmachus, verus Pontifex habitus eft. Liber Pontificalis, cui confentiunt fere omnes Catalogi Vaticani a Vignolio relati, inter quos Codex Reginæ Sveciæ, & duo Vallicellani, noftram Epocham tradunt: Baronius tantum differt in diebus, cum fedem ejus figat ad Ann. XV. M. VIII. minus dies 4. Pagius obitum tradit ad diem 19. Julii anni 514. fepultus fuit in Vaticano, ubi Corpus ejus requiefcit, & Officio proprio celebratur memoria, die 19. Julii.

Egregia inter opera Sancti hujus Pontificis notatur ab Anaftafio Bibliothecario, quòd renovavit abfidam Bafilicæ S. Pauli, & poft Confeffionem, picturâ ornavit: & hoc intelligendum effe, oftendimus, de pictura Patrum, feù Romanorum Pontificum, in Ratione hujus Operis, pag. v. & vi. Cum igitur claufcrit fæculum Chrifti v. atque fæculum vi. incœperit, tunc immutatam fuiffe putamus veterem formam Pallii Philofophici, quæ in prædeceffori bus confpicitur, & exinde expreffæ funt Imagines fupra Tunicam exornatæ Pallio facro, & aliis indumentis Pontificalibus.

NOTÆ.

SANCTUS HORMISDA, Natione Campanus, e Civitate Frufinone, Fauſti Filius, Diaconus S. R. E., ex Pagio, electus, & ordinatus eft Pontifex die 27. Julii anni 514. obiit verò die 6. Augufti an. 523. ex quo conftat, fediffe annos, & dies in Epigraphe relatos. Anaftafius Bibliothecarius, præter annos 8. habet dies 17. Baronius verò annos 9. & dies 10. Catalogi Vaticani apud Vignolium variant. Pagius in exactiori fuo calculo noftram exhibet Epocham, ab aliis etiam approbatam. Primus vero ex Catalogis Vallicellanis, apud Blanchinium Juniorem, differt tantum in diebus, quos tradit 17. Huic Pontifici a Clodoveo Rege Francorum Chriftianiffimo, miffum eft Regnum, feù Corona aurea gemmis ornata, de qua egimus in Animadverfionibus noftris capite XII. pag. 74.

Corpus S. Hormifdæ fepultum fuit in Bafilica Vaticana, ubi adhuc quiefcere creditur, ejufque memoria colitur in Martyrologio Romano fub die 6. Augufti, & in eadem Bafilica, die fequenti ejus Officium ritu duplici celebratur.

LV. LVI.

55 56





NOTÆ.

SANCTUS JOANNES, hujus nominis primus, natione Tuſcus, Conſtantii Filius, ex Presbytero Tituli Pammachii, defuncto Hormiſdæ ſubrogatur. Legatione functus ad Juſtinum Imperatorem, impulſore Theodorico Rege Italiæ Arriano. In itinere Conſtantinopolitano, miraculis clarus, ſummo honore exceptus eſt; ſed Ravennam reverſus, a Theodorico in carcerem detruſus, fœtore, & inædia mori coactus eſt. Pagius notat, electum fuiſſe 13. Auguſti anni 523. & Martyrium conſummaſſe 18. Maji an. 526. Baronius verò 27. dicti menſis, ac propterea illum ſediſſe Ann. II. M. IX. dies vero XIV. quem ſequitur Sandinius. Anaſtaſius Bibliothecarius habet An. II. M. IX. D. XXII. Cæteri Catalogi variant, vel in menſibus, ſive diebus, ex quibus vera Epocha ſedis diverſimmode aſſignatur.

Ejus Corpus Romam delatum in Baſilica S. Petri ſepultum fuit, ubi adhuc quieſcit, & Officio duplici colitur. Cum verò nullum documentum afferri poſſit, quo conſtet, idem ſacrum Corpus inde extractum, & aliò fuiſſe translatum, gratis putamus, aſſertum eſſe, quod habetur in quodam Catalogo appoſito ad calcem Martyrologii Maurolici, ubi legitur hujus S. Pontificis Corpus ſervari Bambergæ in Germania.

Hieronymus Giglius in Diario Senenſi, ſub diè 24. Junii tradit, maxillam ab ejus Corpore avulſam Ravennæ, eſſe penes R. P. P. Marſilii Senis; ac Jacobillus, de SS. Umbriæ, duos dentes ſervari in Eccleſia Fratrum S. Franciſci Civitatis Caſtelli: ac tandem Pancirolus notat, Reliquias ejus eſſe in Eccleſia S. Mariæ in Porticu Romæ.

NOTÆ.

SANCTUS FELIX, hujus nominis IV. Natione Samnius, ex Patre Caſtorio. Defuncto S. Joanne, vacavit Sedes Apoſtolica dies 55. uſque ad 12. Julii anni 526. eo quòd Theodoricus Italiæ Rex Arrianus eligendi Pontificem jus ſibi uſurpare tentaverit, atque Clero Romano confirmandum propoſuerit, aliàs Virum eximiæ probitatis, nempe Felicem: Clerus verò diu reſtitit, atque ſe oppoſuit, ac tandem timens, nè ſchiſma a principe hæretico conflaretur, quibuſdam conditionibus res compoſita fuit, ut fusè explicuimus in Animadverſionibus Cap. II.

Electus eſt igitur Felix a Clero Romano die 12. Julii anni 526, diemque ſupremum obiit 18. Sept. anni 530 Pagius mendum obſervat irrepſiſſe in textu Anaſtaſii, ac etiam Libri Pontificalis, qui dies apponunt 14, præter Annos 4. & M. II. Cum juxta ſuum calculum ipſe Pagius referat tantum dies VI. Epigraphes noſtra perſpicuè exhibet An. IV. M. II. D. XIII. Plures Catalogi Vaticani, concordant in annis, & menſibus, diſcrepant autem in diebus. Catalogus 1. Vallicellanus nobiſcum concordat in omnibus, ſicuti etiam Oldoinus in Necrologio ſub die 12. Octobris, quo vità exceſſit ſub Juſtiniano Imp. an. Chriſti 530. Eccleſiam SS. Martyribus Coſmæ, & Damiano in foro Romano excitavit. Corpus ejus tumulatum fuit in Baſilica Vaticana: de quo nonnulla addemus in Appendice.

Hunc Atavum fuiſſe S. Gregorii Magni Pontificis ſuſtinent plures, quo ſuper argumento videnda eſt Diſſertatio C. V. Franciſci de Aſte in Martyr. Rom. ſub die 25. Febr. quam tradit fuiſſe, vel Ordinationis, ſive Translationis.

LVII. LVIII.

57





58

NOTÆ.

BONIFACIUS II. Romanus, patre Sigifvulto: ex quo conjicere possumus (ait Baronius) eum, etsi natus sit Romæ, genere tamen Gothum fuisse. Baronius Epocham sedis ejus paulò ultra annum extendit: Exactiori tamen calculo, Pagius ordinatum fuisse tradit, 21. Septembris anni 530. Mortuum verò 16. Octobris anni 532. unde Epocham superius relatam confirmat, nempe sedisse An. II. D. XXVI. Cui in totum respondet Anastasius Bibliothecarius, & Liber Pontificalis, necnon Codex Reginæ Sveciæ apud Schelestratium, & duo Catalogi Vallicellani relati a Blanchinio Juniore, qui omnes reddunt Annos duos, & dies 26. S. Antoninus quoque habet Annos duos. Unde non approbanda est Epocha Baronii, qui tradit defunctum esse an. 531. *Vix anno completo*, quem sequitur Sandinius.

Bonifacius, ut Gothorum Regum audaciæ occurreret in designando Pontifice, Romæ, habito Concilio, sibi successorem elegit Vigilium Diaconum, consentiente Clero, idque jurejurando, & chyrographo confirmavit: quæ tamen res, utpote contraria Sacris legibus, & officiens libertati Comitiorum, adeo postea Clero ipsi, & Bonifacio displicuit, ut, coacto alio Concilio, decretum fuerit abrogatum, ignique traditum, se reum Majestatis profitente Pontifice.

Corpus ejus conditum fuit in Basilica S. Petri cum Epitaphio relato ab Oldoino in novis suis additionibus ad Ciacconium, & a Severano in edit. Romæ Subterr. Antonii Bosii; sed in Codicibus Petri Mallii perperàm attributo Bonifacio I. qui, non in Vaticano, sed Via Salaria sepultus fuit.

NOTÆ.

JOANNES II. Romanus, Patre Projecto, cognomento *Mercurius* (id est alio quoque nomine appellatus) de regione Montis Cœlii, ex Presbytero Tituli S. Clementis creatus Pontifex, & Consecratus, juxta exactiorem calculum Pagii, die 31. Decembris anni 532. Obiit verò 27. Maji an. 535. ex quibus resultat Epocha superius relata. Idem quoad annos, & menses habet Anastasius Bibliothecarius, dies vero sex tantum: & Liber Pontificalis dies exhibet XVI ut observat Vignolius. Duo Catalogi Vallicellani apud Blanchinium Juniorem, atque Codex Reginæ Sveciæ relatus a Schelestratio sequuntur Anastasium Bibliothecarium.

Baronius verò ad an. prædictum 535. validis rationibus probat, Joannem vixisse usque ad id temporis, quo tamen potissimum die, aut mense decesserit, haud exploratum adhuc haberi: quod educitur ex litteris datis ab Agapito ejusdem successore ad Reparatum. Sepultum fuisse Joannem in Basilica Vaticana tradit Anastasius Bibliothecarius: cui Epitaphium posuit Papa Agapitus ejus in Sede successor, quod unà cum alio referunt Ferdinandus Ughellius, ex Manlio in descriptione ejusdem Basilicæ, necnon Severanus in edit. Romæ Subterr. Antonii Bosii lib. 2. cap. 3., ac Baronius Annal. Tom. 9. in Appendice ad Tom. 7.

LIX. LX.

59



60



NOTÆ.

SANCTUS AGAPITUS, Patria Romanus, Filius Gordiani Presbyteri Cardinalis Tituli SS. Joannis, & Pauli, ex legitimo Matrimonio natus. Cum esset S. R. E. Archidiaconus electus est Pont. cum vacâsset sedes diebus septem, vel juxta alios sex. Cum vero S. Pontifex, imperio Theodati Gothorum in Italia Regis, Legationem suscepisset ad Justinianum Imperatorem, Constantinopolim processit, & in itinere Mutum, & Claudum sanavit. Rebus vero compositis cum Imperatore, dum in Italiam reverti disponeret, in ea Urbe defunctus est ante diem secundam Maji, anni 536. Verosimile autem est (notat Pagius) eum obiisse 2. Aprilis, postquam sedisset M. IX. & Dies XIX. quo die colitur in Martyrologio Ms. Vaticano S. Petri, & in Appendice ad M. R. Adonis. Anastasius illi assignat Menses XI. & dies 18. Baronius autem, ultra annum vixisse existimat. Nos Epocham Pagii amplexi sumus.

Corpus ejus in loculo plumbeo Romam translatum est, & in Vaticano conditum die 27. Septembris anni 536. ubi Officio duplici colitur, sub die 20. Septembris, ibique requiescere adhuc constat. Pancirolus in Judice Reliquiarum, ad calcem Thesauror. abditorum Urbis, nonnullas tradit hujus S. Pontificis Reliquias esse in variis Urbis Ecclesiis, sed æquivocè, & absque ullo documento.

NOTÆ.

SANCTUS SILVERIUS, Natione Campanus, filius S. Hormisdæ Papæ ante Pontificatum, ex legitimo Matrimonio. Plura circa Epocham Sedis S. Silverii, tum etiam Vigilii successoris habentur in Catalogis relatis a Pagio: & in Critica Baronii statuitur, Silverium ordinatum fuisse die 8. Junii anno 536., ut probat idem Annotator, ac decessisse in exilio apud Insulam Palmariam pro defensione Catholicæ Fidei die 21. Junii anno 538. non vero anno 540. ut habet Baronius, hinc non est attendenda epocha relata a Libro Pontificali, & Anastasio Bibliothecario, qui attribuunt An. I. M. V. D. XI., nam isti finem ejusdem Sedis acceperunt a die 18. Novembris an. 537. quo, impiè, & violenter captus in exilium ductus est, eique illegitimè suffectus Vigilius: Cum itaque Silverius sederit verus Pontifex usque ad diem obitus sui, planè constat, eum sedisse Ann. II. & D. XII. perperam Baronius illi attribuit An. IV. & quintum inchoasse, alii etiam Catalogi corruptè variant.

Corpus ejus sepultum fuisse, in loco ipso exilii, nempè in Insulis Pontianis maris Thyrreni, neque de illo, usque modò, aliud documentum reperitur, ut explicabimus in nostra Appendice, ubi de hujus S. Pontificis corpore nonnulla expendemus.

LXI.

61



LXII.

62



NOTÆ.

VIGILIUS, Romanus, patre Joanne Consule natus, ex Diacono, vivente adhuc S. Silverio, operâ Theodoræ Augustæ, a Bellisario intruditur in Sedem Apostolicam, præstita ab eo conditione, ut creatus Pontifex, Anthimum Episcopum Constantinopolitanum restitueret. Mortuo tamen S. Silverio, noscens se non esse legitimum Pontificem, in ordinem se redegit, dans locum Comitiis Cleri Romani, a quo subindè canonicè electus est, nè schismati imminenti daretur locus. Verùm, mirabili Dei providentia accidit, ut Vigilius mutatus, Anthimum cum aliis hæreticis, & schismaticis nominatim excommunicaverit, & Augustæ rescripserit, se in omnibus Catholicam Fidem servaturum. Irata mulier Pontificem Constantinopolim accedere curavit, sed cum in proposito constantissime persisteret, cæsus, & fune collo tractus per Urbem, carcerique mancipatus, tandem in exilium, unà cum Clero, qui cum eo erat, deportatus est. Anno sequenti tamen dimissus ab Imperatore Justiniano, dum in Italiam rediret, Syracusis in Sicilia, ex calculi morbo decessit, anno Christi 555. cum sedisset an. XVI. mensibus, & diebus incertis, cum de his nulla certa habeatur notitia. In Libro Pontificali, & Anastasii Bibliothecarii sedes ejus enunciatur in An. XVII. M. V. D. XXXII. computato tempore, quo illegitimè sedit. Ex Baronio, & Pagio.

Corpus ejus in loculo plumbeo Romam delatum, sepultum fuit in Cœmeterio Priscillæ, ex quo postea translatum fuit in Basilicam Vaticanam, ut refert Petrus Mallius in monumentis ejusdem Basilicæ.

NOTÆ.

PELAGIUS I. Patrià Romanus, Joannis Vicariani filius, post menses quinque, & dies totidem ab obitu Vigilii (juxta sensum Baronii ad an. 555.) eligitur Pontifex, ex quo resultat Epocha sedis relata in Epigraphe An. IIII. M. X. D. XVIII. & approbatur a Pagio in Breviario, cum statuat electum fuisse die XI. Aprilis anni ejusdem, obiisse vero ann. 560. nocte inter ultimum diem Februarii, & primum Martii, ac die 4. sepultum. Huic Epochæ respondent Codex Colbertinus, & additiones ad Codicem Reginæ Sveciæ, apud Schelestratium, idemque habet uterque Catalogus Vallicellanus relatus a Blanchinio Juniore, necnon resultat ex Epitaphio eidem apposito, quod exhibet Petrus Mallius in descriptione Basilicæ Vaticanæ, ubi Corpus ejus sepultum fuit ante secretarium, in cujus fine legitur: *Qui sedit Annos IV. M. X. D. XVIII. depositus IV. Nonas Martii.*

Justinianus Imperator, cum, Gothis Italia exactis, ad quartum annum Româ potiretur, jus confirmandæ electionis, quod illi sibi usurpaverant, ad se traduxit, solutâ sibi ab Electo certa pecuniæ summa. Quomodo hoc jugum Ecclesia Romana, ad declinandum schismata imminentia, subire coacta fuerit, fuse explicavimus in Animadversionibus cap. II. Ex quo, abusus irrepsit, ut scriptores, pro die electionis acceperint diem Ordinationis.

LXIII.

63



NOTÆ.

JOANNES III., Patriâ Romanus, alio nomine *Catellinus*, ex patre Anastasio Viro illustri, successit Pelagio post Interpontificium mensium quatuor, & dierum 17. vel 25. ut ait Baronius, electus die 27. Julii anni 559. juxta verò exactiorem calculum Pagii, die 18. Julii anni 560. & obiit die 13. Julii anni 573. ac propterea Ipse sedit Annos XII. M. XI. ac D. XXVI. Anastasius Bibliothecarius uno die excedit, sicut & Codex Reginæ Sveciæ apud Schelestratium, necnon & Codex primus Vallicellanus restitus a Blanchinio Juniore. Anastasius Bibliothecarius scribit, Joannem hunc perfecisse Ecclesiam SS. Philippi, & Jacobi, & aliorum XII. Apostolorum, quam initiaverat Pelagius ejus Prædecessor, & Titulum Cardinalem eam constituisse: eamque Adrianus Papa in Epistola ad Carolum Magnum, testatur exornatam fuisse variis Historiis, & Imaginibus, tum pictis, tum & musivis coloribus, quæ tunc etiam venerationi aderant. Historiæ (ut alibi notavimus) erant Veteris, ac Novi Testamenti; Imagines verò Patrum, seu Rumanæ Ecclesiæ Summorum Pontificum.

Corpus Joannis PP. sepultum fuit in Basilica Vaticana, & Oldoinus in Necrologio observat, Petrum Mallium, ejusdem sepulchro attribuisse Epitaphium sepulchri Sancti Agapiti Papæ.

LXIV.

64



NOTÆ.

BENEDICTUS I., Patriâ Romanus, Bonifacii filius, quem Græci *Bonosum* appellant: post interpontificium mensium decem, ac dierum trium, ob tumultus excitatos a Longobardis, Italiam totam invadentibus, ordinatur Pontifex die 3. Junii an. 574. Quibus in laboribus, & afflictionibus positus sanctissimus Benedictus Papa (ait Anastasius Bibliothecarius) mortuus est, atque sepultus in secretario Basilicæ S. Petri. Obiit itaque, ut observat Pagius in Breviario, die 30. mensis Julii anni 578. non vero 579. ut vult Papebrochius. Baronius tradit, illum defunctum fuisse pridie Kalendas Augusti anni 577. cum sedisset Annos IV. M. I. & dies XXVIII. in quam Epocham sedis, quoque concurrunt Anastasius Bibliothecarius, & probatur a Pagio, & hanc fumus amplexi.

Italiam fame, & inædia laborantem magna frumenti copia, ex Ægypto advectâ, sublevavit. Ex dolore, quem in calamitatibus Urbis Romæ, & Italiæ conceperat, & incursionibus Longobardorum extinctus est.

LXV. LXVI.

65



66



NOTÆ.

PELAGIUS II., Romanus, ex patre Vinigildo, post menses 4. ut notat Pagius (Baronius vero sequutus Anastasium Bibliothecarium, habet menses tres, ac dies decem) electus est Pontifex. (Pagius) die 30. Novembris anni 578.,& absque jussione Justini Imperatoris, cum Urbs Roma obsidione cingeretur a Longobardis. Post innundationem Tyberis subsequuta est clades, quam inguinariam vocant, & primus omnium ex ea decessit Pelagius die 8. Februarii anno 590. postquam sedisset annos XI. M. II. D. X. observat idem Pagius, corruptos esse textus Anastasii, in quibus legitur Ann. X. id quoque annotavit Vignolius in Notis ad Librum Pontificalem, & textus similiter esse corruptos notavit: plura etiam Baronius circa Epocham sedis Pelagii ad an. 590. Erroneè quoque scribit Oldoinus in Necrologio ad 8. Februarii, cum sedisset annos XII. M. II. & Dies XVII.

Pelagius vetuit, nomen *Oecumenici* assumere Patriarcham, aut Archiepiscopum, docuitque illud soli Pontifici Romano convenire. Corpus B. Petri Apostoli tabulis argenteis deauratis vestivit, & similiter sepulchrum Sancti Laurentii M. Corpus ejus sepultum fuit apud S. Petrum, juxta alios Prædecessores suos.

NOTÆ.

SANCTUS GREGORIUS I. cognomento, & revera Magnus, Patre Gordiano Senatore, ex Anicia nobilissima familia (quæ postea Frangipana dicta est): E vivis sublato Pelagio, ob insignem ejus sanctitatem, eximiæ doctrinæ præstantiam,ac virtutum omnium splendorem,communi totius Cleri acclamatione suffectus est, invitus,ac renitens, ac latibula captans, simulato habitu,donec depræhensus indicio igneæ columnæ super eum jugiter,e cælo dependentis, tractus est ad S. Petrum consecrandus, ibique ordinatus est die 3. Sept. an. 590., ut probat Pagius in Breviario. Præclara, atque admiranda sunt, quæ S. Doctor scripsit, & egit: unde meritò titulo Magni decoratus est. Ejus imaginis ad aurem Spiritus Sanctus appingitur in forma Columbæ, prout se vidisse sæpius testatus est Petrus ejus Diaconus. Ad Cœlestem Patriam migravit die 12. Martii an.604. Unde ejus sedis Epocha resultat in An. XIII. M. VI. D. X. quam etiam referunt omnes auctores antiqui, & Baronius ad an. 604. ejusque Corpus sepultum fuit in extrema parte porticus Basilicæ Vaticanæ prope secretarium, quod postea a Gregorio IV. intra eamdem Basilicam depositum fuit sub Altari, ut scribunt Anastasius Bibl. & post eum Joannes Diaconus in ejus Vita lib.4. c. 80. De alia translatione, seù contentione inter Romanos, & Francos, aliasque Nationes, quæ pro ejusdem Corporis possessione decertant, fuse nobis erit agendum in nostra Appendice ad calcem hujus Cronologiæ.

LXVII.

67



NOTÆ.

SABINIANUS, Natione Tuscus, è Civitate Blera, seu, ut ait Baronius, ex Urbe Volaterrana, patre Bono: ex quo redarguendus est Nicephorus hist. lib. 18. cap. ultimo, qui post Gregorium somniat quemdam ejus successorem *Innocentium*, omnibus aliis incognitum. Sabinianus itaque, post interpontificium mensium sex, uniusque diei ab obitu Sancti Gregorii, ordinatus est Pontifex die 13. Sept. anni 604. cum esset S. R. E. Diaconus. Pagius in Breviario Epocham sedis ejus tradit, quam assignat Anastasius, nempe eum sedisse An. I. M. V. & D.IX. & sepultum fuisse in Ecclesia S.Petri Apostoli die 22. mensis Februarii anni 606. eamque probari affirmat a Regino in Catalogo Romanorum Pontificum, ab Hermanno Contracto in Chronico, Honorio Augustodunensi, & aliis. Baronius ad an. 604. notat Sabinianum electum fuisse Pontificem Kalendis Septembris, ac an. 605. defunctum fuisse die 19. Febr. cum sedisset M.V. & Dies XIX. Nos exactiorem Epocham Pagii sequuti sumus.

Corpus hujus Pontificis, ex Patriarchio Lateranensi eductum fuisse, tradit Anastasius Bibliothecarius, per portam S. Joannis extra Urbem, & per pontem Milvium in Basilicam Principis Apostolorum, ibidemque tumulatum, ut ex Epitaphio sepulchrali, quem refert Manlius, in quo sic laudatur.

Hic hominum vitia blando sermone removit,
Nec culpis Judex, sed medicina fuit.

A Papebrochio in Conatu Chronico Historico, & a Pagio defenditur a figmentis nonnullis, quæ de Sabiniani morte narrantur.

LXVIII.

68



NOTÆ.

BONIFACIUS III., Patriâ Romanus, filius Joannis Catadiocis, ex S. R. E. Diacono, juxta exactiorem Pagii calculum ordinatus est Pontifex, die 19. Februarii anni 607. cum Anastasius diem minus unum, quàm par erat, numerasset, quamvis diem mortis Sabiniani ab eo excluserit. In Synodo 72. Episcoporum habita Romæ, sub pœna anathematis, Constitutum fecit, ut non prius de Pontifice Romano, & cujusvis Episcopi, successore agatur, quàm defunctus Pontifex triduò sepultus fuerit. Obiit die 10. Novembris anni 607. ideoque dicendum est sedisse M. VIII. D. XXII. Ut testantur tria exemplaria Mss. Anastasii, unum Colbertinum, & duo Freheriana, & posterior Catalogus Corbejensis, Oldericus lib. 12., Luitprandus, Abbo, & Hermannus Contractus, ab eodem Pagio relati in Breviario. Eamdem Epocham redit Liber Pontificalis, Anastasius, præter menses eosdem, addit dies 28. Baronius verò dies 23. Ex quibus corrigendus est Panvinius relatus ab Oldoino in Necrologio Summorum Pontificum, qui erroneè illi attribuit An. I. M. II. & dies 28. Obtinuit Bonifacius a Phoca Imperatore, ut edicto suo declararet, quod Ecclesiæ Romanæ Pontifici, jure competeret nomen *Œcumenici*, quia Episcopus Constantinopolitanus Cyriacus hunc Titulum sibi indebitum usurpaverat.

Ejus Corpus sepultum fuit in Basilica Sancti Petri in Porticu aliorum suorum Prædecessorum.

LXIX. LXX.

69



70



NOTÆ.

SANCTUS BONIFACIUS IV., Natione Marfus, Joannis Medici filius, de Civitate Valeria, ex Monacho S. Sebaftiani extra Urbem, & Presbytero Cardinali ordinatus eft Pontifex die 25. Augufti an. 608. poft interpontificium menfium decem, ac dierum 12. ut fufe probat Pagius Senior in Critica Baroniana. Paternam domum in Monafterium erexit, & fundos fuos in ufum Monachorum adfcripfit. Templum infigne in Urbe *Pantheon* appellatum, a Marco Agrippa tertiùm Confule, Jovi vindici dicatum, in Ecclefiam Deiparæ, omniumque Sanctorum honorem convertit, illuc translatis ex facris cœmeteriis duo de triginta offium Martyrum curribus.

Ejus obitum tradit Baronius ad ann. 614. die 8. Maji, ex Epitaphio, quod ex Mallio attulit in Appendice ad Tom. 8. in cujus fine hæc habentur. *Hic requiefcit Bonifacius Junior, qui fedit An. VI. M. VIII. D. XII. Depofitus VIII. Idus Maji, imperante Heraclio, Anno ejus V.* quam fedis Epocham fequitur, & Pagius in Breviario, & notat dies 12. fupra menfes octo numerari, quia dies 7. Maji, quæ eft emortualis, excluditur. Verùm Anaftafius Bibliothecarius de die obitus fic fcripfit: *Qui defunctus, fepultus eft ad B. Petrum Apoftolum die 25. Maji*: Et hac ipfa die in Bafilica Vaticana Officio duplici colitur, & celebratur in Martyrologio Romano: Quicquid vero fuerit, certe Baronius de eo fic habet, *octava Maji, quidam habent 25.* circa annum obitus ftatuit Pagius eum deceffiffe anno 615.

Corpus ejus tumulatum fuit in Bafilica Sancti Petri, juxta prædeceffores fuos.

NOTÆ.

SANCTUS DEUSDEDIT, aliis *Deodatus*, & *Theodactus*, Romanus, patre Stephano Subdiacono natus, ex Monacho S. Erafmi in Monte Cœlio, poft interpontificium menfium quinque, ac dierum 15. ordinatus eft Pontifex die 19. Octobris anni 615. Baronius vero tradit, electum fuiffe 13. Novembris an. 614. & fupremum diem objiffe die 6. Novembris anni 617. ac propterea eum fediffe annos tres, minus dies 5. Pagius verò exactiori calculo habet, ordinatum fuiffe fupradicta die 19. Octobris anni 615. mortem vero obiiffe die 8. Novembris an. 619. uterque tamen in numero annorum III. concurrit, nam Baronius ex annis tribus fubtrahit dies 5. Anaftafius Bibliothecarius fuperaddit dies 24. & alii Codices habent dies 23. Pagius vero in Breviario noftram Epocham ftatuit, cui confonant Liber Pontificalis, & plures Codices Vaticani apud Vignolium, & uterque Codex Vallicellanus relatus a Blanchinio Juniore.

Sepultus fuit S. Deufdedit in Vaticana Bafilica. De hujus facri Corporis translatione, nullum, ante ejufdem Bafilicæ veteris renovationem, habemus documentum. Verùm, cui innixus fundamento, Cæfar Engenius, in fua Neapoli Sacra tradat, hujus S. Pontificis Corpus fervari in Ecclefia S. Mariæ Majoris ejufdem Civitatis, ignoramus. PP. Clerici Minores, qui eidem Ecclefiæ præfident, id fcrutentur; Oldoinus in Necrologio Pontificum, id intelligendum effe putat de aliqua parte tantum.

t DO-

LXXI.

71



NOTÆ.

BONIFACIUS V. patriâ Neapolitanus, Joannis Fumminii filius, naturâ mitissimus, & singularis humanitatis, & Clementiæ semper apparuit. Auctor Criticæ Baronianæ asserit, post mortem S. Deusdedit, interpontificium fuisse anni unius, ac dierum 16, & hoc colligit ex duratione sedis Bonifacii, & ex initio Pontificatus Honorii successoris ejus, Bonifacium vero ordinatum fuisse die 23. Decembris anni 619, atque defunctum die 22. Octobris anno 625. ideoque eum sedisse Ann. V. & M. X. Hoc etiam apparet ex Epitaphio relato a Baronio, quod hisce clauditur duobus versibus:

Culmen Apostolicum quinque, & bis mensibus annis

Rexit, & ad magni culmen honoris abiit.

Huic Epochæ respondet Liber Pontificalis, necnon uterque Catalogus Vallicellanus apud Blanchinium Juniorem, quorum primus supra annos habet Dies XI. Anastasius Bibliothecarius reddit An. V. D. XIII. Baronius vero, alio ducto calculo, exhibet annos VII. M. X. D. I. sed observat Pagius in Breviario, immeritò Ciacconium ab Oldoino reprehendi, quòd scripserit, Bonifacium Annos V. & M. X. sedisse, cum omnibus antiquis adversetur, eum sedisse annos circiter octo.

Corpus ejus depositum fuit ad S. Petrum Apostolum in Basilica Vaticana, ejusque tumulo duo apposita fuerunt Epitaphia ab Honorio Papa Primo ejusdem successore, quæ refert Baronius ex antiquis Inscript. Tom. XII. Annal. in Appendice ad Tom. 8. & Severanus in editione Antonii Bosii lib. 2. cap. 6.

LXXII.

72



NOTÆ.

HONORIUS I. Natione Campanus, Petronii Viri Consularis filius, Canonicus Regularis. Ex calculo Pagii, ordinatus est Pontifex die 27. Octobris anni 625, neque differri posse, statuit, ad an. 626. (ut vult Baronius) ex Epistola ipsius Honorii, data ad Episcopos Epiri, Idibus Decembris, Indictione XIV. quæ currebat an. 625. Difficultatem, quæ opponi posset circa Confirmationem Imperatoriam minime expectatam, dissolvit ipse auctor Criticæ Baronianæ. Obiit Honorius die 12. Octobris anni 638. ut etiam tradit Anastasius, cum sedisset An. XII. M. XI. & D. XVII. Baronius habet annos totidem, menses vero quinque, minus diebus tribus. Epocham a Pagio approbatam nos sequimur, cui consonant Codex Reginæ Sveciæ, apud Schelestratium, necnon uterque Codex Vallicellanus a Blanchinio Juniore relatus.

Inter plures Ecclesias, quas Honorius, vel novitef construxit, vel instauravit, superest, quæ Via Nomentana S. Virgini, & Martyri Agneti fuerat a Constantino Magno constructa, cujus Absidam Pontifex Honorius musivis picturis illustravit, inter quas etiam sui propriam effigiem exprimi curavit, quæ postea ab Adriano PP. I. iterum fuit instaurata.

Sepultus fuit laudatissimus Pontifex in Basilica Vaticana, duoque Epitaphia ejusdem sepulchro apposita fuerunt, relata a Baronio in Appendice ad Tom. 8. & ab Oldoino in Additione ad Ciacconium, necnon a Severano in edit. Antonii Bosii lib. 2. cap. 8. Romæ Subterraneæ.

LXXIII.

73



N O T Æ.

SEVERINUS, Romanus, ex Patre Abieno, sivè Labieno, S. R. E. Diaconus electus est Summus Pontifex, post Honorium; sed dilata est ejus consecratio usque ad diem 28. Maji anni 640. Causam tam diuturnæ ordinationis Baronius rejicit in negatam Confirmationem ab Exarcho Ravennate, donec electus approbaret *Ecthesim*, quam Severinus, ut impiam non tantum subscribere noluit, sed & reprobavit, & in Synodo postea coacta illam damnavit, & eodem anno obiit die prima Augusti. Panvinus relatus ab Oldoino in Necrologio, sub die 2. Augusti, eidem attribuit sedis annos duos, & menses 4. forsan illos enumerando a die electionis, quæ Epocha sic desumpta, ut nos probavimus in Animadversionibus cap. 111. verior, & proprior esset assignanda. Nihilominus & nos cogimur omnium antiquorum sequi opinionem, nè Chronologiæ vetus ordo in totum confundatur, itaut indicemus, cum sedisse, post Ordinationem, M. II. & dies IV. ut etiam tradunt Liber Pontificalis, Codex Reginæ Sveciæ, duoque Catalogi Vallicellani a Blanchinio Juniore relati. Baronius autem notat, quòd, cum incerta sit dies electionis Severini, inde factum sit, ut certa definiri non possit sedis ejusdem Epocha, quamvis alii, pro libito, vel addiderint, vel variaverint. Hanc vero admittit etiam Pagius in Breviario.

Corpus hujus Pontificis in Basilica S. Petri Vaticana depositum fuit.

LXXIV.

74



N O T Æ.


JOANNES IV., Natione Dalmata, Venantii scholastici filius, ex Diacono Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in locum Severini, Romanus Pontifex consecratur die 24. Decembris an. 640. post interpontificium mensium quatuor, ac dierum 24. Hic Romæ, coacto Concilio, Monothelitarum hæresim, & Ecthesim Heraclii Imperatoris damnavit. Obiit die XI. Octobris anni 642. ex quo resultat sedis Epocha relata in Epigraphe, Ann. I. Menses IX. ac Dier. XVIII. quam tradit Anastasius Bibliothecarius, (exceptis diebus, quos assignat sex) & approbat Baronius. In omnibus consentiunt Codex Reginæ Sveciæ, & duo Catalogi Vallicellani. Ejus Imago, musivo opere elaborata, superest adhuc, in absida Oratorii apud Baptisterium Lateranense, ab ipso erecta in honorem SS. MM. Venantii, & Sociorum ejus, quorum corpora curavit Rumam transferri ex sua Provincia Dalmatia desolata a Barbaris, ibique sub ara deposuit, eamque absidam musivis exornare cœpit, quod tamen absolvit Theodorus ejus in sede successor.

Sepultus est Joannes in Basilica S. Petri, ut tradit Anastasius Bibliothecarius. Unde corrigendus est Oldoinus in Necrologio tradens, eum tumulatum fuisse in supradicto Oratorio S. Venantii, ab eo constructo, propè Baptisterium Lateranense.

u THEO-

LXXV. LXXVI.

75



76



N O T Æ.

THEODORUS, Natione Græcus, ex patre Theodoro Episcopo de Civitate Jerosolyma, post mensem unum, ac dies 13. consecratus est Pontifex die 24. Novembris anni 642. ex exacto Pagii calculo in Breviario: ad superos vero abiit die 13. Maji anni 649. ex quibus resultat, eum sedisse An. VI. M. V. D. XIX, ut in Epigraphe, cum qua concordant varii Catalogi; Codex Reginæ Sveciæ, & Catalogus 2. Vallicellanus, discordant tantum apponentes dies 28. Pyrrhum Constantinopolitanum Episcopum, iterum in hæresim relapsum, accedens ad sepulchrum B. Petri Apostoli, de sanguine Christi in Calice distillato in atramentum, excommunicavit, ejusque depositionem conscripsit. Corpora Sanctorum Christi Martyrum Primi, & Feliciani, ex Arenario Viæ Nomentanæ, divinitus revelata, in Urbem transtulit, & in Ecclesia S. Stephani in Monte Cœlio collocavit, pluresque instauravit Urbis Ecclesias.

Sepultus est in porticu Basilicæ S. Petri die 13. Maji. Ejus nomen quibusdam Martyrologiis adscriptum fuisse notant Bollandiani, sub die 14. Maji.

N O T Æ.

SANCTUS MARTINUS, Patria Tudertinus in Tuscia, Fabritii filius, die 5. Julii anni 649. Pontifex declaratus est: Statim Romæ Concilium habuit 105. Episcoporum, in quo Monothelitas, & eorum hæresim, necnon *Ecthesin* Heraclii, & *Typum* Constantis Imperatoris damnavit: monuitque Constantem, qui iratus in Pontificem, jussit primùm Olympio Exarchn, ut illum interficiendum curaret. At Divino miraculo ereptus est: Hinc Constans, misso Romam Calliopa, jubet, ut Pontifex captus, & navi impositus Constantinopolim ad se duceretur. Eò appulsus post annum, feminudus, & ferreis catenis onustus in carcerem truditur ad sex menses, inde relegatus Chersonam, ibi ærumnis, & inædia confectus Martyrium consummavit die 16. Septembris anni 655. In Epocha sedis S. Martini fere omnes conveniunt in An. VI. differunt tamen in mensibus, ac diebus, nam Bibliothecarius habet menses unum, & dies 26. Baronius menses tres, dies II. exactiori tamen calculo Pagius in Breviario statuit, eum sedisse Ann. VI. M. II. D. XII.

Sepultus fuit ibidem, extra muros Urbis Chersonæ in Templo B. V. Inde postea Constantinopolim translatus est, ac depositus in Ecclesia, quæ in Balchermis appellabatur. Postea vero Corpus ejus Romam translatum, a Sergio Papa II. illatum est in Titulum Equitii, seu Ecclesiam SS. Silvestri, & Martini in Montibus, ubi colitur. Plura addemus in nostra Appendice, suo loco.

LXXVII.

77



NOTÆ.

SANCTUS EUGENIUS, Patria Romanus, de Regione prima Aventina, ex patre Rufiniano: fere omnes antiqui, ejus Pontificatus initia sumpserunt a die, quo post actum in exilium, & Romà Constantinopolim ductum, S. Martinum, Eugenius ordinatus fuit Episcopus (non ut Pontifex, sed tantùm, ut Vicarius ejusdem S. Martini) & ejus sedi attribuerunt annos II. & M. VIII. vel novem, & dies 24. aut 25. Sed Baronius rectè probat, Eugenium, vivente ipso Martino, Vicariâ tantum præfecturâ, usum fuisse, ac post mortem Martini, accedente Cleri consensu, sedisse in Apostolico Throno. Hoc super argumento multa esplicuimus cap. VI. in Animadversionibus, ubi Baronii veram sententiam sequuti sumus. Oldoinus in Additionibus ad Ciacconium in eam opinionem fertur, S. Eugenium legitimè sedisse M. VI. & dies XXII. nos verò ex calculo ab obitu S. Martini, & obitu ejus, statuimus verè sedisse Ann. I. M. VII. & dies XIV. Vide etiam Pagium in Breviario.

Obiit Eugenius die 2. Junii anni 655. & sepultus est in Basilica S. Petri, in qua ab ejusdem Clero, Officio duplici colitur eadem die.

Solus Octavius Pancirolus in Indice Reliquiarum Urbis indicat, Reliquias ejus esse in Æde S. Adriani; quamvis nobis adhuc minime occurrat aliquod documentum, quòd hujus S. Pontificis umquam fuerit ex eadem Basilica dimotum corpus.

LXXVIII.

78




NOTÆ.

SANCTUS VITALIANUS, Natione Campanus, ex Civitate Signiæ, patre verò Anastasio, S. Eugenio in Pontificatu sufficitur. Vir fuit Disciplinæ, ac Regulæ Ecclesiasticæ amantissimus, ac rectinentissimus: nulli labori, nulli pepercit industriæ, ut Orientalem Ecclesiam, jam diuturno schismate a Romana separatam, & Constantium Imperatorem Monothelitarum fautorem, & impii auctorem *Typi*, ad meliorem frugem traduceret. Baronius sedi ejus an. 13. menses quinque minus dies quatuor assignat: Anastasius Bibliothecarius annos XIV. & menses VI. nullo addito die, sicut etiam Liber Pontificalis. Verùm, exactiori calculo, Pagius in Breviario, tradit illum sedisse a die 10. Julii anni 657. usque ad diem 28. Januarii 672. quo extremam diem obiit; ex quibus resultat Epocha Ann. XIV. M. V. D. XXIX. Obitus verò ejus assignat Baronius diem 27. Januarii 669. Idem habetur in lectionibus, quæ in Basilica Vaticana leguntur in ejus festo, quod ibidem celebratur sub die 29. Januarii, in qua Corpus ejus sepultum fuit, ibique etiam requiescit.

Pagius in Breviario, ubi de obitu Sancti Vitaliani, ex Anastasio, Hermanno Contracto, & aliis Scriptoribus tradit, eum sedisse integros menses VI. post annos XIV. certe Anastasius Bibliothecarius eum tradit sepultum fuisse 6. Calendas Februarii, nempe die 27. dicti mensis Januarii.

LXXIX.

79



NOTÆ.

ADEODATUS, Patria Romanus, filius Jobiani, sivè Joviniani, ex Monacho S. Erasmi in Monte Cœlio ordinatur Pontifex (juxta Pagii calculum) die 22. Aprilis anni 672. Sepulturæ verò traditur 26. Junii anni 676. ac propterea eum sedisse constat Annos IV. M. II. D. V. quam Epocham, ex Libro Pontificali, & Anastasio approbat ipse Pagius. At Baronius Adeodato tribuit Annos VII. M. II. & D. XVII. fultus auctoritate Sigeberti: Verior tamen, & exactior videtur calculus Pagii, cui, præter Librum Pontificalem, & Anastasium, respondent Codex Reginæ Sveciæ apud Schelestratium, & secundus Catalogus Vallicellanus a Blanchinio Juniore relatus. Tanti Pontificis eximiam benignitatem, & in omnes beneficentiam, & præcipue in Peregrinos, laudat Anastasius.

Suum Monasterium S. Erasmi in Cœlio Monte multis auxit ædificiis, in quo & Abbatem constituit; sed modò hujus tam præclari Monasterii Ordinis S. Benedicti, nec vestigium apparet.

Corpus Adeodati requiescit in Basilica Vaticana, in qua depositum fuit.

LXXX.

80



NOTÆ.

DONUS, sive DOMNUS, Patria Romanus, ex patre Mauricio, post interpontificium mensium 4. ac dierum 5. vel 6. a Deodati obitu, die prima Novembris anni 676. consecratus est Pontifex. Atrium, quod erat ante Basilicam Sancti Petri, in quadriporticum magnis marmoribus struxit: & Ecclesiam Apostolorum sitam via Ostiensi restauravit, atque dedicavit. Nestorianos Monachos Syros, quos in Urbe reperit, per diversa Monasteria ad pœnitentiam divisit. Vita functus est die XI. Aprilis anni 678. Ex quo nostra resultat sedis ejusdem Epocha, quam reddunt Liber Pontificalis, Anastasius, Luitprandus, aliique Scriptores, & Catalogi relati a Pagio in Breviario: quibus etiam respondent duo Vallicellani penes Blanchinium Juniorem, Codex Reginæ Sveciæ in uno mense discordat, quatuor tantum assignans. In omnibus concordat Baronius, adstipulantur Odericus, Regino, Honorius Augustodunensis, Hermannus Contractus, & Catalogus Vaticano-Palatinus ab eodem Pagio relati. Obiit autem Donus die XI. Aprilis anni 678., quo etiam die Anastasius tradit, fuisse sepultum in Basilica S. Petri: ex quo consequens est, recte Pagium, ejus ordinationem affixisse ad diem primam Novembris anni 676. & annotasse, errorem irrepsisse in Anastasium Bibliothecarium, ubi legitur, post Adeodati obitum, sedem vacasse menses 4. & dies XV. cum vacaverit tantùm menses quatuor, & dies quinque.

LXXXI.

81



NOTÆ.

SANCTUS AGATHO, Patria Panormitanus, & Monachus. Uterque Pagius Epocham superius relatam statuit, nec standum esse existimat testimonio Libri Pontificalis, & Anastasii qui tradunt Agathonem sedisse Ann. II. M. VI. D. III. probat namque evidenti ratione Pagius Senior, hallucinatum fuisse Anastasium Bibliothecarium, & Baronium minus rectè diem mortis Agathonis consignasse ad 10. Jan. an. 682. sed esse legendum *Junii*. Corruptè igitur Panvinius ejus sedem produxit ad sextum annum, & ad quartum Rocchus Pyrrhus, in Hist. Siciliæ.

Sepultus fuit Agatho in Basilica S. Petri, ubi Officio duplici colitur sub die 19. Januarii: & in 6. Lectione legitur: *Cum tres annos, & quinque circiter menses sedisset &c.* Nomen ejus Martyrologio Romano inscriptum habetur die x. Januarii. Ejus Epitaphium ex antiquis Inscriptionibus refert Baronius in Appendice ad To. 8. Annalium, quod etiam habent Oldoinus in novis additionibus ad Ciacconium, & Severanus in editione Romæ Subterraneæ Antonii Bosii lib. 2. pag. 98.

Sub hoc Pontifice celebratum fuit Concilium Generale VI. Constantinopolitanum III. Cui interfuerunt Legati Agathonis PP. & Imp. Constantinus Pogonatus, eique subscripserunt 166. Episcopi, in quo Concilio confirmata sunt quinque alia universalia Concilia, & damnata Hæresis Monothelitarum, ut fuse tradit Anastasius Bibliothecarius in Vita hujus Pontificis.

LXXXII.

82



NOTÆ.

SANCTUS LEO II., Natione Siculus, ex patre Paulo Meneo, quem ex Cedella Vallis Sicilianæ in provincia Citerioris Aprutii ortum fuisse tradit Oldoinus in Necrologio Romanorum Pontificum. Ordinatus fuit die 17. Augusti anni 682. ut evidenter probat Pagius in Breviario, & consecratus a tribus Episcopis Ostiensi, Portuensi, & Velitrensi, quod deinceps observatum notatur; cum prius, ab Ostiensi solo Consecratio data legatur. Fuit disertus, & Divinarum Scripturarum peritus, Græcè & Latinè doctus. Sextum Concilium Generale sub Agatone celebratum, ex Græco in Latinum transtulit. Obiit verò die 3. Julii anni 683. ut tradit Anastasius, quo etiam die, eum obiisse Oldericus lib. 2., & Marianus Scotus in Chronico dicunt, ac sedisse menses X. & dies XVII. eamque sedis durationem assignat alii Scriptores, & varii Catalogi. Quoad vero nomen S.Leonis hujus inscriptum, in nonnullis Martyrologiis reperiatur die 3. Julii, qua verè obiit, nihil obstat nostræ Chronologiæ (subdit Pagius) quo super argumento, plura diserte explicat in Vita hujus S. Pontificis n. XII. necnon & de Ordinatione ejusdem a tribus Episcopis, & quoad Summum Pontificem, probat ad hanc necessitatem non obligari, cum etiam ab uno consecrari possit Romanus Pontifex: ejus memoria tamen celebratur Officio die 28. Junii, ut in Martyrologio Romano.

Sepultus est S.Leo II. in Basilica Vaticana; de cujus Corporis inventione, vide in Appendice, suo loco.

LXXXIII.

83



LXXXIV.

84



N O T Æ.

SANCTUS BENEDICTUS II. Romanus, ex patre Joanne, Presbytero Romanæ Ecclesiæ, S. Leoni II. a Clero subrogatur. Pagius, qui obitum S. Leonis II. diei 3. Julii affixit, & animadvertit S.Benedictum, post interpontificium mensium undecim, ac dierum 22. ordinatum fuisse die 26 Junii anni 684. & hoc maxime esse attendendum, ait, quòd ex initio Pontificatus hujus Pontificis, rectè consignato, Leonis II. & successorum Benedicti II. Chronotaxis pendet: nam in ea editione, qua usus est Baronius, legebatur, ut ipse asserit, post obitum Leonis, sedem vacasse mensem unum, & dies 22., quæ absque dubio, ait Pagius, est corrupta: nam aliæ editiones, & Codices, seu Liber Pontificalis in Vita Leonis II. sic habent: *Cessavit Episcopatus menses XI. dies* 22. Eximiè laudatur ab Anastasio Bibliothecario, tamquam peritus in Divinis Scripturis, & Cantu Ecclesiastico, necnon Paupertatis amator, humilis, mansuetus, atque manu largissimus: Vita excessit Benedictus die 7. Maji anni 685. ex quo resultat Epocha sedis ejus M. X. ac D. XII. Cum qua concordant Codex Reginæ Sveciæ. Duo Catalogi Vallicellani apud Blanchinium Juniorem. Baronius habet M. VIII. & Dies XXII. Hujus pietate motus Constantinus Imperator statuit, ut is, quem Clerus, populusque Romanus elegissent Pontificem, nulla expectata Imperatoris, seu Præfecti confirmatione ordinaretur.

Sepultus est Benedictus in Basilica S. Petri, ubi Officio colitur die 7. Maji. Epitaphium ejusdem sepulchri, ex antiquis inscriptionibus referunt Baronius, Oldoinus, & Severanus locis aliàs indicatis.

N O T Æ.

JOANNES V., Natione Syrus, ex Provincia Antiochia, filius Cyriaci. Ex Pagii computo ordinatus est Pontifex die 23. Julii anni 685. sine Imperatoris Constantinopolitani consensu: laudatur ab Anastasio Bibliothecario, strenuè se gessisse, cum Diaconus Constantinopolim ab Agathone Papa Apocrisarius directus fuisset, repræsentans locum Apostolicæ Sedis in Sexta Synodo Generali. Vir fuit summæ probitatis, & religionis. Longa infirmitate confectus e vita discessit die prima Augusti anni 686. Circa sedis ejus tempus omnes in Ann. I. conveniunt, discordant tamen in diebus, ex quo plures variant in assignanda die obitus, quorum aliqui 4. nonas, alii 8. Idus Augusti evenisse affirmant: Nostram Epocham reddunt Anastasius Bibliothecarius, Codex Reginæ Sveciæ apud Schelestratium, necnon duo Codices Vallicellani, a Blanchinio Juniore relati, eamque amplectitur Pagius in Breviario, & Oldoinus in Necrologio die 3. Augusti. Ob ejus sedis brevitatem, & ejus longam infirmitatem, alia ejus facta in Pontificatu desierunt.

Corpus ejus, teste Anastasio Bibliothecario, sepultum fuit in Basilica Principis Apostolorum die 2. Augusti.

LXXXV. **LXXXVI.**

85



86



N O T Æ.

CONON, Natione Trax, in Sicilia vero educatus, Benedicti filius, quem patria Tomitanum, & S. Antoninus Siculum faciunt, ex Presbytero S. R. E. Summus Pontifex conſecratus eſt, juxta Pagium, die 21. Octobris anni 686. Ex diviſione Cleri, Populi, atque Exercitus, contentioſa fuit electio: Nam Clerus in Petrum Archipresbyterum intendebat, exercitus in Theodorum Presbyterum, at cum nihil proficeret ad concordiam, Clerus unanimiter ingreſſus Epiſcopium Lateraneſe denominavit Cononem, in quem poſtea omnes unanimiter ſubſcripſerunt: virum, ut ait Anaſtaſius Bibliothecarius, in quo vere aſpectus Angelicus, veneranda canities, ſermo verus, provecta ætas, ſimplex animus, quieti mores, religioſa vita. Ad ſuperos traoslatus eſt die 21. Septembris anni 687. cum ſediſſet tantum M. XI. Hanc ſedis Epocham reddit Liber Pontificalis, cui conſonant Codex Reginæ Sveciæ, necnon uterque Catalogus Vallicellanus, & alii, Baronius vero ſequutus Anaſtaſium Bibliothecarium ſediſſe ait M. XI. & dies XXIII. Panvinius dies habet tres.

Corpus Cononis tumulatum fuit in Baſilica Vaticana, ubi requieſcit.

Quamvis vero Conſtantinus Imperator, ſub Benedicto II. confirmationem Papæ remiſiſſet, nihilominus voluerunt Imperatores ſequentes, ut Pontifex non crearetur abſque Italiæ Exarchi conſenſu. Hinc ortum eſt malum illud, ut ambientes Papatum,per Exarchi miniſterium conſequi illum quomodocumque conarentur, & ſæpe inde ſchiſmata conflarentur.

N O T Æ.

SANCTUS SERGIUS, Natione Syrus, Antiochenæ regionis, ortus ex patre Tiberio in Panormo Siciliæ. Romæ in Clerum cooptatus, tandem a S. Leone Presbyter Tituli S. Suſannæ creatus eſt, atque poſt Cononem, contendentibus parte una in favorem Paſchalis Archidiaconi, & alia pro Theodoro Archipresbytero, tandem compreſſo ſchiſmate, creatus eſt Pontifex Sergius, & Ordinatus die 14. Decembris anni 687. (Baronius habet creatum fuiſſe die 26. Decembris) ſeditque uſque ad 7. Septembris anni 701. unde Pagius Epocham ejus ſedis ſtatuit in annis XVII. M. VIII. D. XXII. quam, uno tantum die excedunt Liber Pontificalis, & Anaſtaſius, atque Baronius. Catalogi Vallicellani apud Blanchinium Juniorem, conveniunt in annis, ac menſibus, dies vero primus reddit 14. alter 24.

Inter præclara opera hujus S. Pontificis celebratur ab Anaſtaſio, quod Corpus S. Leonis Magni, ex abdito Inferioris ſecretarii, ubi primitus fuerat ſepultum, tranſtulerit intra Baſilicam S. Petri, eique locum exornaverit. Plura quoque contulit Baſilicæ S. Pauli in Via Oſtienſi, eamque reparavit Trabibus Calabria advectis: necnon plures in Urbe Eccleſias variis ornamentis decoravit.

Corpus ejus ſepultum fuit in Baſilica Vaticana. Epitaphium, quod legitur apud Mallium, & Baronium, notat Pagius, referendum eſſe ad Sergium Papa III. In Martyrologio Romano colitur die 9. Septembris, Officio vero duplici in Baſilica eadem ſub die 11. Septembris.

z JOAN-

LXXXVII.

87



NOTÆ.

JOANNES VI. hujus nominis, Natione Græcus, Pontifex ordinatus est die 28. Octobris anni 701. juxta exactum Pagii calculum; atque diem obiit 9. Januarii, anni 705., unde sedisse oportet An. III. M. II. D. XII., & in eam convenire fere omnes Codices tum impressos, tum mss. Anastasii Bibliothecarii, ac etiam Librum Pontificalem, & Baronium, observat ipse Pagius, nonnulli verò alii Catalogi differunt in diebus.

Hunc Pontificem vexare cœpit Tiberius Constantinopolitanus Imperator, misso Romam Theophylacto Patricio, & Exarcho Italiæ. Sed Dei consilio actum est, ut Italiæ Milites, contra Imperatoris conatus, se se opponerent, ac pro Pontifice starent; itaut Pontifex ipse, jussione sua, debuerit animos Italorum coercere, nè facinus aliquod in personam Exarchi committerent.

Anastasius Bibliothecarius tradit, Joannem sepultum fuisse apud S. Petrum: perperam vero nonnulli, apud Ciacconium, volunt, sepultum fuisse ad S. Sebastiani Catacumbes, sed id ab ipso Ciacconio minime probatur. De eo Oldoinus in Necrologio Pontificum, in Notis ait: *Martyrio affectum, Joannem occubuisse volunt aliqui, cujus obitum Panvinus, Idibus, Baronius vero 4. Idus Januarii evenisse scribunt*. De hoc tamen nihil agit oculatissimus Pagius in Breviario, nec nos alibi quid reperire potuimus.

LXXXVIII.

88



NOTÆ.

JOANNES VII. hujus nominis, Natione Græcus, patria Rossanensis (ut habet Oldoinus in Necrologlo) patre Platone. Ex calculo Pagii, consecratus est die prima Martii anni 705. ac die 17. Octobris anni 707. obiit, & postridie sepultus, adeoque eum sedisse constat Ann. II. M. VII. D. XVII. in quam Epocham conveniunt Anastasius Bibliothecarius, Catalogi duo Vallicellani, Baronius, & alii.

Sedente Joanne VII. Aripertus hujus nominis II. Rex Longobardorum donationem Patrimonii Alpium Cottiarum, quæ ad Jus Romanæ Ecclesiæ pertinuerant, sed a Longobardis, multo tempore fuerant ablata, restituit, & hanc donationem aureis litteris exaratam Romam direxit. Anastasius Bibliothecarius id factum dicit, sedente Joanne VI., sed Hermannus Contractus in Canisiana Chronici sui editione, ait eam donationem conjungi cum anno 707. Ex quibus patet, Sedem Apostolicam in possessionem etiam temporalis dominii restitutam fuisse.

Sepultus est in Basilica Vaticana, ante Altare B. V. in Oratorio, quod ipse exexerat. In Sacrario Basilicæ Sanctæ Mariæ in Cosmedin servatur tabula musivi operis, in qua ejusdem Joannis conspicitur effigies ante B. V. gestantis puerum Jesum, habitu quasi Monastico vestita, & latam quasi stolam a collo pendentem habens, quam graphice delineatam exhibeat Ciampinus in lib. de Ædific. Constantini, cap. 4. rectius vero Crescimbenius in Historia Sanctæ Mariæ in Cosmedin pag. 144.

LXXXIX. XC.

89





90

NOTÆ.

SISINNIUS, Natione Syrus, ex patre Joanne, Pontifex Romanus consecratus est die 18. Jan. anni 708. Adeo podagra laboravit, ut cibum propriis manibus sumere non valeret: erat tamen constans animo, & curam gerens pro habitatoribus Urbis, qui & calcarias, pro murorum Civitatis instauratione, decoquere jussit: Cumque ita materiam parasset, qua & moenia Urbis, & Templa vetustate collapsa in meliorem formam restitueret, morte repentina sublatus est, post vigesimam a sua creatione diem, ideoque die sexta Februarii ejusdem anni 708. obiit, sepultusest (teste Anastasio Bibliothecario) in Basilica Principis Apostolorum. Cur vero Oldoinus in Necrologio, diem obitus ejus assixerit ad 6. Novembris, ignoramus, quamvis ibidem in Notis addiderit, aliis 7. Februarii: & in compendio ejus vitæ addit ab aliis appellatum esse *Zosimum*.

NOTÆ.

CONSTANTINUS, Natione Syrus, ex patre Joanne, juxta computum Pagii, ordinatus est Pontifex die 25. Martii anni 708. sed creatum die 7. ejusdem mensis tradit Baronius. Sedisse vero Ann. VII. & D. XV. statuit idem Pagius, & Bibliothecarii, aliorumque antiquorum Scriptorum testimonio, contra Baronium, qui eidem attribuit Annos tantum VI. M. I. & diem. Plures quoque Catalogi Vaticani, & duo Vallicellani cum nostra epigraphe concurrunt. Oldoinus quoque assignat An. VII. M. I. & dies XX., ut placet Panvinio. Ejusdem mors statuitur a Pagio incidisse in diem 8. Aprilis anni 715. itaut dici possit, cum sedisse annos VII. & dies XV.

Constantinopolim ab Justiniano II. Imperatore accersitus, omni genere honoris, & obsequii exceptus est: eidemque Nicomediæ occurrit Justinianus capite Coronam gestans, illiusque pedem osculatus est: Ipsum vero primum fuisse, qui ex Pontificibus Tiaram unà Coronâ exornatam adhibuerit, disertè probavimus capite XII. nostrarum Animadversionum pag. 72. Et hic in imagine ejus primus exhibetur hoc ornamento capitis conspicuus.

Corpus ejus in Basilica Vaticana sepultum fuit: Celebratur ejus fama, quod licèt throno supra omnes emineret, omnium tamen se humillimum gesserit, & in annonæ caritate nil prætermiserit officii in pauperibus, quos unice diligebat, sublevandis.

XCI.

91



✠ S.GREGORIVS II. SED: ANN. XV. M.VIII. D. XXIII.

NOTÆ.

SANCTUS GREGORIUS II. Romanus, parte Marcello, S. Benedicti Monachus, ex Diacono, atque Bibliothecario S.R.E. Vir eruditione, sanctimonia, rerumque gestarum fama clarus, anno 715. ordinatus est Pontifex 19. Maji, ex calculo Pagii in Breviario, die 20. verò ex Baronio, anno 714. Leonem Isaurum Imperatorem sacrarum Imaginum destructorem, sæpius admonitum, & in scelerum cumulum prolapsum, diro anathemate perculit, & Italos ab ejus obedientia, & tributorum solutione absolvit; ex calculo ejusdem Pagii obiit die undecima Febr. anni 731. cum sedisset Ann. XV. M. VIII. Dies XXIII. vel XXIV. Baronius eidem attribuit sedis annos XVI. M. VIII. D. XX. uti etiam habet Anastasius Bibliothecarius, similiter variant antiqui Catalogi. S. Antoninus relatus ab Oldoino, eidem assignat annos XVII. & M. IX. Panvinius vero An. XV. M. X. & D. XXI. Duo Catalogi Vallicellani apud Blanchinium Juniorem concordant in Annis, & Mensibus, discordant tantum in diebus, quos tradunt 24. Quare nos exactiorem calculum Pagii in Epocha sequimur.

Sepultus est Gregorius II. in Basilica Vaticana, ubi officio colitur die 13. Februarii, cujus tamen sexta lectio corrigenda videtur, in qua, errore Typographi, legitur, piè objisse *sexto Pontificatus anno*, cum potius XVI. inchoato sit legendum. Paternam domum in Ecclesiam, & Monasterium commutavit, multisque prædiis instruxit in honorem Sanctæ Christi M. Agathæ, quæ extat in regione Transtyberina.

XCII.

92



✠ S.GREGORIVS III. SED: ANN. X. M.VIII. D. XX.

NOTÆ.

SANCTUS GREGORIUS III., Natione Syrus, ex patre Joanne. Ex calculo exactissimo Pagii constat, consecratum fuisse Pontificem die 18. Martii anni 731. mortuum verò 27. Novembris anni 741. Ex quibus, sedis ejus Epocha resultat Ann. X. M. VIII. D. X. verò IX., sed in iis relatis diebus exequiarum, atque sepulturæ, resultant dies XI. quos dies notat idem Pagius, retulisse in summam Reginonem. Anastasius Bibliothecarius, præter annos, & menses tradit dies 20. Baronius habet M. IX. dies 12. alii 25. Catalogi Vallicellani discordant tantum in diebus, nam primus reddit dies VIII. alter vero XIV.

Catholicæ Fidei extitit propugnator acerrimus contra Leonem Isauricum Imperatorem Iconoclastam, quem etiam in Concilio Romæ coacto, unà cum omnibus Hæreticis anathematizavit. Multa quoque a Luitprando Longobardorum Rege inique passus est. Novas Basilicas in Urbe construxit, antiquas vero reparavit, & præcipue Vaticanam, intra quam Oratorium erexit, in quo Corpus ejus humatum fuit cum hoc Epitaphio.

Tertius hic PP. Gregorius est tumulatus, quod, teste Panvinio, Eugenius III. restituit, & hac inscriptione notavit.

Ubi requiescant Dominus Gregorius,
Et Eugenius Tertii Papæ.

Ex Oldoino in novis Addit. ad Ciacconium, ubi de hoc Gregorio. Idem Oldoinus in Necrologio, sub die 28. Novembris.

XCIII. XCIV.

93





94

N O T Æ.

SANCTUS ZACHARIAS, Natione Græcus, ex patre Polychronio, Monachus S. Benedicti, defuncto Gregorio, post dies quatuor, nempe die 30. Novembris anni 741. Pontifex est ordinatus, diemque supremum attigit 15. Martii anni 752. cum sedisset annos X. M. III. & dies XIV. ut etiam tradit Anastasius Bibliothecarius, quæ Epocha approbatur a Pagio in Breviario, & cum ea concordant Codex Reginæ Sveciæ, & duo Catalogi Vallicellani, relati a Blanchinio Juniore. Baronius differt tantum in diebus X. Oldoinus in Necrologio in Annis, ac Mensibus concordat, dies vero apponit XVI. ubi etiam tradit Zachariam natum fuisse Sibereoæ in magna Græcia, nunc Calabria dicta.

Fuit hic S. Pontifex doctrina, & humanitate insignis. Consultus a Proceribus Francis, transtulit, auctoritate Apostolica, in Pipinum filium Caroli Martelli filium, Regnum Francorum, solutis Francis a jurejurando erga Childericum: quæ translatio Regni facta a Zacharia, felix tunc fuit, non solum Galliæ, sed toti Orbi Christiano.

Corpus ejus depositum fuit in Basilica B. Petri Apostoli, ubi etiam requiescit & Officio proprio colitur die 16. Martii. In Martyrologio vero habetur 15. ejusdem mensis.

N O T Æ.

STEPHANUS II. patriâ Romanus, post dies 12. ab obitu S. Zachariæ, ex Presbytero S. R. E. electus est Summus Pontifex, ac teste Anastasio Bibliothecario, statim perductus est in Patriarchium, & in solio collocatus: ibi vero biduo manens, tertia die, dum sedens familiares causas suas disponeret, apoplexia tactus obmutuit, ac die sequenti defunctus est. Hunc a serie Romanorum Pontificum expellunt nonnulli, eò quod electus tantùm Consecrationem noodum accepisset; cum tamen, subdit Baronius, (ad annum 752.) *verè Pontifex fuerit:* ac proinde sequentem Stephanum, Tertium hujus nominis appellat: Hunc quoque verum extitisse Pontificem, nec a Chronologia excludendum notat P. Franciscus Carrier in sua Chronologia Pontificum: necnon Oldoinus in Notis ad Necrologium, sub die 30. Martii, ubi ait: *Hunc scriptorum multi in Pontificum numerum non reponunt, & tertium revera, secundum nominant, quod haud rectè factum est, cum legitime creatus fuerit.* Pagius quoque in Breviario sequutus est antiquos, qui sedem Pontificum injerunt a die Consecrationis, non vero electionis, adeoque ab ipso quoque excluditur.

Videantur nostrarum Animadversionum Capita II. ubi de Inthronizatione, & Cap. IV. pag. 20.

XCV.



NOTÆ.

STEPHANUS III., patriâ Romanus, Constantini filius, Diaconus Cardinalis, Stephano II. suffectus est, atque ordinatus Pontifex (ex Pagio) die 23., vel 26., aut 27. Martii anni 752. Immensos labores sustinuit pro Ecclesia Romana, diu vexatus ab Aistulpho Longobardorum Rege, qui & Urbem Romanam obsidione cinxit. Pontifex vero a Pipino Francorum Rege adjutus, plures Italiæ Provincias, & Civitates a Longobardis occupatas recuperavit, sic Pipinus bis in Italiam cum exercitu ingressus, coacto fœdifrago Aistulpho restituere Exarchatu, recuperatas ditiones Apostolicæ Sedi omnes concessit, atque ità Pontificis Romani Principatum instituit. Conciliabolum, jussu Constantini Copronymi actum, contra sacras Imagines ab Iconoclastis Orientalibus Episcopis, damnavit. Occiso tandem Aistulpho in venatione ab Apro, moritur & Pontifex laudatissimus die 24. Aprilis anni 757. ut notat uterque Pagius, cum sedisset Ann. V. & D. XXIX. Baronius diem unum minus tradit, ut etiam Anastasius Bibliothecarius. Primus Catalogus Vallicellanus apud Blanchinium Juniorem in omnibus concordat. Oldoinus in Necrologio, ejusdem obitum affigit diei 26. Aprilis, quo die etiam habet Anastasius Bibliothecarius.

Corpus ejus conditum fuit in Basilica Vaticana in porticu Pontificum.

Quod verè Tertius hujus nominis Pontifex, non verò II. sit appellandus. Vide Capp. 2. & 4. Animadversionum.

XCVI.



NOTÆ.

SANCTUS PAULUS I. patriâ Romanus, Constantini filius, Stephani III. Prædecessoris germanus frater, ex Diacono Cardinali ordinatur Pontifex die 29. Maji anni 757. In Cœlum vero abiit die 28. Junii anni 767. cum sedisset annos X. M. I. cui Epochæ respondent Anastasius Bibliothecarius, Baronius, Catalogi Vaticani, duo Vallicellani, aliique omnes, eamque probat Pagius ex Luitprando, Mariano Scoto, & aliis.

Anno Christi 761. Privilegium concessit Monasterio, quod suis in paternis ædibus construxit in honorem SS. Pontificum Stephani, & Silvestri, in cujus Ecclesiam ex variis Cæmeteriis ipsorum, & aliorum Pontificum, atque Sanctorum, solemni pompa, transtulit corpora: primusque fuit, qui Romanorum SS. Pontificum corpora (quod certò sciamus) ex antiquis suis sedibus transferre cœperit. Quo super argumento plura nobis erunt exploranda in Appendice.

Basilicam S. Pauli Via Ostiensi jugiter, & impensè coluit, propè quam ægritudine tactus, in ea voluit sepeliri, sed post aliquot menses a Romanis Corpus ejus Naviculæ impositum, cum psalmodia ad Vaticanam Basilicam translatum est, ac depositum in Oratorio, quod ipse construxerat propè Altare majus, ubi & ejus Officium celebratur a Clero sub die 4. Julii.

XCVII.

97



NOTÆ.

STEPHANUS IV. Natione Siculus, ex patre Olybrio, Monachus Ordinis S. Benedicti, & Cardinalis Presbyter Tituli S. Cæciliæ, extincto schismate, quod per unum annum, & mensem perduravit, communi consensu creatus Pontifex die 5. Augusti anni 768., ac die 7. consecratur: anno sequenti Concilium habuit Romæ in quo anathemate perculsus est Pseudopontifex Constantinus, statutumque Decretum, ne quis ad sacrum Pontificatus fastigium evehi possit, nisi esset, aut Diaconus, aut Presbyter Cardinalis factus. Obiit vero die prima Februarii anni 771. unde ejus sedes resultat in Ann. III. M. V. D. XXVII. quam reddunt Anastasius Bibliothecarius, Catalogi Vaticani, & Vallicellani, Baronius, & approbat Pagius, ex Luitprando, & aliis. Eadem quoque referunt duo Codices relati a Schelestratio in Appendice ad Antiquit. Ecclesiæ.

Laudatur a Bibliothecario in ejus vita. Bollandus ad diem primam Februarii hunc inter Sanctos prætermissos notat, & appellari vero Titulo *Sancti*, & referri eo die a Ferrario in Catalogo SS. Italiæ, ab Octavio Cajetano de SS. Siculis, & ab Hugone Menardo, & aliis, sed animadvertit, nec dum apud eos, qui vitas Pontificum Romanorum scripserunt, de cælestibus honoribus ei delatis quicquam se legisse.

Corpus ejus requiescit in Basilica Vaticana, ubi sepultum fuit.

XCVIII.

98



NOTÆ.

ADRIANUS hujus nominis Primus, patria Romanus filius Theodori de Regione Viæ Latæ, Vir magnitudine animi, consilio, doctrina, & sanctitate vitæ cum quovis optimo Pontifice conferendus. Missa legatione ad Carolum Magnum Francorum Regem, eum rogavit, ut sicuti Pater ejus Pipinus, ita & ipse Ecclesiæ subveniret a Longobardis oppressæ, quod Carolus, ducto exercitu in Italiam præstitit, nam capto Desiderio Longobardorum Rege, & in Gallias traducto, extinctum est Regnum Longobardorum in Italia: Carolus novis diplomatibus donationem Pipini confirmavit, & auxit. Nemo post Petrum diutius in Pontificatu, quam Adrianus hic vixit. Ex Diacono Cardinali ordinatus est die 9. Febr. an. 771. & ad Superos translatus die 26. Decembris anni 795. ut apparet ex Epitaphio aureis litteris conscripto, & a Carolo Magno Imp. Romam ad ejus tumulum misso, in quo legitur. *Sedit An. XXIII. M. X. XVII. Ob. 6. Kal. Jan.* qui dies est sepulturæ, ut notat Pagius in Brev.. Hanc Epocham tradunt Anastasius Bibl., Barnnius, & Catalogi plures Vaticani, & duo Vallicellani, excepto Codice Reginæ Sveciæ in quo corruptè legitur: An.XXIV. Sub Adriano Pontifice celebratum fuit Concilium Generale VII. Nicænum II., ubi convenerunt 350. Episcopi cum Legatis Adriani pro cultu sacrarum Imaginum, aliisque rebus ad Fidem Catholicam pertinentibus.

Corpus ejus tumulatum fuit in Basilica Vaticana in suo Oratorio prope Altare Majus.

De sanctitate Adriani, & de ejusdem Corporis translatione plura dabimus in nostra Appendice, suo loco.

cc SAN-

XCIX. C.

99



100



NOTÆ.

SANCTUS Leo III. Romanus, ex patre Azuppio S. R. E. Presbyter Card. & Monachus S. Benedicti, Pontifex incredibili omnium consensione, ipso die obitus Adriani, creatus est anno 795. die 27. Decembris. *At, cum ab impiis nonnullis proceribus, erutis oculis & lingua, ac vulneribus confossus*, semivivus esset relictus, insigni miraculo postridie inventus est sanus, per intercessionem SS. Apostolorum Petri, & Pauli, iisdemque parricidis vitam suis precibus obtinuit. Carolo Magno Francorum Regi Romanum Imperium detulit, ipsum Romæ coronavit. Peregrinis amplissimum Xenodochium construxit, Patrimonium pauperibus adscripsit, Basilicas Urbis, & sacras ædes, tot, tantisque divitiis cumulavit, ut fidem omnium superare videatur. Ad Cœlestem patriam evolavit die undecima Junii anni 816. & ex calculo Pagii in Breviario cum sedisset Ann. XX. M. V. D. XVI. Anastasius, uno tantum die superaddito, eamdem sedis Epocham tradit, sicuti etiam Baronius, Oldoinus ejus obitum refert ad diem 12. Junii, & alii tandem ad 17. ejusdem mensis, & anni.

Corpus ejus tumulatum fuit in Basilica Vaticana, ubi colitur Officio die XII. Junii. De hujus inventione plura dabimus in nostra Appendice.

NOTÆ.

STEPHANUS V. Romanus filius Marini, nobili genere ortus, ex Diacono Cardinali Pontifex renunciatus est die 22. Junii anni 816., atque ordinatus. Mox Populum Romanum Ludovico Imperatori sacramento adstrinxit, eo consilio, ut ipse populus veritus Imperatorem, deinceps temperaret ab injuriis, quas identidem antea Pontificibus irrogaverat, ut proximè Leoni III. Tertio mense in Gallias perrexit pro stabilienda pace, ut ait Anastasius, cui Imperator obviavit, terque ante pedes ejus pronum se abjecit, eumque Pontifex Imperatorem una cum uxore coronavit. Inde Romam reversus, circa finem Octobris, die 24. Januarii sequentis anni 817. vità excessit; quare constat, eum sedisse septem tantum mensibus, quod plurium scriptorum testimonio probat Pagius, qui mendum irrepsisse notat in Textu Anastasii Bibliothecarii, ubi legitur Annis VII. & M. VII., quem errorem sequuti sunt Auctores plurium Catalogorum, inter quos Codex Reginæ Sveciæ habet annos V. Catalogus vero secundus Vallicellanus, qui in hoc Pontifice definit, erronee habet loco mensium Annos VII. alter vero Vallicellanus optimè concordat in M. VII. Baronius vero ultra M. VII. addit dies III. Juxta tamen computum Pagii hi menses VII. sunt incompleti.

Corpus ejus tumulatum fuit in Basilica S. Petri, ubi requiescit.

CI. CII.

101





102

NOTÆ.

SANCTUS PASCHALIS I., patrià Romanus, Maximi Bonefi filius, Monachus Ordinis S. Benedicti, ex Presbytero Cardinali Tituli S. Praxedis, vix quinto die elapſo ab obitu Stephani, electus, atque conſecratus eſt Pontifex, nempe die 25. Januarii anni 817. (ex computo Pagii), qui contra Ciacconium, & Oldoinum, in dubium vertit, eum fuiſſe Presbyterum Cardinalem, cum ſcribat Anaſtaſius,eum a S.Leone PP. admotum fuiſſe tantum ad regendum Monaſterium B. Stephani Protomartyris, juxta Baſilicam Apoſtolorum: ſed in dubium revocari non poteſt,Paſchalem verè Presbyterum Cardinalem fuiſſe, ex Decreto Stephani PP.V. in Concilio Romæ habito paulo ante ejuſdem Paſchalis electionem. Peregrinos ad Limina Apoſtolorum turmatim accedentes, eximia charitate excipiebat, iiſque etiam abjecta quæque miniſteria exhibebat. Monachos quoque in Oriente exagitatos ab Imperatore, atque vexatos paternè fovit, eiſque Monaſterium S. Praxedis attribuit. Multa Corpora Sanctorum in ejuſdem Eccleſiam, ex Cœmeteriis tranſtulit; & præſertim S. Cæciliæ V. & M., cum ejuſdem ſociis, ex Cœmeterio Prætextati in ejus Baſilicam Tranſtyberinam. Clarus miraculis in Cælum migravit die x. Febr. anni 824., & ,ut uterque Pagius ſtatuit, cum ſediſſet An. VII. D. XVII. Anaſtaſius habet ſeptem, menſes quinque, dies 16. Baronius annos ſeptem, menſes quinque, dies 16. Nos Pagium ſequimur.

Sepultus fuit in Eccleſia S. Petri, non vero S. Praxedis,ut perperam ſcribit ipſe Pagius.

NOTÆ.

EUGENIUS II., patrià Romanus, filius Bohemundi, ex Archipresbytero S. R. E., ac Tituli S. Sabinæ, poſt dies 4. ab obitu S. Paſchalis, creatus eſt Pontifex, nempe die 14. Februarii anni 824. ex computo Pagii in Breviario. A magna populi parte, aſſumptus etiam notatur *Zinſinius*, qui tamen, poſt aliquot dies, abdicavit, & ordinatus eſt Eugenius. Pagius tradit, Eugenium defunctum fuiſſe menſe Auguſti, anno 827. & notat, errorem irrepſiſſe in Librum Pontificalem, & in Anaſtaſium Bibliothecarium, qui ponunt, eum ſediſſe annos quatuor, menſes duos, ac dies 23., quod, ait, repugnat Chronologiæ ſequentium Pontificum: ſed, cum nullus ex antiquis diem ejus mortis memoraverit, quot præcisè menſes, & dies ſupra annos tres vixerit, incompertum eſt; certum eſt tamen eſſe defunctum in menſe Auguſti anni 827. Baronius ait, ſediſſe Annos III. M. II. D. XXIV. primus Catalogus Vallicellanus apud Blanchinium Juniorem habet An. III. M. VII. D. XXXIII.

Sepultus eſt laudatiſs. Pontifex in Baſilica S. Petri: de quo Oldoinus in notis ad Necrologium Romanorum Pontificum ad diem 12. Decembris ſic ait: *Oculis vero captus Martyrii palmam in Urbe accepit, teſte S. Antonino*. De hoc tamen nihil referunt Liber Pontificalis, & Anaſtaſius, neque Annales Eccleſiaſtici, eximiè tamen ab omnibus celebrantur ejus virtutes. Videri tamen de eodem poſſunt, quæ in ſuo Breviario Romanorum Pontificum notavit Pagius.

CIII. CIV.

103 104





NOTÆ.

VALENTINUS, patriâ Romanus, Leontii, seu Petri Leontii, filius, de regione Viæ Latæ, ex Archidiacono S. R. E., communi consensu, sufficitur in locum Eugenii II. Vir doctrina, & virtutibus excellens, atque incerto die consecratur, sed tamen mense Augusti anni 827. Virum magnæ sanctitatis, & Spiritus Sancti gratia perfusum, cunctisque virtutibus exornatum prædicat Anastasius Bibliothecarius. Cum vero sedisset tantùm dies XI. e vivis maximo omnium dolore sublatus est. Hanc ejus sedis Epocham tradunt Liber Pontificalis, Anastasius Bibliothecarius, Martinus Polonus, & sex alii Catalogi a Pagio utroque relati, & a primo præfixi Tom. 1. Criticæ Baronianæ.

Baronius Valentinum defunctum quoque tradit supradicto anno 827. Oldoinus vero in Necrologio de eo agit sub die 23. Januarii, & obiisse tradit anno Christi 827. Quamvis autem de hac re nihil certi affirmari possit, putat nihilominus Pagius, obiisse Valentinum circa finem mensis Septembris, vel initium Octobris. Corpus ejus conditum fuit in Basilica Principis Apostolorum, ubi requiescit.

NOTÆ.

GREGORIUS IV. hujus nominis, Romanus, patre Joanne natus, Monachus (ut tradit Oldoinus in Necrologio) Monasterii Fussæ Novæ regulæ Sancti Benedicti, ex Presbytero Tituli S. Marci, invitus, & latebras quærens eligitur Pontifex, anno 827. Cum vero, juxta calculum Pagii in Breviario, ignoretur dies mortis Valentini, definiri non potest, qua die hic electus fuerit. Vir extitit pietate, & religione clarus. Corpus S. Gregorii Magni ex loco, ubi prius tumulatum fuerat, in alium non longe constructum transtulit, ejusque sacrum altare argenteis tabulis undique perornavit, & Oratorium suo nomine construxit. Ecclesiam S. Marci, olim sui Tituli a fundamentis restauravit, & musivo opere exornavit, pluribusque donis ditavit. Alias quoque plurimas Urbis Basilicas, & Ecclesias donis, ac muneribus auxit. Baronius eum obiisse tradit ann. 843. Pagius verò, ex testimonio plurium scriptorum, atque Catalogorum, quos senior præfixit Criticæ Baronianæ, necnon ex libro 2. Oderici, statuit Gregorium è vita migrasse die 25. Januarii anni 844. quamvis aliter alii sentiant: omnes tamen conveniunt, cum sedisse Annos XVI.

Sepultus fuit in Vaticano, ubi corpus ejus requiescit.

CV. | CVI.

105





106

NOTÆ.

SERGIUS II. Romanus, patre Sergio illustris familiæ, de regione quarta ex Presbytero Cardinali Tituli S. Martini in Montibus, & Archipresbytero S.R.E. insigni morum probitate præditus, & probatissimis virtutibus celebratissimus, Gregorio IV. suffectus est, non expectato Lotharii Imperatoris Legato, consecratus anno 844. die decima Februarii, ut exacto calculo tradit Pagius in Breviario, ubi statuit, diem extremam obiisse 26. Januarii anni 847. auctoritate Annalistæ Bertiniani ita scribentis: *Sergius Rom. Pontifex 6. Kal. Febr. defungitur.* Post tam insigne testimonium de anno, mense, ac die obitus, nullum dubium superest de vera Epocha ejusdem sedis, quamvis Baronius ex Anastasio referat, *eum sedem tenuisse annis tribus, & mense uno*; quod vero in exemplaribus Anastasianis, & ex Codicibus Moguntinensi, & Parisiensi habetur, sedisse annos *tres*, *nullo addito mense*, *ac die*, dicendum est, positos fuisse incompletos, numero rotundo, cum quatuor tantum dies ad complementum deficerent, quod non rarò ab aliis usurpatum reperitur. Idque notat Pagius in Breviario in vita ejusdem, necnon habetur ex Catalogo primo Vallicellano apud Blanchinium Juniorem. Oldoinus in Necrologio defunctum tradit die 12. April. anni ejusdem 847.

Sergius sepultus fuit in Basilica S. Petri in Oratorio ibidem erecto a S.Paschali PP. I. ubi repertum fuit Epitaphium, quod recitat Baronius tom. x. ad annum 847. & alii.

Plura Corpora Sanctorum transtulit in Ecclesiam SS. Martini, & Silvestri in Montibus, de quibus in Appendice erit agendum.


NOTÆ.

SANCTUS LEO IV. patria Romanus, patre Rodoaldo, seu Rodulpho, S R E. Presbyter Cardinalis Tituli SS.IV. Coronatorum, vitæ sanctimonia clarus, in locum Sergii II. communi omnium voto statim ex eodem Titulo extractus, in Patriarchium deductus, & inthronizatus est; consecratio tamen ejus dilata est per menses duos, ac dies 15. & propterea, ut annotavit Pagius, in pluribus Codicibus Anastasii legitur sedem vacasse duos menses, ac dies 15. Porro laudatus Anastasius eosdem menses, ac dies retulit in summam sedis illius, scribendo: *Sedit Annos VIII. M. III. ac dies V.* sed revera legendum est: *dies VI.* ut habetur in Catalogis præfixis Criticæ Baronianæ, necnon in pluribus Chronicis, aliisque scriptoribus. Baronius tradit, eum decessisse die 17. Julii anni 855.

Irruptionem Saracenorum ad Ostia Tyberina signo Crucis compressit. Civitatem Leonianam ad Basilicæ Vaticanæ custodiam construxit, & alia plurima egregia opera præstitit, quæ fusè explicantur ab Anastasio Bibliothecario. Sanctitate illustris sepultus fuit in Basilica Vaticana in Oratorio a Sergio Papa constructo. Vide nostram Appendicem.

Post hunc S. Leonem interseritur a quibusdam Joanna pseudopapissa, quam ajunt, ementito sexu, electam fuisse in Pontificem: sed Anastasius Bibliothecarius ejus temporis Scriptor nihil penitus de hac pseudopapissa habet. Esse hanc meram fabulam, passim hodie Scriptores asserunt.

CVII. CVIII.

107 

 108

NOTÆ.

BENEDICTUS III. Romanus Petri filius, Vir sanctissimus, Tituli S. Mariæ Transtyberim Presbyter Cardinalis a Leone Quarto creatus, eadem die, qua Sedes Apostolica vacavit, nempe 17. Julii anni 855. ob sanctimoniam vitæ ejus non solum electus est, sed violenter ex suo Titulo invitus, & lacrymans Deum, & Sanctos in testes vocans, se nequaquam dignum esse, qui tantæ sedi præficeretur, acclamantibus omnibus, raptus, atque in Patriarchium Lateranense ductus, inthronizatus est. Ordinatus tamen fuit post menses duos, ac dies 12. nempe 24. Septembris. Anastasius Bibliothecarius, & alii initium sedis desumunt a die ordinationis; cumque ejus mors contigerit die 8. Aprilis anni 858. sedisse tradunt Annos II. M. VI. D. X. quod etiam probat Pagius. Eandem quoque Epocham scribit Baronius ad an. 858. quamvis ejus obitum affixerit ad diem 16. Februarii. Oldoinus vero in novis Additionibus ad Ciacconium tradit annos II. M. VI. dies vero XXV. in Necrologio tamen ejus obitum retulit ad diem 26. Februarii ejusdem anni.

Corpus ejus tumulatum fuit in Basilica S. Petri propè portam Argenteam cum Epitaphio, quod ex Manlio in descriptione ejusdem Templi refert Severanus in edit. Romæ Subterraneæ Antonii Bosii lib. 2. pag. 101.

Josephus Comes Garampius eruditam nuper edidit Dissertationem de Nummo argenteo hujus Benedicti III. in qua etiam plura de illius sedis Epocha erudite expendit.

NOTÆ.


SANCTUS NICOLAUS I. Romanus, patre Theodoro Regionario, S. R. E. Diaconus, mirabili consensione, electus est Pontifex, & ex Basilica Vaticana, in qua latitabat, per vim eductus, adductusque in Patriarchium, die 24. Aprilis anni 858. in eadem Basilica Vaticana, præsente Ludovico Augusto, ordinatus, & coronatus est. Cunctis virtutibus excelluit: ejus studio Bulgarorum gens ad fidem conversa, Ecclesiæ Romanæ accessit, licet frendente schismatico Imperatore Orientali. Descripta omnium pauperum Urbis nomina apud se habere voluit, ut singulis succurreret. Nullis pepercit sumtibus in reparandis, ornandisque Basilicis Urbis. Ex Anastasio Bibliothecario Pagius in Breviario tradit, ex hac vita migrasse die 13. Novembris anni 867. ac sedisse Annos IX. M. VI. D. XX. quibus unam diem addit Baronius. Anastasius recenset quidem annos totidem, & dies, menses vero II. Cum Pagio concordat etiam Catalogus primus Vallicellanus apud Blanchinium Juniorem, qui in Nicolao desinit, sicuti etiam in ipso explicit Textus Anastasii Bibliothecarii.

Corpus tanti Pontificis conditum fuit in Basilica Vaticana juxta portam Judicii cum Epitaphio, quod recitat Baronius Tom. XI. Annalium anno 867. In qua Basilica ab ejusdem Clero colitur proprio Officio duplici, sub die 13. Novembris.

Ex Anastasio Bibliothecario primus legitur Nicolaus coronatus fuisse, cujus ritus nullam memoriam tradiderat in præcedentibus Pontificibus.

CIX. CX.

109



110



NOTÆ.

ADRIANUS II. patria Romanus, Talari, postea Episcopi, filius, ex nobili Sephani IV. & Sergii II. Cognatione, ex Prebytero Cardinali Tit. S. Marci juxta computum Pagii, consecratus est Pontifex die 14. Decembris anni 867. seditque usque ad annum 882. in quo omnes conveniunt, diem vero, quo obierit, nullus antiquorum expressit. Guillelmus Bibliothecarius, qui post Anastasium Bibliothecarium, vitas nonnullorum Romanorum Pontificum scripsit, annos V. sedisse tradidit. Pagius verò suo exacto calculo habet annos IV. M. XI. D. vero XII, & sedem vacasse dies decem. Sed quicquid de die mortis, subdit ille, quod, cum constet diem ordinationis ejus successoris Joannis VIII. quæ fuit, ex Annalista Bertiniano, 19. Kal. Januarii, idest die 14. Decembris anni 872. verificari non potest in hoc sensu, quod statim post mortem Adriani substitutus fuerit Joannes, cum aliquod interstitium dari debeat inter obitum Adriani, & electionem Joannis. Baronius mortem Adriani affigit Kalendis Decembris, & sedem vacasse ait usque ad 14. Decembris, cum sedisset Annos IV. M. X. & Dies XVII. quæ nobis verior apparet. Non recte Panvinius, ejus obitum posuit Kalendis Octobris, & Oldoinus Kalendis Novembris.

Sepultus est Adrianus apud S. Petrum in Vaticano. Fuit Vir multarum virtutum. Sub hoc Pontifice celebratum fuit anno 869. Concilium Generale VIII. Constantinopolitanum IV. contra Photium, qui damnatus ab ipso Concilio fuit, a quo etiam Photiani Conciliabuli Acta combusta fuerunt.

NOTÆ.

JOANNES VIII. Gundii filius, patria Romanus, ex Archidiacono S. R. E. suffectus est Adriano in Pontificatu, & consecratus est die decimaquarta Decembris anni 872. de quo singulariter habetur, quod successive tres Imperatores coronaverit, nempe Carolum II. Calvum, Ludovicum II. Balbum, & Carolum III. Crassum. Fretus armis prædictorum Imperatorum Saracenos a Romanis litoribus ejecit. Tusculanos Comites in Pontificem conjuratos fidelium communione privavit, qui irati, concitato tumultu, Joannem in carcerem contruserunt, a quo suorum ope elapsus eos in ordinem redegit. Vixit usque ad diem 15. vel 16. mensis Decembris anni 882. ut Baronius ad diem 15. affirmat. Haud recte Panvinius defunctum esse tradit 8. Idus Octobris, ut refert Oldoinus in Notis ad Necrologium sub die 15. Decembris. Pagius in Breviario ex Mariano Scoto, Honorio Augustodunensi, & Martino Polono, & pluribus Codicibus tradit, Joannem VIII. sedisse Ann. X. & Dies II., & e vita migrasse, vel 15. aut 16. Decembris anni 882.

Sepultus est in Vaticano prope portam Judicii, cum Epigraphe relata a Mallio, & habetur apud Baronium Annal. Tom. x. ad annum prædictum, & apud Severanum in edit. Romæ Subterraneæ Antonii Bosii pag. 101.

ff MA-

CXI.

111



N O T Æ.

MARINUS I. dictus MARTINUS II. ex Oppido Gallesio in Etruria oriundus Palumbi Presbyteri filius ex Diacono Cardinali, potentia Comitum Tusculanorum fretus, sufficitur Romanus Pontifex 5. Kal. Januarii anni 882. qui Legatione Apostolica cum lande ter functus fuerat Constantinopoli. Photium iterum aoathemate damnavit. Formosum vero Episcopum Portuensem, cui Joannes VIII. Episcopatum abrogaverat, restituit in sedem suam. E vita migravit die 18. Januarii anni 884. cum sedisset Ann. I. dies XX. ut tradit Baronius ad prædictum annum. Pagius vero in Breviario id solum conjici posse affirmat, Marinum electum fuisse circa finem ejusdem anni 882., & mortem gustasse mense Majo an.884. postquam sedisset An.I. & M.V. idque ex testimonio Mariani Scoti, Luitprandi, Honorii Augustodunensis, & aliis Catalogorum auctoribus confirmat. Haoc Epocham nos amplectimur, ac propterea Baronium, atque Papebrochium sine teste ejusdem mortem mensi Februario alligasse, contra supradictorum fidem scriptorum, Martini Pontificatum mutilasse dicimus.

Sepulchrum obtinuit Marinus in Basilica Principis Apostolorum.

Hic vere Marinus I. esset appellandus, sicuti etiam alter, qui eodem nomine dicebatur, & creatus est aono 943. dicendus est Marinus II. Verum usus adeo invaluit, ut interposita tantum littera T. uterque Martinus fuerit denominatus. Ceterum sequiores Pontifices Martini nomine insigniti hunc errorem saltem tacite approbasse dicendi sunt, ut in nostris Animadversionibus notavimus.

CXII.

112



N O T Æ.

ADRIANUS III. Antea *Agapitus*, Benedicti filius, è regione Viæ Latæ post dies duos ab obitu Marini (ut tradit Baronius) creatus est Pontifex anno 884. antea Agapitum etiam dictum fuisse tradunt aliqui, *ex quo*, subdit Oldoinus in novis Additionibus ad Ciacconium, *fortasse factum, ut Sigebertus, & Marianus Scotus quemdam Papam Agapitum, inter Marinum, & Adrianum III. interjecerint*. Pagius in Breviario inhærens Epochæ Mariani Scoti a se statutæ, ex obitu Adriani a pluribus auctoribus, & Catalogis indicato colligit, eum ordinatum fuisse circa finem mensis Maji, sive sub initium Junii ejusdem anni: ac proinde eum sedisse statuit An.I. & M. IV. cum appareat, vita functum fuisse mense Septembri an. 885. mensibus vero incompletis. Baronius autem tradit, eum obiisse die 9. Maji, eique tribuit annum unum, & meoses tres. Pagius, ex Anonymo, qui Anastasium Fuldensem continuavit, editum a Lambeccio, Tom. 2. Bibliothecæ Cæsareæ, ac propterea *Lambeccianum* appellavit, ad an. 885. tradit, Adrianum hunc Pontificem per Nuncium invitatum fuisse ab Imperatore in Franciam, ut Episcopos quosdam irrationabiliter deponeret, sed Deum hujus fraudulenta consilia dissipasse: Pontificem enim ait progressum ab Urbe apud Heridanum, seu Padum flumen, vita extinctum fuisse in Abbatia Nonantulana. Ex quibus corruit opinio Ciacconii ajentis sepultum fuisse apud S. Petrum, quod etiam scripsit Oldoinus in Necrologio sub die 9. Maji. De ejusdem obitu super fluvium Scultinum in Villa Wilezaehara etiam Baronius agit ad annum 885. Nos plura dabimus in nostra Appendice suo loco.

CXIII.

113



NOTÆ.

STEPHANUS VI, Adriani nobilis Romani filius, de regione Viæ Latæ, ex Presbytero Cardinali Tit. SS. IV. Coronatorum, invitus sufficitur Adriano III. circa finem Septembris anno 885. Orphanos nonnullos ad prandium advocabat, & dum cibo alebat, facrorum librorum lectione recreabat. Bafilium Imperatorem Conftantinopolitanum litteris redarguit, quod pro Photio homine prorfus laico, & pluries damnato, tantopere laboraret, eum defendendo adverfus Romanos Pontifices. Ejus obitus notatur incerto menfe, ac die, ejufque Epitaphium habet Baronius ad an. 891. in quo legitur.

Bis ternis annis populum qui rexit & Urbem.

Obfervat autem Pagius in Breviario, ex vita fcripta a Guilielmo Bibliot. haberi, Stephanum hunc fediffe dies *quindecim ultra annos fex*; in editione vero Moguntina Anaftafii, cujus in calce appofitus eft Guillelmus, eorrupté legi, eum fediffe annos IV. & Menfes feptem, ac dies 14. Oldoinus in Necrologio Pontificum obitus diem confignat ad 21. Maji, & fediffe ait annos VI. & dies novem. Verum nihil certi de diebus definiri poffe inouit Pagius, nam & plures Catalogi, & Martinus Polonus habent dies novem.

Sepultus eft in Bafilica Vaticana cum Epitaphio a Manlio relato, & a Baronio to. 12. Annal., fed obfervat Pagius, in illud irrepfiffe numerum Quinti, at in editione ejufdem Epitaphii legitime legi:

Hic Tumulus Sexti facratos continet artus
Præfulis eximii Pontificis Stephani.

Notat idem Pagius, perperam Baronium loco *Sexti* repofuiffe *Quinti*.

CXIV.

114



NOTÆ.

FORMOSUS, Leonis filius, Civis, & Epifcopus Oftienfis, paucos poft dies ab obitu Stephani, Pontifex renunciatus eft, vir magnarum virtutum, & doctrinæ elegantia exornatus, probitateque: primus fuit, qui ex Epifcopatu ad Summum Pontificatum afcendit anno 891. Celebris apud Scriptores agitata eft Controverfia de electione Formofi Papæ, quam refert Mabillonius to. 4. Veterum Analectorum, fed revera legitima fuit ex Concilio Romæ coacto a Joanne IX. Papa, in quo cuncta, quæ in Romana Synodo a Stephano VII. contra eundem Formofum ftatuta fuerant, abrogata funt, atque combufta. Pagius ftatuit, electum fuiffe circa finem Septembris, vel Initium Octobris ejufdem anni 891., & id ex certo calculo mortis ejus, quæ accidit ipfo die Pafchatis anni 896. die 4. Aprilis, ex Annalifta Freheriano, & Hermanno Contracto, ac propterea fedit An. IV. M. VII., vel juxta Marianum Scotum, & alios M. VI. Sepultus fuit in Bafilica S. Petri. Sed Stephanus ejus in Sede fucceffor, odio in eum percitus, quod a Papatu prius confequendo eum arcuiffet, ejus decreta abrogavit, & facrilegus in illius cadaver, reclamantibus omnibus, qui aderant, illud ex fepulchro extractum, & in fede Pontificaliter indutum collocatum, facris mox exutum veftimentis, ac tribus digitis mutilatum, quibus benedicere moris eft, in Tyberim jactari juffit. Corpus vero cum a Pifcatoribus inventum ad Bafilicam S. Petri deportatum effet, Sanctorum Imagines illud in loculo pofitum venerabiliter falutaverunt, ut refert Luitprandus.

CXV. CXVI.

115



116



NOTÆ.

STEPHANUS VII., patria Romanus, filius Joannis Presbyteri ex legitimo matrimonio natus, ex Episcopo Anagnino creatus Pontifex, & benedictus (ex Pagio) ante diem 20. Augusti anni 896. Non diu vixit in Pontificatu, sede enim pulsus, detrusus est in carcerem, atque strangulatus est, ut nos docet ejus Epitaphium ipsi a Sergio III. positum, quod anno 900. cui mortem ejus affixit, a Baronio ex Manlio relatum est. Verum Pagius in Breviario subdit, mortem Stephani contigisse anno 897. & invicte demonstrat ex rescriptis ejus successoris datis mense Octobri Indictionis primæ, quæ initium sumpsit Kal. Septembris ejusdem anni 897. unde plures Catalogi ei adscribunt annum unum sedis, & menses circiter duos. Plures difficultates circa hujus sedem explicat idem Pagius, ac tandem suam profert sententiam, sedisse nempe An. I. & M. II., quam nos sequuti sumus.

Opera potentis factionis per Adalbertos Marchiones potentissimos Tusciæ, suffectus est, expulso Bonifacio invasore sedis, qui eamdem per dies 15. tenuerat. De hujus detestando facinore in Formosum ejus decessorem nonnulla annotavimus paulo ante.

Hic incipiunt infelicissima, & luctuosissima Romanæ Ecclesiæ tempora, quibus majorem sustinuit persecutionem per ipsos Adelbertos, qui, occupata munitione S. Angeli, omnia pro arbitrio faciebant, quam usquam passa sit a Gentilibus, aut ab hæreticis, vel schismaticis.

NOTÆ.

ROMANUS, Natione Tuscus, patria Gallesianus, quem Panvinus Gallum, S. Antoninus vero Hispanum perperam faciunt, teste Oldoino in Necrologio ad 19. Augusti, Marini Pontificis fratris filius, prævalente in Urbe Romanorum factione adversus Adelbertos, intrusus primum est, ac postea a Clero legitimis suffragiis electus ante diem 15. Octobris an. 897., ut ex calculo Pagii. Martinus Polonus in Chronico, & quidam Catalogi tradunt, eum sedisse M. III. & dies 21. vel 23. quibus standum esse videtur, nam eisdem suffragatur Frodoardus in fragmento de Pontificibus Romanis, hæc scribens post mortem Stephani VII.

Post hunc luce brevi Romani regimine surgunt.
Quatuor haud plenos tractans it culmina menses.
Æthere suscipitur meritos sortitus honores.

Acta Stephani VII. contra Formosum statim abrogavit. Infelicissimo eo sæculo ne schismatibus scinderetur Ecclesia, Romanus Clerus sæpe cogebatur suis approbare suffragiis, quos præpotentes in Urbe factiones, pro libito ad Pontificatus culmen extollerent.

Corpus ejus in Basilica Vaticana sepultum fuisse tradunt Severanus in Roma Subterranea, lib. 2. & Oldoinus in Necrologio ad diem 19. Augusti.

CXVII.

117.



NOTÆ.

THEODORUS II., patria Romanus, Photii filius, incertis menfe, ac die electus eft Pontifex, qui ftatim partes Formofi Papæ tutatus eft, & Stephani VII. fectatores perfecutus eft. Eximie commendatur a Frodoardo de Pontificibus Romanis. Electus eft anno 898. fed parum tamen vixit in Pontificatu, nempe bis denos dies, ut ex pluribus auctoribus, atque Catalogis, referunt Baronius, Oldoinus in Additionibus ad Ciacconium, ac etiam Pagius in Breviario; tradunt enim electum fuiffe 13. Kal. Septembris anni fuperius indicati, & defunctum VI. Idus Septembris fequentis.

Notat Pagius, Corpus ejus fepultum fuiffe apud S. Petrum, & ex Auxilio lib. 2. cap. 2. Corpus Formofi Papæ, quod pertinaciter a Stephano VII. ejectum fuerat, cum exultatione a Theodoro ad Apoftolicam reduxiffe traditur.

CXVIII.

118



NOTÆ.

JOANNES IX., patria Tiburtinus, Rampoaldi filius, ex Monacho S. Benedicti, & Diacono S. R. E., Romanus Pontifex, expulfo invafore Sedis Apoftolicæ Sergio, legitime electus eft circa medium Julii 898., qui Romæ coacto Concilio, Acta Stephani VII. contra Formofum abrogavit, & incendit. Obiit circa initium Augufti anni 900. Ita Pagius in Breviario, ex cujus calculo corrigendus videtur Baronius, qui eidem tribuit Sedis Annos tres, & Dies 15. quem fequitur Oldoinus in Necrologio ad 23. Septembris. Annotator etiam Baronii obfervat, Joannem vix ante initium Augufti fcribere potuiffe Epiftolam refponfivam ad Herveum Archiepifcopum Remenfem, quæ extat Tom. 9. Conciliorum, ex quo idem Pagius ait, everti opinionem Papebrochii afferentis, illum obiiffe die 26. Martii anni 900. ideoque etiam ex variis Catalogis dicendum effe, fediffe An. II. & dies 15., a medio fcilicet Julio an. 898. ufque ad initium Augufti anni 900. nec id removeri poffe.

Corpus Theodori tumulatum fuit in Bafilica Sancti Petri ante portam Guidoneam, cum Epitaphio, quod ex Manlio refert Baronius Tom. x.

CXIX. CXX.

119



120



NOTÆ.

BENEDICTUS IV., Romanus, filius *Mammoli*, Canonicus Regularis, quo die ad Sedem Apostolicam fuerit evectus, minime constat: ex adductis tamen a Pagio in Breviario apparet, eum sedisse die 30. Augusti anni 900. In ejusdem sæculi corruptissimis moribus, laudatissime vixit, & humanissimus fuit, ac effusæ charitatis in pauperes. Sub initium Octobris anni 903. ad Superos abiit, cum sedisset Annos III. & Menses II., ut legitur in Catalogis VII. & VIII. Criticæ Baronianæ præfixis. Eximie laudatur in Epitaphio a Manlio edito, & a Baronio relato Tom. x. ad ann. 907. necnon etiam ex Frodoardo in fragmento Romanorum Pontificum. Corpus ejus in Basilica S. Petri sepulchrum accepit.

Dolendum certe est (ait Pagius) omnia tanti Pontificis gesta, injuria temporum periisse.

NOTÆ.

LEO V. e Villa Priapi in Agro Ardeatino, Monachus Ordinis Sancti Benedicti, & S. R. E. Cardinalis statim legitime sufficitur in Sede Apostolica. Non diu tamen sedit; nam ut testatur Sigebertus, a Christophoro familiari suo Presbytero captus, atque in carcerem detrusus, sive in Monasterium, ibi mærore extinctus est. Quidam Catalogi sedem ejus statuunt ad dies XL. alii vero ad M. I. & D. XXVI. quod notat Pagius in Breviario, ubi animadvertit, diem obiisse circa finem Novembris ejusdem anni; cum certe mense Decembri Christophorum sedisse tradat Frodoardus in fragmentis, & ex hoc ejus versu deducitur.

Emigrat ante suum, quam luna bis impleat Orbem.

De Leone V. Oldoinus mentionem facit in Necrologio ad diem 24. Maji, & subinfert, eum suasione Christophori, abdicato Pontificatu, vitam Monasticam, quam antea professus fuerat, reassumpsisse.

Corpus ejus sepultum fuisse in Basilica Lateranensi tradit Ciacconius.

CXXI.

121



N O T Æ.

CHRISTOPHORUS, patria Romanus, ex patre Leone Presbytero Cardinali Tituli S. Laurentii in Damaso, expulso Leone V., Romanam Sedem occupavit circa finem Novembris anni 903. approbatus tamen a Clero legitime sedit, & communiter, ut verus Pontifex habitus fuit: sed qui Leonem expulerat, & ipse a Sergio comprehensus, se abdicare, & Cœnobium inire cogitur, unde etiam extractus, conjectusque in carcerem, misera morte vitam clausit. Id contigisse notat Pagius circa initium mensis Junii, anni 904. & ex Frodoardo, modicum ultra sex menses vixisse in Pontificatu, constat ex ejusdem versu:

Dimidio, ulteriusque parum dispensat in anno.

Oldoinus in Necrologio de eo agit ad diem 24. Decembris, & post obitum conditum fuisse ait in Vaticana Basilica.

CXXII.

122



N O T Æ.

SERGIUS III., patria Romanus, filius Benedicti, ex Comitibus Tusculanis, suorum potentia Sedem Apostolicam invasit (qui etiam Theodoro II. fuerat intrusus, sed statim ejectus) sed post Christophorum approbatus a Clero Romano ordinatus est ineunte mense Junio anni 904. Acta Formosi Papæ confirmata a Theodoro II. & Joanne IX. ex vetere in eum odio, pro infectis esse jussit. Nihiluminus in quæstione facti, non juris, & ipse erravit cum Stephano VII. non vero in falsa doctrina. Baronius Sedem tantum triennalem illi attribuit. At Pagius in Breviario ex Hermanno Contractu, Martino Polono, ac plerisque Catalogis, eum sedisse ait Annos VII. Menses III. ac dies aliquot, sed quicquid sit de diebus, certum est, ait ipse auctor, durationem Sedis ejus plusquam septennalem fuisse, quod ex verbis Frodoardi apparet, qui de ejus Sede sic ait:

Præsule gaudet ovans annis septem amplius Orbis.

Oldoinus in Notis ad Necrologium, sub die 9. Aprilis tradit, Sergium hunc sepultum fuisse in Basilica Lateranensi, quam ipse jam antea terræmotu collapsam instauraverat, & ornamentis aureis argenteisque decoravit.

CXXIII.

123



N O T Æ.

ANASTASIUS III. Romanus, Luciani filius, Sergio sufficitur circa finem Augusti anni 911., qui modeste, atque integre vixit. Obiit vero circa medium mensis Octobris anni 913. non vero 23. Novembris anni 914., ut scribit Papebrochius. Ex calculo itaque Pagii, sedit Annos II. & Menses circiter duos. Baronius in hanc Epocham concurrit, non vero in Annum ejus electionis, & obitus, cum electum tradat anno 910. defunctum vero an. 912. Oldoinus quoque non recte diem obitus consignat diei 4. Junii.

Eum laudant Scriptores, ut virum probum, & prudentem. Ejus Corpus in Basilica S. Petri tumulatum fuit.

CXXIV.

124



N O T Æ.

LANDO, seu LANDUS, patria Sabinus, ex patre Luciano, Anastasio suffectus est in Pontificatu, die 16. Octobris anni 913. Obiisse dicendus est circa diem 26. Aprilis anni 914. cum Frodoardus scripserit, Sedem illum tenuisse Mensibus VI. ac diebus X., ut etiam, exacto calculo tradit Pagius in suo Breviario. Oldoinus mendose obitum ejus affixit diei 28. Decembris, supra menses autem VI. dies addit 22. Alii vero tradunt, vixisse in Pontificatu Menses 4. & dies 10. Sed Pagius affert fragmentum Frodoardi de Pontificibus Romanis, in quo etiam post versus de Anastasio sic habet:

Lando dein summam Petri subit in ordine Sedem
Mensibus hanc coluit sex, ut denisque diebus
Emeritus Patrum sequitur quoque fata priorum.

Ex Oldoino sepultus habetur in Vaticano.

CXXV.

125



NOTÆ.

JOANNES X., patria Ravennas, ex Ravennatensi Archiepiscopo, opera impudentissimæ Theodoræ in Sedem Apostolicam intrusus, & accedentibus Cleri Romani suffragiis, legitimus, & verus Pontifex habitus est circa finem Aprilis anni 915. Spiritus militaris Joannis utilis fuit Ecclesiæ, nam Saracenos penitus debellavit, qui Apuliam, & Calabriam devastarunt, & Berengarium unxit Imperatorem ad referendam ei gratiam, ob auxilium scilicet, quod contulerat adversus Saracenos. In isto, & in aliis intrusis legitimus Pontificatus jam nusquam ventilatus est, quia accedebat consensus Cleri. Juxta exactum Pagii calculum, sedit is Annos XIV. M. II. & D. III. idque ex testimonio Frodnardi comprobatur, atque plurium Catalogorum. Anno igitur 928. opera Maroziæ filiæ supramemoratæ Theodoræ per Vidonem maritum suum Tusciæ dominantem, in carcerem detrusus Joannes suffocatus est faucibus cervicali occlusis. Teste Frodoardo sedit Joannes bis septem Annos.

Sepultus est in Laterano, ut habet Oldoinus in Necrologio Pontificum sub die 7. Aprilis.

Baronius ejus intrusionem figit ad annum 912. obitum vero ad 928. ac perinde tenet, eum sedisse Annos XVI. Sed assentiendum esse putamus exactiori calculo Pagii, quem sequitur Sandinius.

CXXVI.

126



NOTÆ.

LEO VI. Romanus, Christophori Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Primicerii, ex legitimo matrimonio, filius, Joannis Successor datus circa finem anni 928. qui & ipse dejectus, in carcere periit, circa initium Februarii anni 929. Baronius tradit, Leonem sedisse menses sex dies 15. Pagius vero fretus authoritate Frodoardi menses VIII. & dies quinque habet; legit enim in Frodoardo.

Pro quo celsa Petri sextus Leo regimina sumens.
Mensibus hæc septem servat, quinisque diebus.

De Leone Oldoinus in Necrologio agit ad 23. Octobris, ubi ait, ipsum ex familia Gemina, quæ sanguinea postea dicta est, ortum fuisse.

Sepultus est in Basilica S. Petri.

CXXVII.

127



NOTÆ.

STEPHANUS VIII., patria Romanus, Theodemundi filius, ad Apoſtolicam Sedem elatus eſt die tertia Februarii anni 929. Ejus manſuetudo, & Religionis affectus commendatur. Obiit autem circa diem 15. Martii anni 931. ex calculo Pagii, & ex auctoritate Frodoardi in fragmento Romanorum Pontificum, ubi legitur:

Septimus hic Stephanus binos præfulget in annos

Aucto menſe ſuper biſſeno, ac ſole jugato. Appellatur *Septimus* a Frodoardo juxta morem plurium antiquorum, qui Stephanum II. ex cauſis jam dictis prætermittebant. Ita ſeditionibus vexatus eſt, ut nihil memoria dignum toto ſui Pontificatus tempore agere potuerit, immo in ſeditionibus mutilatus turpiter, in publicum prodire ſemper erubuit.

Sepultus fuit ad S. Petri Baſilicam Vaticanam. Baronius præter annos duos, & M. unum, dies addit 15.

Sandinius in Notis ad Stephanum hunc, quem VII. appellat, animadvertit, Luitprandum, omiſſo Stephano, ejuſque deceſſore Leone VI. Joanni X. ſuffeciſſe Joannem XI. & putat id forte feciſſe, quod nulla res geſta inſignem illorum Pontificatum fecerit. Utrumque tamen in Romanis Pontificibus numerant Frodoardus Scriptor coævus, Hermannus Contractus, Marianus Scotus, ac Sigebertus.

CXXVIII.

128



NOTÆ.

JOANNES XI. Romanus, Sergii III. ex impudentiſſima Marozia filius intruditur juvenis adhuc in Apoſtolicam Sedem, ſed tamen ſuffragiis legitimis Cleri Romani ſedere cœpit circa diem 15. Martii anni 931. qui Vidonis Tuſciæ Marchionis Maroziæ, tunc mariti potentia Pontifex fuit conſtitutus, atque ordinatus eſt circa medium ipſum menſem. In carcerem detruſus fuit Joannes ab Alberico ejuſdem Maroziæ filio, quem ex Adelberto Marchione ſuſceperat, a quo etiam coactus fuit an. 934. concedere Patriarchæ Conſtantinopolitano, ut abſque alio Romani Pontificis permiſſu, ipſe, & ſucceſſores Pallio uterentur, quod procuravit Albericus a Papa captivo, corruptus muneribus Imperatoris Conſtantinopolitani, ex quo factum eſt, ut mos inoleverit apud Græcos Epiſcopos, ut omnes Palliis utantur.

Mortuus eſt autem Joannes Initio Januarii anni 936. cum ſediſſet Annos IV. & M. X. cum qua Epocha fere omnes Catalogi concordant. Pagius in Breviario animadvertit, Textum Frodoardi corruptum eſſe, & ubi legitur *geminum in annum*, legendum eſſe, *quintum fere nactus in annum*.

Sepultus fuit in Laterano.

CXXIX. CXXX.

129.



130.



NOTÆ.

LEO VII., patria Romanus, incerto tamen genere, Vir probus, renitens Joanni XI. in carcere defuncto suffectus est Pontifex ante diem 9. Januarii anni 936. Hic Pontifex pluribus, magnisque virtutibus præditus, S. Hugonem Abbatem II. Cluniacensem, Romam venire jussit, ut collapsum in Urbe Monasticam, & disciplinam restitueret, reædificatoque Monasterio juxta Basilicam S. Pauli via Ostiensi, illud sancto Viro regendum attribuit. Cum autem miserabili universalis Ecclesiæ malo mederi constituisset, circa diem 8. Julii anni 939. e vivis ereptus est, cum sedisset An. III. M. VI. & D. X. ut habent plures Catalogi, & Honorius Augustodunensis, aliique Scriptores relati a Pagio in Breviario. Oldoinus in Necrologio eandem Sedis Epocham refert, & sepultum fuisse tradit apud S. Petrum, ut etiam testatur Frodoardus, qui in hoc Pontifice absolvit Libellum suum de Pontificibus Romanis, qui habetur apud Muratorium To. 3. Scriptorum Rerum Italicarum parte 2. pagina 324.

Baronius illi attribuit Annos III. & Menses tantum VI.

NOTÆ.

STEPHANUS IX. patria Germanus, opera Otthonis Regis Germaniæ electus fuisse Pontifex a nonnullis dicitur, quod tamen alii negant, quod Otho Rex Germaniæ eatenus nihil juris haberet in Italia. Litteris excultus, virtutibusque plurimis ornatus fuit; sed tamen a Romanis sæpius seditionibus vexatus, per Alberici tumultum, a quibusdam sacrilegis fuit facie deformatus. Electus porro fuit circa diem 18. mensis Julii anni 939. Ineunte vero mense Decembri anno Christi 942. ex hac vita migravit. Annus mortis habetur a Sigeberto in Chronico, atque ab Hermanno Contracto, menses suppeditant Martinus Polonus, Catalogi plures, aliique veteres Scriptores, qui passim illius Sedi tribuunt An. III. Plerique M. IV. & dies V. alii dies XV. addunt. Quæ omnia habentur, ex calculo exacto Pagii in Breviario. Eandem Epocham refert Baronius. Sed Panvinius videtur corrigendus, qui Annos habet duos, & menses aliquot, ut notat Oldoinus in Necrologio ad diem 21. Octobris, quam emortualem illi facit; & ex eodem. Sepultus est in Vaticano.

CXXXI.

131



✠ MARINVS II.
&
MARTINVS III.
SED. AN. III.
M. VI.
D. XIII.

NOTÆ.

MARINUS II. dictus MARTINUS III. circa finem anni 942. in locum Stephani electus est Romanus Pontifex, pacis amator, ac Religioni addictus, qui Templa vetustate collapsa instauravit, pauperes eleemosynis pavit, Clerique, ac Monachorum reformationi maxime studuit. Obiit autem paulo ante medium Junii 946. Martinus Polonus, & Marianus Scotus, ultra Annos III. & M. VI. sedisse tradunt D. XV. emortuali in iis computata. Epocham Annorum III. M. VI. D. XIII. exacto suo calculo approbat Pagius in Breviario, quam etiam habet Baronius ex veteri Codice Vaticano de Romanis Pontificibus. De Marino II. agit Oldoinus in Necrologio ad diem 15. Maji, eumque ait sepultum fuisse in Basilica Vaticana,

CXXXII.

132

✠ AGAPITVS II.
SED. ANN.
X.
M. III.
D....



NOTÆ.

AGAPETUS, seu AGAPITUS II., patria Romanus, Apostolico impositus est Throno ante diem 15. Junii anni 946. juxta exactum Pagii calculum in Breviario; innocentia vitæ, & vigilantia gregis sibi commissi maxime comendatur. Urbis Basilicas instauravit, & Monachis præcipue Casinatensibus plura concessit Privilegia. Synodum habuit apud Sanctum Petrum, in qua Hugonis Principis Francorum damnationem confirmavit, illumque e piorum numero exclusit, donec Ludovico Regi Galliarum satisfactum fuisset. Obiit post diem 20. Augusti anni 956. juxta eundem Pagium; ac propterea sedit hic Pontifex Ann. X. & aliquot menses, ut indicatur a Mariano Scoto, atque a Martino Polono, necnon a quinque Catalogis præfixis Criticæ Baronianæ. Baronius eum appellat *Virum sanctissimum*, eumque tradit sedisse Annos novem, & Menses septem, ac Dies X. Nos exactiorem laudati Pagii calculum sequuti sumus.

Hujus Corpus sepulturæ traditum est in Laterano, ejusque emortualem diem ad 27. Decembris affixit Oldoinus in Necrologio Romanorum Pontificum.

CXXXIII.

133



NOTÆ.

JOANNES XII. *Octavianus* antea dictus, patre Alberico Patricio Romano, qui genitore defuncto, & Clericus factus, Sedem Apostolicam invasit, & licet XVIII. tantum annos ætatis haberet, tamen accedente Cleri Romani consensu, ad evitandum schisma, anno 956. legitime sedit. Notat Baronius, eum electum anno 955. & de ejusdem ætate, ac moribus plura differit. Hic Joannes primus habetur, qui nomen sibi immutaverit, quo super argumento vide quæ in nostris Animadversionibus suo loco diximus. Cum vero inter Otthonem antea ab eo coronatum Imperatorem, & Pontificem dissensiones graves intercessissent, ipse Ottho ludificatus a Joanne, Romam cum exercitu ira incensus venit, & coacta pseudosynodo, jussit exhauctorari Joannem, & eligi quendam Leonem, qui dictus est VIII. anno 963. At Romani, cum reversus esset ad Urbem Joannes, in fugam acto pseudopapa, illum anno sequenti Throno restituerunt, qui sedit usque ad diem 14. Martii, vel juxta alios, diem 16. Maji anni 964. ideoque constat, eum sedisse Annos VII. M. circiter IX. ut firmat Pagius in Breviario. Oldoinus in Necrologio diem emortualem notat ad 14. Maji, quamvis dicat, extra Urbem decessisse, ac sedisse annos 8. menses 4. totidemque dies. Sepultum fuisse ait in Lateranensi Basilica.

CXXXIV.

134



NOTÆ.


BENEDICTUS V. dictus *Grammaticus*, ex Diacono Cardinali, circa finem anni 964. electus, & ordinatus est, vel ut habet Pagius, circa diem 15 Maji, Summus Pontifex, contra voluntatem Otthonis Imperatoris, qui pseudopapam fovebat, quo audito, statim ad urbem reversus, eundem custodiæ mancipavit, restituto Leone, ipsumque Benedictum V. Archiepiscopo Hanburgensi custodiendum tradidit, in Germaniam transferendum. At vero Episcopus illum honorifice susceptum, & magno cum honore Hanburgum deduxit, secumque detinuit. Adamus Brenensis lib. 2. cap. 7. sic ait de hoc Pontifice: *In sancta conversatione vivens, aliosque sancte vivere docens, cum jam Romanis poscentibus, a Cæsare, restitui deberet, apud Hanburgum in pace quievit, transitus autem ejus 4. Nonas Julii contigisse scribitur*. Ex quibus colligit Pagius, ejus sedem fuisse anni I. mensis, ac dierum XII. & obiisse anno 965.

Ossa illius auctoritate Otthonis III. in Urbem translata fuerunt, & condita sunt in Vaticano.

Vir fuit sanctitate illustris, litteris ornatus, & Apostolica Sede dignus. Cujus memoria in Saxonia Catholica singulis annis celebratur. De eo agit Oldoinus in Necrologio ad diem 4. Julii.

CXXXV. CXXXVI.

135 136





NOTÆ.

JOANNES XIII. patria Romanus, Joannis Episcopi, ex legitimo matrimonio antea filius, *Sergius* ante Pontificatum appellatus ex Episcopo Narniensi creatus Pontifex, & die prima Octobris anni 965. coronatur: qui tamen, cum elatiori animo, quam par esset, Romanorum proceres premeret, seditione facta a Rofredo Urbis Præfecto, sede expulsus est, atque a Pandulpho Capuæ Principe liberaliter exceptus, anno sequenti a Romanis revocatus ad suam Sedem, & anno Christi 967. Otthonem II. Imperatorem coronavit. Memor beneficiorum Capuæ acceptorum, cum illic degeret, eam Ecclesiam Archiepiscopatus dignitate insignivit. Exinde reversus in Urbem, Campanam primariam Lateranensis Basilicæ, miræ magnitudinis recens fusam elevari fecit super turrim Campanariam, quam prius ipse Pontifex sacris ritibus consecravit, atque *Joannis* nomine, cujus Ecclesiæ esset usui, nuncupavit. E vivis ereptus est die 5. vel 6. Septembris anni 972. postquam sedisset An. VI. M. XI. ac D. V.

Sepeliri voluit in Basilica S. Pauli Via Ostiensi, ubi legitur ejus Epitaphium, in quo tamen, rotundo numero exprimitur sedisse Annis VII. hoc modo: *Sedit Annos VII. Depositionis ejus dies VIII. Idus Septembris ab Incarnatione Domini anni* DCCCCLXXII. Integrum Epitaphium refert Joannes Severanus in Roma Subterranea Antonii Bosii lib. 3. cap. 4. pag. 215.

NOTÆ.

BENEDICTUS VI. patria Romanus, patre Hildebrando. *Baronius*, atque Panvinius in Chronico Ecclesiastico, post Joannem XIII. collocant DONUM II. sed uterque Pagius, ex Sigeberto, & antiquioribus Catalogis, Dono præponendum esse Benedictum statuunt; & hunc ordinatum fuisse post diem octavam Novembris anni 972. Paulo post a Crescentio tyranno custodiæ mancipatus est in Arce S. Angeli, ibidemque crudeliter strangulatus; at cum non constet de mense, ac die, incompertum est, quanto tempore sederit, ut notat junior Pagius in Breviario. Baronius vero ad annum 974. ait, Benedictum sedisse annum unum, menses tres, & dies aliquot; & haud est inverisimile, nam etsi Baronius Benedicto Donum præposuerit, qui Pontifex tantum fuit trium mensium, ab obitu tantum Joannis XIII. usque ad electionem Benedicti VII. quæ contigit 21. Martii anni 975. cui etiam anno eam alligavit Baronius, intercessit spatium duorum annorum, mensium quinque, ac dierum 19. Atque hanc Epocham a Pagio, & Baronio traditam exprimendam in hac Chronologia curavimus. Oldoinus tradit, eum decessisse die 6. Idus Julii. Corpus ejus tumulatum fuit in Basilica Vaticana.

CXXXVII.

137



NOTÆ.

DONUS II. patria Romanus, aliis DOMNIO, testimonio Mariani Scoti, Sigeberti, & aliorum Scriptorum, necnon veterum Catalogorum post Benedictum VI. sedit. Nam licet post Benedicti mortem, Franco quidem Ferrutii filius, Diaconus Cardinalis, fretus potentia Cincii, Sedem occuparit Apostolicam, quam sub nomine Bonifacii VII. tenuit mensibus 13. ut tyrannus tamen ab antiquioribus inter Pontifices non numeratur: exagitatus vero, & metuens sibi a Comitibus Tusculanis, expilata Basilica Vaticana, Constantinopolim profugit. Interim electus est die 20. Septembris Donus II. eujus Sedis Epocham refert Cardinalis Baronius ad annum 972. & obiisse ait die 19. Decembris, quam fere omnes amplectuntur exactiores Chronologi, ac etiam Pagius. Oldoinus quoque in Necrologio, mortem Doni ad 19. Decembris enunciat, & in Notis addit, Joannem Stellam contra omnes Scriptores, illi attribuere Annum unum, & Menses VI.

Panvinius in Chronico Ecclesiastico pag. 82. Baronius, & alii Joanni XIII. subrogant Donum II. Pagius uterque Benedictum VI. His assentitur Sandinius in Nota ad Doni II. vitam, quia Auctores habent Sigebertum, & antiquissimos Romanorum Pontificum catalogos.

CXXXVIII.

138



NOTÆ.

BENEDICTUS VII. Romanus, antea *Deusdedit* dictus, ex Comitibus Tusculanis Alberici Consulis filius, Episcopus Sutrinus, Dono suffectus est in Pontificatu ante diem 25. Martii anni 975. omnium suffragiis, qui Bonifacium invasorem Sedis abire coegerat. Ex Epitaphio ejusdem sepulchro affixo, quod legitur in Basilica S. Crucis in Hierusalem, constat eum obiisse die 10. Julii 984. & in ea sepultum fuisse, quam cum proximo Monasterio vetustate collabentem reparaverat. Inscriptionem refert Baronius ad annum prædictum. Nullum dubium esse potest, ut observat Pagius quin menses aliquot sederit supra annos IX. cum coronatus fuerit mense Martii, obierit vero mense Julii die 12. Catalogi quoque ab eodem Chronologo relati, fere omnes illi attribuunt Annos IX. & octavus Catalogus præfixus Criticæ Baronianæ, & Marianus Scotus addunt M. VI. sextus vero M. V. quod probabilius esse videtur. Vir fuit singularis doctrinæ, Justitiæ, & Charitatis laude commendatus, quietam tranquillamque Urbem reddidit ob comprehensos, & gravi pœna mulctatos grassatores.

Sepultus est in prædicta Basilica S. Crucis in Hierusalem.

CXXXIX. CXL.

139



140



N O T Æ.

JOANNES XIV. antea *Petrus* nuncupatus, ex Epiſcopo Papienſi,& Archicancellario Otthonis II. Imperatoris, vir doctiſſimus, & multorum Librorum auctor, electus eſt Pontifex Maximus, paulo poſt obitum Benedicti VII. anno 984. & ob reverentiam Principis Apoſtolorum, nomine Petri dimiſſo, Joannes appellari voluit. Sed exactis paucis menſibus, reverſus Conſtantinopoli nefarius Pſeudopapa Bonifacius, Joannem comprehendit, & relegatum in Arce S. Angeli, fame, & veneno extinxit, & præ foribus Caſtelli ſpectandum omnibus expoſuit. Circa ejus Sedem, obſervat Pagius hoc tantum certo conſtare, Joannem creatum fuiſſe poſt diem 10. Julii anni 984. & menſe Martio ſequenti dejectum, & Caſtello incluſum. Ex Epitaphio, quod refert Baronius ad annum 985. habetur: *Defunctus eſt Joannes Papa menſis Auguſti die* 20. & ex hoc reſultat Epocha Sedis ejus M. VIII. & D. X. Hinc corrigendus videtur Oldoinus in Necrologio, qui ejus obitus diem affixit diei 16. Martii.

Sepultus fuit in Baſilica S. Petri.

N O T Æ.

JOANNES XV. natione Romanus ex patre Leone poſtea Presbytero anno 985. menſe Decembri electus eſt Pontifex, ut ex ejuſdem Epiſtola indicata a Pagio in Breviario,& ex Chronologia Hildesheimenſi conſtat. Ex eodem Pagio habetur, eum obiiſſe anno 996. atque ex Mariano Scoto, Martino Polono, & pluribus Catalogis, inchoaſſe undecimum ſuæ Sedis annum, ſed cum incompertus ſit dies mortis, difficillimum eſt divinare, quot menſes, ac dies ſupra decimum annum ſederit. Oldoinus in Necrologio diem mortis ejus refert ad 10. Februarii, quamvis tradat, ab aliis reponi ad 7. Maji, ut facit Baronius, qui eum defunctum tradit nonis Maji, cum ſediſſet annos X. M. IV. & Dies XII. Hanc nos Epocham ſequuti ſumus.

Sepultus eſt apud S. Petrum in Baſilica Vaticana. Porro ut eruditi Scriptores notant Joannes XV. primus Romanorum Pontificum fuit, qui ſolemnibus Canonizationibus initium dedit, ubi nempe S. Udalricum Epiſcopum Auguſtanum congregato Romæ Concilio Sanctorum numero habendum decrevit.

141 CXLI.



CXLII. 142



NOTÆ.

GREGORIUS V. antea *Bruno*, Otthonis Imp. III. affinitate clarus, natione *Saxo-Germanus*, creatus est Romanus Pontifex anno 996. ante diem 28. Aprilis. Cum Crescentii Urbis tyrannidem sustinere nequiret, in Germaniam perrexit, opem afflictis Ecclesiæ rebus petiturus. Venit Ottho Cæsar cum exercitu, Romam expugnavit, & Gregorium suæ Sedi restituens, Crescentium fraudolenter deceptum capite truncavit. Pagius ex ejusdem Epitaphio constare dicit eum obiisse die 18. Febr. an. 999. & electum fuisse mense Aprilis, anni 996. ac propterea eum sedisse statuit Annos II. & M. circiter VIII. & authorem Epitaphii, menses Majum & Februarium, quibus ordinatus & mortuus est, ab illo numero exclusisse, quod denotatur illo adverbio *circiter*, paulo amplius, quam menses octo, supra annos duos, eum sedisse significante: ex quibus constat, Gregorium sedisse annos duos, & menses octo completos. Baronius ad ipsum an. 999. ei Sedem attribuit An. II. M. VIII. ac D. V. ex Ditmaro.

Sepultus est in Basilica Vaticana ante Secretarium.

Baronius tandem ad annum 996. narrat, antequam Ottho se Romam contulisset, jam creatum fuisse Summum Pontificem Gregorium V. & post hæc contra eum fuisse electum per Crescentium alium Joannem Episcopum Placentinum appellatum Joannem XVI. natione Calabrum, & sic conflatum esse schisma in Ecclesia. Hinc merito hic Joannes excluditur a Chronologia Romanorum Pontificum. Cur vero subsequentes Pontifices nomine *Joannis*, appellati fuerint XVII. & XVIII. jam alibi explicavimus.

NOTÆ.

SILVESTER II. natione Gallus, Aquitanus, *Gilbertus* antea vocatus, ex Monacho Aureliacensi, postea auctoritate Otthonis III. Imperatoris, cujus fuerat præceptor, Ravennatum Episcopus, ac etiam ejusdem Cæsaris opera a Clero Romano Summus Pontifex renunciatus est, & in Sede Apostolica collocatus die 2. Aprilis anni 999. Hunc infamavit Benno Cardinalis tempore S. Gregorii VII. impudentissimus calumniator, scribens, magicis artibus, eum evectum fuisse ad Pontificatum. Sed hanc calumniam Baronius, Pagius, aliique Scriptores veterum Auctorum testimoniis egregie confutarunt. Obiit Silvester die 12. Maji anni 1003. ut constat ex Epitaphio ejusdem sepulchro a Sergio Papa IV. affixo, quod extat in Basilica Lateranensi, ex quo calumnia Bennonis refellitur. Non refert tamen, ut observat Pagius, quod in hoc Epitaphio legatur, *lustrali spatio* eum gessisse Pontificatum, cum ibi incompleti anni pro completis ponantur, quod aliquando Historici facere consueverunt; nam exacto calculo Pagii sedit Annos IV. M. I. & D. IX.

Sepultus fuit in Basilica Lateranensi. Cl. Vir. Mabillonius in sua Præfatione ad sæculum v. Benedictinum §. 2. ejusdem sacri Ordinis Alumnum fuisse scribit. Ceterum in memorandis hoc maxime apud Baronium ad annum M. habetur, quod S. Stephanum Hungarorum Ducem, qui Pannoniam perduxerat ad Christi Fidem, Regio Diademate donatum auxit Regis titulo, jusque præferendæ Crucis non ei solum, sed etiam ejus successoribus permisit.

CXLIII. CXLIV.

143



144



NOTÆ.

JOANNES XVI. dictus etiam XVII. Romanus cognomento Siccus, sive Sicconius ex Baronio ad annum MIII. Comitum Tusculanorum factione electus, III. Idus Junii Pontifex consecratur, & post menses quinque, dies quinque & viginti, VII. Idus Decembris moritur. Idem Baronius post Silvestrum II. recte ponit Joannem XVI. cognomento *Siccum*, & post hunc alium Joannem XVIII. sed ad evitandam confusionem absque veritatis præjudicio post Joannem XVI. duos alios Joannes nempe XVIII. & XIX. enumerat. Pagius vero post Gregorium V. exhibet Antipapam Joannem, eique apponit numerum XVI. Post Silvestrum vero alium Joannem XVII. ut verum Papam, & eodem anno 1003. tertium Joannem XIX. Sed excluso a nostra Chronologia Joanne, quem ipse XVI. appellat, qui vere fuit pseudopapa, necesse est, ut numerus XVI. impleatur per Joannem, quem ipse appellat XVII. qui vere fuit Papa; viderique de isto possunt quæ diximus in Animadversionibus, Capite XVI. occasione cujusdam lapideæ inscriptionis recens detectæ Rapugnani Diœcesis Firmanæ, ex qua apparet Epocha ejusdem Sedis. Inde constat electum fuisse die 9. mensis Junii, & e vita migrasse die 31. Octobris anni 1003. ac propterea illum sedisse M. IV. ac dies XXII. comprehensis electionis, mortisque diebus. Nos vero in Chronologia sequuti sumus Epocham ab aliis traditam, cum nondum detecta fuisset citata Inscriptio.

NOTÆ

JOANNES XVII. aliis dictus XVIII. (quo numero ab aliis includuntur etiam schismatici) *Fasanus* etiam appellatus, seu, ut tradit Oldoinus in Necrologio, *Fanassus*, de Vico Portæ Mathodii, patria Romanus, eligitur Pontifex anno 1003. & ordinatur die 26. Decembris. Cardinalis Baronius eum appellat XIX. Pagius vero XVIII. cum inter Pontifices, Joannem Placentinum, seu Joannem, ut appellat XVI. recenseat. Baronius ait eum sedisse Annos V. at ex calculo exactiori Pagii, cum fuerit consecratus die 27. Decembris anni prædicti 1003. & morte sublatus circa finem Maji anni 1009. constat, eum ultra Annos V. sedisse quoque M. V. Ejus diem emortualem tradit Oldoinus ad 18. Julii, eumque sedisse inquit M. septem, diesque undeviginti, supra quinquennium, & sepultum fuisse Laterani. In Notis ait, Panvinio affirmante, depositum in Vaticano.

Hujus Pontificis tempore Constantinopolitana Ecclesia cum Ecclesia Romana conjuncta est, Catholica Communione, & a Sergio Patriarcha ipsius Joannis nomen in sacra Dyptica relatum. Monachis Benedictinis ac præsertim Cassinensibus multa concessit Privilegia hic Pontifex, quæ eorundem Scriptores recensent.

CXLV. CXLVI.

145



146



NOTÆ.

SERGIUS IV. Romanus, nobili familia, ex Patre Martino natus, antea *Petrus* nuncupatus, ex Episcopo Albanensi, Summus Pontifex creatus; ob reverentiam Principis Apostolorum, nomen sibi immutare placuit: inthronizatus est anno 1009. die, ac mense incertis. Saracenos e Sicilia expulit, & Hungariæ accessione Romanam Ecclesiam ampliorem reddidit. Baronius ex Epitaphio quod extat in Basilica Lateranensi tradit eum sedisse annos duos, menses octo, & dies 13. quod tamen non probatur a Pagio, cum diversimode Epitaphium illud exponatur a Ciacconio, & Raspono, & corrupte quoque a Crescimbenio, in Compendio rerum magis notabilium ejusdem Basilicæ, edito anno 1725. qui, cum in authographo litteris Romanis sculptum sit: *Qui sedit Ann. II. M. VIIII. & D. XII.* illi, duo elementa II. pro numeris arabicis accipientes in notas numerales antiquas Romanorum vertentes, sic expresserunt: *Qui sedit Ann. XI. M. IX. & Dies XII.* Unde patet error eorum. Pagius ex calculo deducto a Diplomatibus ipsius Sergii, ac etiam Benedicti VII. ejus successoris colligit, eum decessisse die 17. Junii, anno 1012. ideoque sedisse An. II. & M. VIII. quibus addendos duximus dies indicatos a Baronio, & ab ejusdem sepulchrali Epitaphio. Oldoinus ejus obitum retulit ad diem 29. Maji.

Mabillonius in Indice Sanctorum prætermissorum Sec. 6. Benedictini p. 1. ait: *Quamvis nullo publico cultu donatus sit, ejus tamen memoria in Menologio Benedictino legitur die 18. Augusti.*

NOTÆ.

BENEDICTUS VIII. ex patre Gregorio Comite Tusculano, dictus antea *Joannes Episcopus Portuensis*. Ex calculo Pagii constat solum, hunc Benedictum post diem 17. Junii, & ante diem 3. Novembris anni 1012. Pontificatum suscepisse, sed a Gregorio quodam, qui Sedem Apostolicam invasit, expulsus, in Germaniam ad Henricum Regem fugere coactus est; & collecto exercitu, Rex cum ad Urbem accessisset, Benedictum suæ Sedi restituit, a quo etiam coronatus est Imperator, qui sanctimonia præclarus, dictus est S. Henricus Imperator I. Cum dies ordinationis ejus certo definiri non valeat, observat tamen Pagius, ex pluribus Scriptoribus, ac Catalogis, Sedi illius assignari Annos XI. M. XI. & dies XXI. Baronius ad annum 1024. obitum Benedicti VIII. consignat diei 3. Kalendas Martii ejusdem anni, cum sedisset Ann. XII. ut habet Marianus Scotus. Hunc Pontificem a purgatoriis pœnis liberatum precibus Sancti Odilonis Abbatis Monachorum Cluniacen., quos plurimum coluerat, scribit S. Petrus Damiani.

Corpus Benedicti VIII. sepultum fuisse in Basilica Vaticana an. 1024. tradit Severanus in editione Romæ Subterraneæ lib. 2. cap. 6. pag. 104.

CXLVII. CXLVIII.

147 

 148

N O T Æ.

JOANNES XVIII. dictus XIX. ac etiam XX. ex Comitibus Tusculanis, & Benedicti Prædecessoris germanus frater, ex laico repente acclamatus est Papa; accedente tamen approbatione Cleri Romani, legitime sedit anno 1024. Ex calculo Pagii certum est, ordinationem ejus peractam fuisse post diem 6. Junii ejusdem anni, illusque Sedem fuisse Annorum IX. ac totidem dierum, in plerisque Catalogis constitutam, in quibus ejus mors consignatur anno 1033. Baronius vero eum sedisse scribit Annos IX. M. VIII. & dies aliquot. Oldoinus in Necrologio emortualem diem illi assignat ad 8. Novembris, eumque Monachum S. Benedicti facit. Si vera sint, quæ ex Glabro notat Baronius ad annum 1024. probari nullatenus poterit, *cum largitione pecuniæ repente ex laicali Ordine* constitutum fuisse Præsulem Ecclesiæ Catholicæ. Teste Sancto Petro Damiani, S. Romualdum Abbatem, defunctum anno 1024. Sanctorum numero adscripsit, quinquennio ab ejus obitu, & ut inter alios notat Baronius, hic Joannes Pontifex Regem Germaniæ Conradum solemni ritu coronavit Imperatorem.

Sepultus est in Vaticano inter portam argenteam, & Ravennianam.

N O T Æ.

BENEDICTUS IX. Alberici Comitis Tusculani filius, duorum præcedentium Pontificum nepos, tyrannide patris, anno 1033. in Sedem Apostolicam intrusus est, puer adhuc annorum 12. & accedente Cleri Romani consensu, legitime sedit, & verus Pontifex habitus est, & ordinatus est incerto tamen die. Leo Ostiensis tradit eum sedisse Ann. XII. sed incompletos, usque ad annum 1044. quo electus est Gregorius VI. pluries licet expulsus, iterum tamen resumpsit Sedem. Quicquid fuerit de turpi ejus vita, quæ recitatur in Annalibus a variis Scriptoribus, & de ejus morte, sciendum est, ejusdem sepulchrum anno 1739. detectum fuisse in Ecclesia Abbatiæ S. Mariæ Cryptæ Ferratæ, in Agro Tusculano; qua occasione, R. Gregorius Placentinus ejusdem Cœnobii Monachus an. 1747. in lucem edidit Opusculum, in quo auctoritate Codicum ejusdem Monasterii probat, hunc Benedictum IX. persuasione Sancti Bartholomæi Abbatis ejusdem Cœnobii, ultro cessisse Pontificatui, & in eo Monasterio Institutum, pœnitentiæ causa amplexum fuisse, & in eo usque ad mortem perseverasse, nempe ad annum usque 1044. nec amplius Sedem repetiisse, ut perperam aliqui scripserunt. Ab anno igitur 1033. usque ad 1044. fluxerunt Anni XI. quibus sedit. Exhibet etiam Auctor effigiem Benedicti, quæ olim picta habebatur in eo Monasterio habitu Monachali induti Beatæ Virgini Tiaram Papalem offerentis. Ex quibus apparet verum non esse, quod Benedictus post Clementem II. qui decessit ann. 1047. Sedem iterum occupasset.

CXLIX.

149



N O T Æ.

GREGORIUS VI. antea dictus *Joannes Gratianus*, Archipresbyter Sancti Joannis ante Portam Latinam patria Romanus, Pontificatu, quem a Benedicto IX. anno 1044. acceperat, anno 1046. sponte se abdicavit in Concilio, quod Henricus III. cognomine *Niger* successor Conradi II. Rebus Ecclesiæ Romanæ componendis, Sutrii habendum curaverat. Leo Ostiensis, qui hoc tempore floruit, Lib. 2. Chronici Casinensis, Cap. 79. addit, *ab Imperatore invitatum fuisse Pontificem, ut Synodo præsideret, ut quamvis ipsius causa ageretur, ipse tamen Summus Judex esset*. Teste Lupo in suis ad Concilia Scholiis Tomo 4. novæ editionis pag. 172. Gregorius VI. auctor fuit militiæ Papalis, cum Italia latronibus plena esset, laici omnes S. Petri possessiones invasissent, Papalis excommunicatio sperneretur, & Henricus III. Imperator Germanicis bellis occupatus auxilium negaret. Annos duos, & menses octo Pontificis munere functus traditur, licet nonnulli annum I. menses VII. & dies XX. ejus Pontificatui tribuant. Ob Ecclesiæ pacem sponte cessit Pontificatu in memorato Concilio; & ne præsente ipso Romæ aliquid innovaretur, a laudato Henrico deductus in Germaniam, ibidem e vita migrasse dicitur in Monasterio Cluniacensi, ubi etiam tumulatus fuit.

CL.

150




N O T Æ.

CLEMENS II. Natione Saxo, antea *Suidgerus*, Episcopus Bambergensis, Vir probus, ac litteris eruditus, Sutrino in Concilio invitus eligitur Pontifex prope Natalem Domini anni 1046. & in ipsa die Natali inauguratus, in qua etiam Henricum cum Agnete conjuge Imperiali benedictione sublimavit in Vaticano, & Concilium in Laterano contra Simoniacos celebravit. Una cum Imperatore anno 1047. iter in Germaniam suscepit. Ubi tamen non diu mansit; nam anno eodem reversus, Romæ, vel in partibus Romanis vita sublatus est post Menses IX. & Dies XV. a sua promotione. Corpus ejus ex supremis tabulis ad Ecclesiam Bambergensem delatum, in ejusdem Choro magnificentissime conditum fuit. Ex calculo Pagii obiit Clemens vel Romæ, vel in partibus Romanis, & quidem die nona Octobris, ut ostendunt verba Brevis Leonis Papæ IX. Papebrochius in Conatu Chronico-Historico exhibet accuratam tumuli Clementis delineationem, necnon Epitaphium in eo appositum. Porro idem Auctor ex Epistola, qua Clemens II. Ecclesiam Bambergensem de tradito sibi Pontificatu facit certiorem ita colligit: *Videtur factus Pontifex non dimisisse titulum Episcopi Bambergensis, uti neque paulo post sequuti Victor II. & Nicolaus II. dimiserunt titulos &c.*

CLI.

151



N O T Æ.

DAMASUS II. antea Poppo Episcopus Brexinensis in Germania, auctoritate Henrici Imperatoris cunctorum suffragiis renunciatus est Pontifex, & inthronizatus medio mense Julio anni 1048. Causa, cur tandiu Damasi II. inthronizatio dilata fuerit, explicatur a Pagio in Breviario. Paucis tamen post inthronizationem suam diebus ex hac vita migravit, nam cum ad evitandos Urbis æstivos, & exitiales æstus se Præneften contulisset, ibidem mortuus est die 8. Augusti, vel die 10. ut habet Oldoinus. Anselmus in Itinerario S. Leonis IX. habet dies 30. rotundo numero. Leo tamen Ostiensis assignat Dies XXIII. ut in nostra Epigraphe, qui numerus verior esse probatur. Corpus ejus Romam delatum, in Basilica Sancti Laurentii extra Muros conditum fuit.

Pagius, & nonnulli ante Damasum tradunt Benedictum IX. tertio repetiisse Sedem, atque ab eo Damasum necatum fuisse. Refert hæc Cardinalis Benno, de quo tamen, ut alios omittam, ita scribit Cardinalis Baronius ad annum 1048. *Hujus plura sunt mendacia quam verba*. Ex vita etiam Sancti Bartholomæi Abbatis Cryptæ Ferratæ constat, Benedictum IX. ex quo ab ipso Sancto persuasus fuit Pontificatui renunciare, & vitam Monasticam profiteri, nunquam ad vomitum rediisse, ut etiam alibi notavimus.

CLII.

152



N O T Æ.

SANCTUS LEO IX. Hugonis Comitis Daspurgensis filius, *Bruno* antea appellatus, ex Episcopo Tullensi, instante Clero, & Populo Romano Romam missus est ab Imperatore Henrico III. ubi legitimis suffragiis electus, & confirmatus est Summus Pontifex in die Purificationis B. M. V. anno 1049. atque inthronizatus die 12. ejusdem mensis. Vir utique sanctissimus. Hic cernens S. R. E. Presbyteros ob præpotentiam Romanorum Procerum, pauca auctoritate pollere, ex quo tot monstra cogerentur ab iisdem proposita approbare, ne schismata orirentur, primus omnium, Cardinalatus Dignitatem, & Titulos, Episcopis, aliisque nobilitate claris Viris, rejecta actuali cura Titulorum in inferioris Ordinis Presbyteros, tradere cœpit, qui in electione Pontificis prævalerent tyrannis. Pagius S. Leonem obiisse statuit die 19. Aprilis anni 1054. ac proinde sedisse Annos V. M. II. & Dies VII. computando diem 12. Februarii anni 1049. quo inthronizatus est, & diem 19. Aprilis. Ex proximioribus autem ejus successoribus aliqui hunc morem sequuti sunt, alii vero ab ipsa electionis die, quæ enumerandi ratio ex tunc prævaluit, ut notat ipse Pagius. Rectius tamen hic appellandus foret Leo VIII. ut notavimus in nostris Animadversionibus.

Corpus ejus sepultum fuit, atque colitur in Basilica Vaticana, miraculis clarum; atque hic unus ex Summis Pontificibus fuit, qui Episcopatus una cum Summo Romano Pontificatu retinuere.

CLIII. CLIV.

153


154


NOTÆ.

VICTOR II. antea *Gebehardus* Episcopus Aistettensis, Henrici III. Consiliarius, natione Bavarus, electus est opera Hildebrandi Cardinalis, qui postea fuit S. Gregorius Papa VII. quem Clerus Romanus ad ipsum Imperatorem ablegavit, ut sui vice eligeret, ac Romam deduceret, personam ab se confirmandam, quam ad tantum opus idoneam agnosceret. Gebehardus itaque invitus ad Urbem deductus est ab Hildebrando, ingentique gaudio susceptus, electusque, atque inthronizatus est die 13. Aprilis anni 1055. Plura tamen a Romanis molesta pertulit, & patientissime toleravit. Florentiæ Synodum celebravit, in qua Episcopos complures tum simoniacos, tum ob turpem vitam dignitate privavit, & Clericis vivendi rationes præscripsit. In eodem Concilio, cui & Henricus interfuit sub excommunicatione prohibuit, Ecclesiæ bona alienari, & anathema in Berengarium hæreticum intorsit. Ferdinandum quoque Castellæ, ac Legionis Regem cohibuit, ne contra jus moremque majorum usurparet nomen Imperatoris. Suscepto itinere in Hetruriam, ibidem extinctus est die 28. Julii anni 1057. cum sedisset An. II. M. III. D. XV.

Sepultus est in eadem Urbe in Ecclesia S. Reparatæ.

NOTÆ.

STEPHANUS X. Fridericus antea vocatus Gozelonis Lotharingiæ Ducis filius ex Monacho, & Abbate Cassinensis Cœnobii S. R. E. Presbyter Cardinalis Tituli S. Chrysogoni per vim ab omni populo, ipso solum repugnante, deductus in Titulum S. Petri ad Vincula, salutatus est Pontifex die 2. Augusti anni 1057. & quod ea die celebraretur Festum Inventionis Sancti Stephani Protomartyris, eo nomine appellatus est, ut tradit Leo Ostiensis; qui etiam narrat, non multo post in Hetruriam secessisse, atque Florentiæ morbo deprehensum obiisse die III. Kalendas Aprilis, seu 29. Martii præsente S. Hugone Monacho Cluniacensi, & ibidem sepultus fuit in Ecclesia S. Reparatæ, ad cujus Corpus plurima signa Deus ostendit. Sedit igitur M. VII. D. XXVII.

Licet nomen ejus ad diem 29. Martii in Martyrologio Benedictino, & in aliis sacris fastis celebretur sub Titulo Sancti, aut Beati, nullo tamen publico cultu memoria ejus in Ecclesia recolitur.

CLV.

155



NOTÆ.

NICOLAUS II. patria Burgundus antea appellatus Gerardus Episcopus Florentinus. Post obitum Stephani X. audita ejus morte, Romani quidam, accepta pecunia, noctu invadentes Ecclesiam, acclamarunt Pontificem *Joannem Episcopum Veliternensem*, *Minclum* appellatum, qui nomen sibi assumpsit Benedicti X. dum interea Cardinales, inter quos S. Petrus Damiani, hæc detestantes, per diversa latibula fugere coacti fuerunt, donec post reditum Cardinalis Hildebrandi ex Legatione Germanica (quem expectandum pro electione successoris contestatus erat Clerum Stephanus ex hac vita decedens, sub districti anathematis censura) Senis elegerunt Pontificem eundem Gerardum die 28. Decembris anni 1058. qui ab ipso Hildebrando propositus & Romam deductus inthronizatus est post diem 8. Januarii ann. 1059. Eodem anno Concilium celebravit in Laterano, in quo Berengarius Archidiaconus Andegavensis suam hæresim abjuravit. Constituit, ut electio Romani Pontificis spectaret tantum ad S.R.E. Cardinales. Post alteram Synodum Romæ celebratam, anno 1061. Florentiam profectus, ibidem mortuus est die 22. Junii anni 1061. cum sedisset ex Leone Ostiensi Annos II. & M. VI. Sed ex computo Pagii in Breviario, addendi sunt Dies XXV. a Catalogis attributi, qui tamen eos a die electionis repetunt.

Sepultus fuit in Cathedrali Florentina.

CLVI.

156



NOTÆ.

ALEXANDER II. antea *Anselmus de Bedagio*, Episcopus Lucensis, Anselmi nobilis Mediolanensis filius, & Canonicus in Lucensi Basilica, Vir doctrina, & sanctitate vitæ præclarus, electus est Pontifex die prima Octobris anni 1061. Post ejus Canonicam electionem exortum est schisma opera Agnetis Imperatricis, & filii ejus Henrici IV. qui indignati, quod sine illorum consensu, & auctoritate hoc gestum fuisset, Cadaloum Episcopum Parmensem a duobus tantum Episcopis, nempe Placentino, & Vercellensi eligi in Papam fecerunt. Verum in Synodo Mantuæ indicta, ut legitimus acclamatus est Alexander. Pluribus tandem schismaticorum vexationibus exagitatus, ad Cæleстem patriam migravit die 21. Aprilis anni 1073. cum sedisset Annos XI. M. VI. Dies XXI. ut ex computo Pagii in Breviario. In Basilica Lateranensi renovavit Institutum, & Vitam Canonicorum Regularium. Duo ejus miracula ante obitum patrata recenset Leo Ostiensis in lib. 3. Chronici Cassinensis cap. 35. Cassinum profectus novam Basilicam S. Benedicti dedicavit.

Ejus Corpus terræ datum est in supradicta Basilica Constantiniana, ut refert Oldoinus in Necrologio sub die 22. Aprilis.

CLVII.

157



NOTÆ.

SANCTUS GREGORIUS VII. natione Hetruscus, patria Soanensis, Bonitii filius ante *Hildebrandus* appellatus Ordinis Cluniacensis Monachus, & ex Abbate Basilicæ S. Pauli Via Ostiensi S. R. E. Cardinalis Archidiaconus, Vir sanctitate, eruditione, ac rebus pro S. Ecclesia præclare gestis spectatissimus electus est die 22. Aprilis anni 1073. dum exequiis prædecessoris sui in Lateranensi Ecclesia totus incumberet, & repente exorto populi totius tumultu, volenter raptus est, atque Pontifex acclamatus; quam electionem utpote Dei instinctu peractam, statim omnes Cardinales confirmarunt, eique subscripserunt, ipso solo detrectante, atque plurimum obsistente. Potens in opere, & sermone, Ecclesiasticæ disciplinæ reparandæ, Fidei propagandæ, & libertati Ecclesiæ restituendæ, tanto studio incubuit, ut ex Apostolorum ætate, nullus Pontificum fuisse tradatur, qui majores pro Ecclesia labores, molestiasque pertulerit. Henricum IV. Imperatorem a fidelium communione segregavit; cumque obsidione in Urbe premeretur, & a Roberto Guiscardo ereptus fuisset, Salernum se contulit, ubi sancto fine in Cælum migravit die 25. Maji anni 1085. cum sedisset Annos XII. M. I. & Dies III. quæ Epocha a nemine controvertitur.

Ejus Corpus sepultum fuit Salerni in Cathedrali S. Matthæi Apostoli, ubi requiescit.

CLVIII.

158



NOTÆ

VICTOR III. patria Beneventanus, *Desiderius* antea vocatus, Abbas Monasterii Casinensis, Ordinis S. Benedicti, defuncto Gregorio VII. omnium Cardinalium votis electus Pontifex; qui tamen ne cogeretur, Roma aufugit, ac Terracinæ, depositis vestibus, Cassinum se recepit, & fere integer excessit annus, quo nullo modo flecti potuit, ut electionem suam approbaret. Verum sequenti 1087. coacto Capuæ sacro Conventu, iterum electus est, & victus precibus Episcoporum, Cardinalium, & Principum, oneri succubuit die 20. Aprilis, & die 9. Maji in Basilica S. Petri fuit consecratus. Leo Ostiensis lib. 3. cap. 71. tradit, eum vita emigrasse eodem anno, *cum vixisset in Sede Apostolica* ab ipso suæ electionis exordio, Annum unum, consecrationis vero M. IV. & Dies VII. Verum, quamvis Victor canonice fuerit electus Pontifex, cum per integrum annum, assensum suum præbere constanter renuisset, certo dicendum est eum, tantum sedisse a die, qua iterum fuit electus, & consensum præstitit, a die scilicet 20. Aprilis anni 1087. usque ad 16. Septembris. Beati Titulo Fasti Benedictini eum celebrant.

Corpus in Capitulo Cœnobii Casinensis sepultum tradit Oldoinus in Necrologio ad diem 16. Septembris.

CLIX. CLX.

159



160



NOTÆ.

URBANUS II. natione Gallus, antea *Otto* nuncupatus, patria Rhemensis, ex Oppido Castillione ex Monacho Cluniacensi, a S. Gregorio VII. Cardinalis Ostiensis creatus, mox defuncto Victore III. a Cardinalibus, qui Tarraccinæ consederant, in Cathedrali electus est Pontifex die 12. Martii anni 1088. A schismatico Guiberto Antipapa plura in Urbe perpessus, & in Concilio Claromontano indixit expeditionem in Terram Sanctam, pro stipendio Indulgentia plenaria proposita, & pro tessera militari Crucis signo rubei coloris super scapulam dexteram assutæ vestibus, & expeditio vocata est Cruciata. Anathema in Henricum IV. iteravit. Duodecim Concilia partim in Italia, partim in Gallia celebravit, quibus Berengarii hæresim, investituras, pseudopontificem, & simoniacos delere studuit. Post plures magnosque labores pro Dei Ecclesia toleratos obiit Romæ anno 1099. die 29. Julii cum sedisset Ann. XI. M. IV. & Dies XVIII. ex computo Pagii, & aliorum.

Obiit Romæ in Palatio Petri Leonis nobilissimi Viri, prope Ædem S. Nicolai in Carcere; semper sectatoribus pseudopontificis Clementis III. invisus. Corpus ejus per Transtyberinam regionem, ad evitandas inimicorum insidias, qui etiam mortuum lædere conabantur, ad S. Petrum in Vaticano delatum, ibi in marmoreo tumulo conditum fuit. In Martyrologio Benedictino, necnon in nonnullis aliis Fastis Sacris Titulo *Beati* celebratur. Vide insigne Opus SS. D. N. BENEDICTI XIV. De Servorum Dei Beatificatione, & Beatorum Canonizatione lib. 1. cap. 41. n. 25.

NOTÆ.

PASCHALIS II. natione Tuscus, patria Bledanus, ut habet Baronius ex Anonymo Vaticano, patre Crescentio, & matre Alfatia, ante *Raynerius* vocatus, ex Monacho Cluniacensi a S. Gregorio VII. creatus Cardinalis Tit. S. Clementis, post Urbanum II. invitus, ac renitens ad Pontificatus apicem evectus est die tertia Augusti anno Christi 1099. Impavidus contra tres pseudopontifices stetit. Defuncto Henrico IV. Imperatore ab Henrico V. ejus filio diu vexatus est, ut sibi Investituras concederet, donec Pontifex una cum suis captus, & custodiæ traditus in Castro Sabinensi post fere duos menses lacrymis suorum motus indultum Regi concessit. Hoc tamen improbarunt Cardinales, & absente Paschali, decreverunt irritum esse quicquid, & quovis prætextu contra Canones actum fuisset. Pontifex coacta Synodo in Lateranensi Basilica, statuit corrigendum esse privilegium coacte extortum a Rege, tanquam prave factum, & emissa professione Catholicæ Fidei, Mitra, & Pontificali Amictu depositis, se Pontificatu abdicavit. Sed a Patribus monitus illa insignia iterum assumpsit. Post plura egregie præstita in Pontificatu, Romæ decessit die 21. Januarii 1118. cum sedisset An. XVIII. M. V. & D. VII. vel juxta Baronium D. IV.

Sepultus fuit Paschalis in Basilica Lateranensi.

CLXI. CLXII.

161





162

N O T Æ.

GELASIUS II. natione Campanus dictus antea Joannes Cajetanus patre Crescentio, ex Monacho Cassinensi S. R. E. Cardinalis Archidiaconus, invitus, & renitens, post obitum Paschalis II. creatur Pontifex die 25. Januarii anni 1118. Cum vero id rescivisset Cincius Frangipanius fectator schismatici Imperatoris Henrici V. statim effractis foribus Monasterii Palladii, in quo habita fuit electio, comprehensum electum, & ab Ecclesia extractum, calcibus, calcaribus, & pugnis cruentatum in suas ædes pertractum in vincula conjecit, sed a populo tamen liberatus est, & in Lateranum solemni pompa deductus. At cum Henrici petitionibus obstitisset, Cajetam aufugere coactus est, ubi Consecrationem suscepit VI. Idus Martii. Inde in Galliam profectus, Matiscone morbo pleuritidis correptus in Coenobium Cluniacense deferri voluit, ubi strenui, ac generosi animi, eximiæ pietatis, ac prudentiæ exhibitis documentis, sancte obiit die 21. Januarii cum sedisset Ann. I. & D. IV. excluso emortuali die, ut ex Catalogis a Pagio præfixis Criticæ Baronianæ.

Sepultus est in Ecclesia ejusdem Coenobii. A nonnullis, Beati, seu Sancti Titulo celebratur, nempe ab Arnoldo Wim in Martyrologio Monastico, & Andrea Saussayo in Martyrologio Gallicano, atque a Philippo Ferrario in Catalogo Sanctorum Italiæ ad prædictam diem.

N O T Æ.

CALLISTUS II. Guido antea appellatus Guillelmi Burgundiæ Comitis filius, Archiepiscopus Viennensis Pontifex eligitur a sex Cardinalibus, qui Gelasium comitati fuerant, & tunc Cluniaci reperiebantur. Creatus est Pontifex die prima Februarii anni 1119. Verum ipse oblatam sibi dignitatem accipere detrectavit, quoad intellexit a cætero quoque Clero Romano, & S. P. Q. R. hujusmodi electionem ratam haberi. Rhemis indixit Concilium 426. Prælatorum, assidente quoque Rege Franciæ Ludovico, in quo Henricus V. excommunicatus fuit. Romam postea se contulit, exceptus incredibili omnium plausu, ubi anno 1122. Concilium Generale IX. Lateranense I. habuit, in quo pax inter Ecclesiam, & Imperium statuta est, restituta ab Henrico Imperatore investitura ab eo prætensa, & sic absolutus est. Obiit Callistus Romæ in Patriarchio Lateranensi die 13. Decembris anni 1124. cum sedisset Annos V. M. X. & D. XII. ut observat Pagius ex Catalogis Criticæ Baronianæ præfixis. De Callisto multa cum laude commemorat Baronius in Annalibus, eumque etiam Miraculis claruisse, plures alii scribunt.

Corpus ejus in Basilica Lateranensi sepultum fuit.

CLXIII. | CLXIV.

163



164



N O T Æ.

HONORIUS II. patria Bononienſis ex nobili familia *Fagnana*, antea Lambertus Epiſcopus Oſtienſis. Pontificatum, quem utpote ſibi minus rite traditum abdicarat anno MDXXIV. XII. Kal. Januarii magno omnium conſenſu recepit. Statim quippe poſt Calliſti obitum in Baſilicam Conſtantinianam convenientes Cardinales elegerunt Theobaldum Cardinalem, & Cæleſtinum appellarunt, & cœptus eſt cani Hymnus, *Te Deum laudamus*; quo nondum cantato, Leo Frangipanius cum ſuis aſſeclis, Lambertum Cardinalem Epiſcopum Oſtienſem acclamavit, qui & ipſe pro Theobaldo hymnum cantabat, unde maximus eſt ortus tumultus. Theobaldus quoque, ne ſchiſma oriretur, juri ſuo ceſſit. Lambertus cernens ſe eſſe illegitimum Pontificem coram omnibus Cardinalibus ſponte Mitra, & Pontificalibus veſtibus depoſitis, Pontificatui renunciavit, dicens, ſe malle Epiſcopatum Oſtienſem jure obtinere, quam injuria Romanum. Cardinales vero perſpecta ejus humilitate, eundem denuo advocarunt, & ut legitimum Papam adorantes, debitam ei obedientiam exhibuerunt. Laudabiliter in Pontificatu vixit, & litteratos viros coluit. Ex calculo exacto Pagii in Breviario Romæ obiit Honorius die 14. Februarii anni 1130. ut ex pluribus confirmat auctoribus, cum ſediſſet An. V. M. I. & Dies XXV. Ait enim, eum rite electum fuiſſe die 21. Decembris anno Chriſti 1124.

Infirmatus in Laterano deferri voluit ad Monaſterium S. Andreæ, ubi pie mortuus eſt, & tumulatus in Baſilica Lateranenſi intra urnam marmoream.

N O T Æ.

INNOCENTIUS II. Romanus Joannis, ſeu Guidonis ex nobili Papareſcorum familia filius, antea Monachus Gregorius nomine Card. S. Angeli ipſa die ſepulturæ Honorii II. acclamatus eſt Pontifex anno 1130. ſexta vero die ordinatus eſt Presbyter, ac ſequenti conſecratus Pontifex in Eccleſia S. Mariæ Novæ, ſuffragantibus XVI. Cardinalibus, quibus Frangipanes acceſſerunt. Huic Petrum Leonis nomine Anacleti II. oppoſuit audacia factioſorum, quibus obſiſtere cum Innocentius non valeret, Urbe cedens, in Galliam navigavit, ubi a Ludovico Rege VI. ſummo honore exceptus fuit. De hoc ſchiſmate agit inter alios Mabillonius Præfatione in novam editionem Operum S. Bernardi. Rhemis Innocentius in plenaria Synodo Godeardum Epiſcopum Hildesheimenſem inter Sanctos retulit; reverſuſque tandem Romam, in Baſilica Lateranenſi generale X. Concilium celebravit. Obiit die 24. Septembris anni 1143. cum ſediſſet An. XIII. M. VII. D. IX. juxta Pagii calculum; quoad annos & menſes concordat Baronius prætermiſſis diebus.

Sepultus fuit in Baſilica Lateranenſi In concha porphyretica, quæ fuit Adriani Imp. ſepultura, ex qua translatus eſt ad Baſilicam Sanctæ Mariæ Tranſtyberim, quam a fundamentis ante mortem renovare cœperat, quamque Petrus ejus germanus Epiſcopus Albanenſis perfecit, inſignique elogio ab eo Capitulo decoratus eſt.

CLXV.

165



NOTÆ.

CÆLESTINUS II. natione Tuſcus antea Magiſter Guido de Caſtello nuncupatus, fuit enim patria de Caſtello S. Felicitatis apud Tiphernum, ut notat Oldoinus in Necrologio, ex Presbytero Cardinali Tituli S. Marci, renunciatur Pontifex, & electus primus ſine interventu populi ob rebellionem excommunicati, die 26. menſis Septembris anni 1143. ex calculo Pagii, dieque 9. Martii anni 1144. naturæ tributum ſolvit, cum ſediſſet Menſes V. & dies XIII. quam Epocham referunt Baronius ad annum prædictum, & Oldoinus. Sepultus fuit in Baſilica Lateranenſi. Ceccanus in Chronico, & Catalogus ſeptimus Criticæ Baronianæ, qui habent, Cæleſtinum ſupra meoſes quinque ſediſſe dies quatuordecim, diem ſepulturæ, ſeu diem decimum Martii in ſummam conferunt. Ad ipſum Cæleſtinum II. habentur duorum ejus temporis Clariſſimorum Virorum nempe Petri Cluniacenſis, & S. Bernardi Clarevallenſis Abbatum Epiſtolæ.

CLXVI.

166



NOTÆ.

LUCIUS II. patria Bononienſis, patre Alberto ex nobili familia ante Gerardus Caccianimicus, ex Canonico Regulari ab Honorio II. Cardinalis Tituli S. Crucis in Hieruſalem creatus, ſub die 12. Martii an. 1144. Pontifex renunciatus eſt. Eum Romani rebellantes vexarunt, nam Senatoribus, quos ſub finem Innocentii inſtituerant, Patritium adjecerunt, cui tamquam Principi ſubjicerentur, atque Summi Pontificis regalia tam in Urbe, quam extra ad Patritii ſui jus vindicarunt. Dum vero in ſeditione Populi Capitolium conſcenderet, lapidis jactu percuſſus eſt, ex quo die 25. Februarii anni 1145. deceſſit, cum ſediſſet in Pontificatu Menſes XI. & Dies XIV. At de jactu lapidis dubitare videtur Baronius; addit enim Otthonem Friſingenſem ejus temporis ſcriptorem nihil de illo habere; ſed tantum, Lucium quotidianis cruciatibus ob eandem Romanorum rebellionem vexatum, vita functum die 25. Februarii ann. 1145. Suam olim Titularem Baſilicam S. Crucis, una cum Monaſterio renovavit. Hoc tamen magnificentiſſime noſtris temporibus præſtitit SS. D. N. BENEDICTUS PP. XIV. Lucii Concivis, addita etiam a fundamentis eximiæ ſtructuræ porticu e conſpectu S. Joannis Laterani.

Poſt obitum ſepultus eſt in Laterano, ex aliis vero in Vaticano, ut ait Oldoinus.

CLXVII. CLXVIII.

167



168



NOTÆ.

EUGENIUS III. antea Bernardus, patria Pisanus, Monachus Cisterciensis, S. Bernardi Abbatis Discipulus, a quo Abbas SS. Vincentii, & Anastasii trium fontium extra Urbem constitutus, a Patribus in nullum de ipsorum gremio convenientibus, post obitum Lucii II. ex Monasterio extractus, in Lateranum deductus est, atque Romanus Pontifex declaratus. Cum vero proxima Dominica consecrationem suscipere se pararet, præcognito perverso consilio Romanorum ejus electionem violentur retractandi, nisi eis usurpatum Senatum confirmaret, noctu ad Farfense Monasterium se contulit in Sabinis, atque ibidem consecratus est die 26. Februarii anni 1145. indeque ob Romanorum seditiones Viterbium perrexit. S. Bernardus Abbas eidem Papæ Eugenio aureos libros quinque de Consideratione inscriptos obtulit, quibus instruitur Pontifex ad recte Pontificatum administrandum. Rebus tandem cum Romanis compositis, in Urbem reversus, festive exceptus est, sed paulo post iterum rebus turbatis, in Galliam se contulit, ubi Concilia habuit, unum Parisiis, alterum Remis. Romam rediens, tandem Tibure, obiit die 8. Julii anno 1153. cum sedisset annos VIII. M. IV. & D. X. Corpus ejus Romam translatum, in Basilica Sancti Petri sepultum fuit, ejusque sepulchrum miraculis illustratum fuisse, Scriptores antiqui referunt. Epocham notat Pagius in Breviario, cui tamen Baronius tres alios dies adjungit.

NOTÆ.

ANASTASIUS IV. *Conradus* antea vocatus filius Benedicti Patritii de Suburra, Cardinalis, atque Episcopus Sabinensis, ex Canonico Regulari, eodem die, quo sepultus fuit Eugenius Papa III. videlicet 9. Julii anni 1153. creatus est Pontifex. Pauperum fuit Patronus, qui etiam plura ad dignitatem Ecclesiæ, atque ad ornatum Urbis mente destinaverat, si ipsi diutius vivere contigisset. Obiit namque die 4. mensis Novembris anni 1154. feditque ex Pagio, Annum I. M. IV. D. XXIV. Non recte S. Antoninus eum mortuum fuisse tradit anno non completo. Errat quoque Joannes Stella, qui ei annos duos, menses 4. diesque 24. assignat. Tenenda est enim prædicta Epocha, quam Pagius, & Oldoinus referunt.

Corpus Anastasii IV. in Basilica Constantiniana porphyretico sepulchro conditum fuit. Porro de Anastasio IV. sic inter alia scribit Joannes Diaconus junior in libello de Ecclesia Lateranensi, cujus erat Canonicus: *Hic unice, ac devotissime dilexit præ omnibus istam Ecclesiam antea dum esset Episcopus, atque in Apostolatu sublimatus postea plurimis beneficiis honoravit &c.*

CLXIX. CLXX.

169



170



NOTÆ.

ADRIANUS IV. natione Anglus, antea *Nicolaus* dictus, ab Eugenio III. Pontifice creatus Albanensis Episcopus, & S. R. E. Cardinalis, qui rediens a Legationibus Septentrionalibus die 3. Decembris anni 1154. a Senatu Apostolico Anastasio IV. suffectus est. Viros doctrina, & virtutibus claros in Sacrum Collegium retulit. Ab Urbe a Romanis ejectus per Italiam erravit, Ecclesiæ Catholicæ semper intentus, posteris admirandum relinquens exemplum, quod nec obulum quidem erogaverit in propinquos, adeout nec matri aliquid impenderit, sed illam reliquerit alendam eleemosynis Cantuariensis Ecclesiæ. B. Petri patrimonium magnis redditibus auxit. Cum Guilielmo Siciliæ Rege bellum suscepit, & Beneventi obsessus, cum suis in tantas angustias compulsus est, ut nonnisi conditionibus indignis susceptis, seipsum, & suos liberare potuerit. Inimicitias quoque habuit cum Friderico I. Imp. quem ipse coronaverat. Denique Anagniæ in Hernicis anginæ morbo correptus decessit, die 5. Septembris anni 1159. cum sedisset Ann. IV. M. VIII. D. XXIX. Baronius habet dies 24.

Corpus Romam delatum, conditum est in Vaticano. Oldoinus in Notis ad Necrologium sub die 1. Septembris ex gravibus Auctoribus tradit, Adrianum in familiari colloquio fassum esse, *per omnes gradus ad Summum Pontificatum ascendisse, sed nihil unquam felicitatis, aut tranquillitatis expertum, ac desiderio pristinæ suæ conditionis teneri: quare neminem Romano Pontifice miserabiliorem inveniri affirmabat.*

NOTÆ.

ALEXANDER III. patria Senensis antea *Rolandus*, Raynerii filius, ex nobili familia Bandinelli, Cancellarius S. R. E. & Cardinalis Tituli S. Marci, eligitur Pontifex die 7. Septembris anni 1159. a 23. Cardinalibus, assentiente pariter reliquo Clero, quia ornatissimus omni virtutum genere habebatur. Sed cum tres Cardinales, videlicet Octavianus Tit. S. Cæciliæ, Joannes Tit. Sancti Martini, & Guido Cremensis Tit. Callisti, Friderici I. Imperatoris studioli prædictum Octavianum Pontificem acclamassent, exorto hinc schismate, Alexander Roma aufugit, & ductus ad Nymphas, longe ab Urbe, ibidem consecratus est, & coronatus, ereptus a nobilibus, & populi Romani ingenti parte. Fremente Imperatore contra Alexandrum, plura iniqua pertulit Pontifex, itaut etiam exulare coactus fuerit, donec Venetiis cognitus, ejusdem Reipublicæ opera, ipsum Imperatorem ad pedes benigne excepit, & suæ sedi est restitutus. Mox Concilium Œcumenicum XI. celebravit, & fuit Lateranense III. de quo vide Catalanum Tomo III. Commentariorum in Concilia Œcumenica. Juxta exactum Pagii calculum obiit die 30. Augusti anni 1181. & refellit eos, qui aliter de die mortis ejus scripserunt. Baronius eam figit ad 27. Augusti, uti etiam Oldoinus.

Post obitum Corpus ejus conditum fuit in Basilica Lateranensi, ubi & nunc jacet.

CLXXI.

171



N O T Æ.

LUCIUS III. patria Lucensis, ex nobili Allucignola Familia oriundus, *Humbaldus* antea nuncupatus, Bongiunti Morli filius, Cardinalis Episcopus Ostiensis, electus est Pontifex die prima Septembris anni 1181. & coronatus non quidem Romæ, sed apud Velitras, Vir in rebus agendis solertissimus. Biennio post exorto gravi dissidio inter Papam, & Romanos, ob Senatoris gradum, quem Pontifex supprimere tentabat, Lucium temere ab Urbe expulerunt, qui Veronam profectus ad Concilium, quod indixerat, celebrandum, ibi cum Imperatore colloquium habuit, cui urgenti, ut cum schismatice ordinatis dispensaret, respondit, id nonnisi a Concilio præstandum; & petenti instanter, ut Henricum filium coronaret, eidem responsum dedit, non posse simul duos regnare Imperatores, nec filium coronari, nisi Pater suam deposuisset coronam. Prolabentibus in Palæstina rebus Christianorum auxilium dum ferre meditaretur, conata perficere non valuit, nam in ea Civitate vivere desiit die 24. Novembris 1185. cum sedisset Annos IV. M. II. D. XVIII. Pagius unum ei diem jungit. Baronius vero obiisse die 25. Novembris ait.

Corpus ejus in Cathedrali Veronensi honorifico marmoreo sepulchro traditum est.

CLXXII.

172



N O T Æ.

URBANUS III. patria Mediolanensis ex nobili Familia *Crimbella*, *Lambertus* antea appellatus, ex Archiepiscopo patriæ suæ, & Cardinali Tituli Sancti Laurentii in Damaso, Veronæ, ipsa die obitus Lucii III. a 24. Cardinalibus, qui aderant, concorditer electus est Summus Pontifex die 25. Novembris anni 1185. dieque prima Decembris in Ecclesia S. Petri Montis in supercilio coronatus. Dissidia, quæ inter Fridericum Imperatorem, & Lucium Papam exorta erant, sub Urbano sunt continuata, nam Pontifex intrepide illum arguit de injuste detento patrimonio Comitissæ Mathildæ, de exuviis Episcoporum morientium, quas rapiebat, atque de aliis excessibus. Sed cum Pontifex de procuranda Principum concordia, eorumque armis contra infideles convertendis plurimum sollicitus esset, ac Venetias comparandæ classis gratia proficisceretur, nuncium accepit Ferrariæ de captione Jerosolymorum, cujus cladis nuncio, mærore confectus obiit Ferrariæ die 19. Octobris anni 1187. postquam sedisset annum I. M. X. & Dies XXV. a die suæ electionis ductos, quod ex pluribus Scriptoribus statuit Pagius in Breviario.

Corpus ejus tumulatum fuit in Ecclesia Cathedrali Ferrariensi.

CLXXIII.

173



NOTÆ.

GREGORIUS VIII. patria Beneventanus, antea *Albertus* nuncupatus, filius Sertorii *a Mora*, Monachus Benedictinus, ex Presbytero Cardinali Tituli S. Laurentii in Lucina, & Apostolicæ Sedis Cancellario, Vir sapientia, & vitæ sinceritate conspicuus, electus est Pontifex die 20. Octobris anni 1187. & consecratus die 25. ejusdem mensis. Pro subsidio Terræ Sanctæ ad universos Christi fideles litteras dedit tanto Pontifice dignas. Pisas vero cum se contulisset, ut pace inter Pisanos, & Genuenses composita, utrosque hortaretur ad classem contra Saladinum Saracenorum Regem instruendam, ibidem morbo oppressus decessit die 17. Decembris ejusdem anni 1187. cum sedisset M. I. & D. XXVII. ex calculo Pagii in Breviario. Baronius diem mortis assignat ad 16. Decembris, Oldoinus ad 15. dicti mensis.

Sepultus est in Cathedrali Pisana intra grandem ex candido marmore Arcam, verum hæc Arca videri desiit, cum anno 1600. Templum illud conflagrasset.

CLXXIV.

174



NOTÆ.

CLEMENS III. patria Romanus, antea *Paulus scholaris*, Episcopus Prænestinus, ob staturam parvam aliis dictus *Paulinus*, Pisis electus est Pontifex, die 19. Decembris anni 1187. & sequenti die coronatus. Præter expeditionem in Terram Sanctam, aliud maximi momenti negocium confecit. Cum enim per annos plus minus quinquaginta inter populum Romanum, & Summos Pontifices ab Innocentio Papa II. usque ad Clementem III. discordia civilis fuisset occasione regiminis Urbis excitata, ipse Clemens quibusdam libertatibus concessis, de quibus agit Pagius in Vita Clementis, pacem constituit. Mortuus est tandem Clemens die 27. Martii anni 1191. ac postridie sepultus est in Basilica Lateranensi. Baronius ad annum prædictum tradit, Clementem obiisse 4. Idus Aprilis ejusdem anni 1191. nempe die 10. Oldoinus illi Sedem tribuit Annorum III. M. II. D. vero XX. Pagius vero, quem nos sequuti sumus, eum sedisse tradit An. III. M. III. D. VIII. quamvis plures alii Scriptores in assignando numero dierum varient.

Sepultus fuit in Basilica Lateranensi ante antiquum Canonicorum Chorum.

CLXXV.

175



N O T Æ.

CÆLESTINUS III. patria Romanus, ex nobili familia de *Bubonibus*, *Hiacinthus* antea dictus, de regione Arenulæ Diaconus Cardinalis, annoſus ſenex, qui annis quinque & ſexaginta ampliſſimis muneribus in Eccleſia perſunctus, ætatis ſuæ circiter octuageſimo quinto creatus eſt Pontifex die 30. vel 29. Martii anni 1191. & ordinatus die 18. vel 14. Aprilis ipſa Paſchatis ſolemnitate. Henricum IV. Regem Germaniæ, accepto prius ſacramento, quod Jura Eccleſiæ ſervaret illæſa, & quæ illius erant, reſtitueret, in Baſilica S. Petri unxit, & coronavit una cum uxore ejus Conſtantia. Multis Cæleſtinus decretis Eccleſiaſticam diſciplinam ſtabilivit. Juxta exactum Pagii calculum, cum electus fuerit die 30. Martii anni 1191. & obierit die 8. Januarii anni 1198. ſedit Annos VI. M. IX. & Dies IX.

Corpus ejus in Baſilica Lateranenſi, ut tradit Joannes Diaconus Junior in Libello de eadem Baſilica, ſepultum fuit.

Rogerius Scriptor hujus temporis apud Baronium ad annum 1198. §. 1. tradit, Cæleſtinum moriturum curaſſe vehementer, ut Cardinales agerent de Succeſſore eligendo, voluiſſeque ſe abdicare, ſi Joannem a S. Paulo Cardinalem S. Priſcæ in ſuum locum ſufficerent. Cardinales vero non conſenſiſſe, dicentes, quod inauditum eſſet, ut Pontifex ſe deponeret.

CLXXVI.

176



N O T Æ.

INNOCENTIUS III. patria Anagninus, antea *Lotharius*, filius Tranſimundi ex Comitibus Signiæ, Vir cum divini, tum humani Juris conſultiſſimus, ex Diacono Cardinali SS. Sergii, & Bacchi, vix expletis Cæleſtini exequiis, die 9. Januarii, anni 1198. in Eccleſia Monaſterii ad Clivum Scauri cunctorum votis, unaque conſenſione electus eſt Summus Pontifex, annos natus ſeptem ac triginta, quamvis plures eſſent Cardinales Epiſcopi, & Presbyteri ætate maturiores. Prodigium hoc in ejus electione eveniſſe tradit illius vitæ Scriptor: *Tres columbæ frequentabant volatus in locum, ubi ſedebant Cardinales congregati: & cum ipſe poſt nominationem fuiſſet a cæteris ſegregatus, una illarum, quæ erat candidiſſima, juxta dexteram ejus inſidebat.* Præclariſſima geſſit in Pontificatu, Ordinemque Minorum S. Franciſci, necnon SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum approbavit. Anno 1215. Concilium Lateranenſe IV. & Generale XII. celebravit, cui interfuerunt complures Epiſcopi, atque Archiepiſcopi, & Abbates, Legati fere omnium Principum Catholicorum, & Patriarchæ Conſtantinopolitanus, & Hieroſolymitanus. Xenodochium ampliſſimum pro Orphanis, & Infirmis erexit. Cum vero ſacræ expeditioni totus eſſet intentus, ut Piſanos, & Genuenſes conciliaret, Peruſium ſe contulit, ibique infirmitate oppreſſus die 16. Julii anni 1216. pie migravit e vita, cum ſediſſet An. XVIII. M.VI. D. IX. a die ſuæ electionis.

Sepultus fuit in Cathedrali Eccleſia Peruſina, ubi requieſcit.

CLXXVII.

177



NOTÆ.

HONORIUS III. patria Romanus, ex nobilissima Familia Sabella antea *Cencius*, Presbyter Tituli SS. Joannis & Pauli, S. R. E. Cardinalis Camerarius, Vir doctus, & morum integritate præstantissimus, Perusiæ electus est Pontifex Maximus die 18. Julii anni 1216. & die 24. consecratus. Hic statim Romam se contulit, & Ordinem S. Dominici approbavit, eodemque suadente, Officium Magistri Sacri Palatii Apostolici instituit, quod usque ad hanc diem non interrupta serie apud laudati S. Patriarchæ alumnos perseverat, uti peculiari Opere nuper ostendit amicus noster eruditissimus P. Josephus Catalanus. Hæresis Albigensium exortæ in Gallia extinguendæ summa cura illi fuit ope Fratrum Prædicatorum. Imperatorem Constantinopolitanum Petrum Comitem Altissiodorensem coronavit in Basilica S. Laurentii extra Muros, & Imperatorem Romani Imperii Fridericum II. Henrici VI. filium. Honorius, teste Pagio in Breviario, annos suæ sedis enumerare cœpit a die suæ consecrationis, ut ex ipsius Epistola apud Rainaldum. Obiit die 18. Martii, anni 1227. cum sedisset Annos X. M. VIII. a die suæ electionis. Corpus ejus in Basilica S. Mariæ Majoris ante Aram Præsepis quiescit.

Egregia inter opera Honorii III. fulget Opus Musivum in Absida Basilicæ S. Pauli Via Ostiensi, quod vetustate attritum Sanctissimus D. N. BENEDICTUS XIV. magnificentissime instaurari, renovarique curavit.

CLXXVIII.

178



NOTÆ.

GREGORIUS IX. patria Anagninus, ex Comitibus Signiæ, & Innocentii III. nepos, antea *Hugolinus* Tristenii filius, S. R. E. Cardinalis, & Episcopus Ostiensis, renunciatus est Pontifex die sequenti post obitum Honorii III. videlicet 19. Martii an. 1227. Vir undequaque laudatissimus, & vitæ sanctimonia conspicuus, cui S. Franciscus Assisias Pontificatum prædixerat. Cum esset humani, divinique Juris Consultissimus, constitutiones, ac responsa decessorum suorum per S. Raymundum Penniafortium, qui fuit Ordinis Prædicatorum, Capellanum & Pœnitentiarium suum in unum volumen redegit, & anno 1234. promulgavit Libris quinque, quos Decretales inscripsit. Idem, cum antea administrare Sacramentum Pœnitentiæ Regularibus non liceret, primis omnium Sacerdotibus Dominicani Ordinis jus hoc esse voluit, eisdemque demandavit, seu potius confirmavit Officium Sacræ Inquisitionis. Adversa a Friderico II. Imperatore sustinuit, quem anathemate perculit. In Urbis, ac Status Ecclesiastici calamitatibus pro factionibus Guelphorum pro Pontifice, atque Gibellinorum stantium pro Imperatore, publica indicta supplicatione Cardinalibus comitantibus, nudis pedibus incedens per Urbem SS. Apostolorum Capita e Laterano in Basilicam S. Petri detulit, quo spectaculo, & sua efficaci oratione, Populi Romani adeo inflexit animos, ut armis sumptis, Imperatorem muros Urbis obsidentem fugaverit. Obiit die 21. Augusti, Oldoinus habet die 22. an. 1241. cum sedisset An. XIV. M.V. & D. II. Parisius refert Gregorium centesimum vitæ annum proxime attigisse.

Sepultus fuit in Templo Vaticano.

CLXXIX. CLXXX.

179



180.



N O T Æ.

CÆLESTINUS IV. patria Mediolanensis antea Guffridus ex nobilissima Castillionea Familia, patre Joanne, matre vero Cassandra Cribella Urbani III. sorore, ex Episcopo Sabinensi Pontifex est renunciatus die 22. Septembris anni 1241. Vir moribus præditus, & scientia, sed in ætatem senilem jam declinatus, & debilitatus. Hunc ex Canonico, & Cancellario Mediolanensis Ecclesiæ privatæ vitæ studio factum Monachum Cisterciensem tradit Oldoinus in Additionibus ad Ciacconium; deinde Presbyterum Cardinalem, & Episcopum Sabinensem a Gregorio IX. creatum omnes consentiunt. De die tum electionis, ac etiam mortis ejus refert Pagius in Breviario diversorum Scriptorum opiniones. Omnes tamen observat convenire in hoc, quod die XVII. sui Pontificatus decesserit, antequam coronationis insignia suscepisset. Electus igitur mense Octobri, obiit mense sequenti, & sepultus est in Ecclesia S. Petri.

N O T Æ.

INNOCENTIUS IV. Genuensis *Sinibaldus* antea appellatus, ex nobili Fliscorum Familia ortus, filius Ugonis, seu Obizonis ex Lavaniæ Comitibus, & Cardinalis Tituli S. Laurentii in Lucina, Jurisconsultus insignis, a novem Cardinalibus creatus est Pontifex, post longum Interpontificium ab anno 1241. usque ad exeuntem Junium anni 1243. eo quod Fridericus Imperator captivos detineret plures Cardinales, quos tandem cum dimisisset, coactis Comitiis in Civitate Anagniæ, electus est Pontifex in ea Cathedrali die 29. ejusdem mensis Junii anni supradicti. Nuncio accepto ejusdem electionis Fridericus dixisse fertur, *se optimum amicum Cardinalem Sinibaldum amisisse, & acerrimum hostem Papam nactum esse*, quod rei declaravit eventus. Cognitis insidiis a Friderico paratis sibi, cum septem Cardinalibus solvens e Civitate Veteri Lugdunum petit, ubi a S. Ludovico IX. Galliarum Rege honorifice exceptus fuit. Ibidem Concilium Generale XIII. & Lugdunense I. indixit an. 1245. in quo Imperatorem tot criminibus convictum a Cæsarea majestate deposuit. Cardinales rubro Galero insignivit. In Italiam reversus Pontifex, obiit Neapoli die 7. Decembris anni 1254. cum sedisset Annos XI. M. V. & Dies XIV. ex exactissimo calculo Pagii, a die suæ electionis.

Sepultus est in Ecclesia Cathedrali Neapolitana.

CLXXXI.

181



NOTÆ.

ALEXANDER IV. patria Anagninus, & illius Cathedralis Canonicus, ex Comitibus Signiæ, Innocentii III. consanguineus, & Gregorii IX. Nepos, Raynaldus antea vocatus, ex Episcopo Ostiensi Neapoli Pontifex est renunciatus die 12. Decembris anni 1254. non, ut alii dixerunt, die Nativitatis Dominicæ. Vir fuit magnæ humilitatis, & insignis pietatis, pauperum pater, & hæreticorum osor. Longobardiæ tyranoum Eccellinum anathemate perculit, armisque coopescuit. Terræ Sanctæ auxilia promovit. Veritatem Sacrorum Stigmatum S. Francisci testimonio suo comprobavit. Imperii Electoribus denuntiavit anathema, si Corradinum eligerent filium Friderici II. Sollicitus de Ecclesia Græca unienda cum Latina, Urbis Veteris Episcopum legavit Constantinopolim, utque facilius uniretur societas, id quoque præter cetera Græcis concessit, quod ante Innocentius IV. indulserat, ut Symbolum haberent sine additameoto vocis *Filioque*, modo eadem ac Latini sentirent. Concilium Viterbii celebrandum indixit, cujus causa cum eo processisset, ut pacem inter Venetos, & Genuenses componeret, ibidem spiritum Cælo reddidit die 25. Maji anni 1261. cum laudatissime sedisset An. VI. M. V. D. XIII. ut ex calculo Pagii in Breviario.

Corpus ejus honorifico sepulchro contectum fuit in Cathedrali Viterbii S. Laurentio sacra.

CLXXXII.

182



NOTÆ.

URBANUS IV. natione Gallus, patria Tricassinus, antea *Jacobus Pantaleon* dictus, Vir ingenii sublimis, quamvis plebejo homine, patre videlicet sutore veteramentario progenitus. Ex Patriarcha Hierosolymitano Pontifex electus est suffragiis novem Cardinalium, qui Viterbii congregati, nunquam inter se convenire potuerunt, ut unum ex ipsorum Collegio eligerent. Electus est igitur die 29. Augusti anni 1261. & die 4. Septembris coronatus est. Hic solemnitatem SS. Corporis Christi, Feria v. post octavam Pentecostes instituit. Synodum apud Urbem Veterem habuit, & Regulam S. Claræ secundam approbavit. Obiit vero Perusii die 2. Octobris anni 1264. sepultusque fuit in ea Cathedrali.

Augustinus Oldoinus in novis Additionibus ad Ciacconium refert, memoriam Urbani IV. ut Sancti recoli, apud Philippum Ferrarium in Catalogo Sanctorum, qui non sunt in Martyrologio Romano, & maxima quoque celebritate coli apud Trecenses, qui Templum in ejus honorem dicarunt. Verum Pagius in Breviario hæc scribit: *De Templi tamen in Urbani IV. honorem constructi, & cultu a Trecensibus ei exhibito fides sit apud ipsum, nihil enim tale alibi legi.*

CLXXXIII.

183



NOTÆ.

CLEMENS IV. natione Gallus, de Villa S. Ægydii Narbonensis, *Guido de Grossis*, antea vocatus, Fulcodii filius, Cardinalis, & Episcopus Narbonensis, mense fere quinto, post obitum Urbani IV. a quo Cardinalis creatus fuerat, & missus in Angliam Legatus, Viterbii electus est Pontifex anno 1265. De mense, ac die ejus electionis jam nihil certi statui potest. Tradit Longinus lib. 7. Historiæ Poloniæ ad annum 1265. quod lacrymis Cardinalium vix vinci potuit, ut Pontificatum acciperet. Sane refert Pagius in suo Breviario, eum, vel die 22. Februarii, vel aliquo ex præcedentibus, coronatum fuisse Viterbii. Nepoti tres præbendas possidenti injunxit duarum dimissionem, optione præmissa; cumque amici instarent, ut Sacerdotiis amplioribus eum augeret, respondit, se plus Deo, quam carni debitorem esse. Imitatus Institutum Carthusianorum a morte uxoris, quam antea legitime duxerat, abstinuit a carnis eduliis, usque ad obitum, nec unquam dimisit cilicium. Obiit Viterbii exeunte die 29. Novembris, cum sedisset ex Pagio Annos III. M. IX. Dies vero incertos anni 1268.

Sepultus fuit ibidem in Ecclesia Fratrum Prædicatorum S. Mariæ ad Gradus.

CLXXXIV.

184



NOTÆ.

BEATUS GREGORIUS X. Italus, patria Placentinus antea dictus *Theobaldus*, ex nobili Vicecomitum Mediolanensi Familia, & Archidiaconus Leodiensis, postquam sedes vacasset tribus fere annis ob Cardinalium discordias, suadente S. Bonaventura Ordinis Minorum tunc Generali Ministro, electus est Pontifex Kalendis Septembris anni 1271. dum ipse una cum exercitu Christiano in Syria apud Ptolemaidem ageret. Per Legatos Viterbium accitus, paulo post, Romam veniens, ordinatus, & coronatus est die 27. Martii anni 1272. Nulla ei potior cura, quam ut Christianis Terræ Sanctæ compararet subsidium, celebravitque iccirco anno 1274. Concilium Generale XIV. quod est Lugdunense II. In Italiam reversus, cum plurima edidisset sanctitatis, & prudentiæ exempla, Aretii in Etruria in Cælum migravit, die x. Januarii anni 1276. cum sedisset a die suæ electionis An. IV. M. IV. & D. X. a consecratione vero annos tres menses novem, & dies XV. ex exacto Pagii calculo in Breviario.

Sepultus est in Cathedrali Aretina, ubi miraculis clarus, & Beati titulo colitur. Primus hic Romanorum Pontificum fuit, qui in Palatio Apostolico piarum largitionum Præsulem constituit, eique muneri Fratrem laicum Ordinis Prædicatorum præfecit.

CLXXXV.

185



N O T Æ.

INNOCENTIUS V. natione Burgundus, patria Tarentasienſis, antea dictus *Frater Petrus* Ordinis Prædicatorum inſignis Theologus, S. R. E. Cardinalis, atque Epiſcopus Oſtienſis, a Cardinalibus in Conclavi concluſis, Aretii electus Summus Pontifex die 20. Januarii anni 1276. primus ex eodem Ordine S. Dominici ad hanc dignitatem evectus. Romam profectus ſub die 22. Februarii in Baſilica S. Petri inauguratus eſt. Qui cum pacem Italiæ, & alia in Chriſtianæ Reipublicæ bonum moliretur, e mortali vita ſublatus eſt die 22. Junii an. 1276. cum ſediſſet a ſua electione menſes V. & duos dies. Vir eximiæ probitatis, & ſacrarum litterarum peritiſſimus, de quo fideles omnes ſpem magnam in Eccleſiæ commodum conceperant.

Sepultus eſt in Baſilica Lateranenſi, Patriarchio proxima, ut tradit Oldoinus in Necrologio ſub die 22. Junii. Vide quæ de eodem inter alios ſcripſit Clariſſimus Auctor ejuſdem Ordinis Prædicatorum Antonius Touron Gallus Collegii Caſanatenſis Theologus in Hiſtoria Virorum illuſtrium laudati Ordinis Gallica lingua exarata, & noviſſime Italice reddita, Tomo II. pag. 271. & ſeqq.

CLXXXVI.

186



N O T Æ.

ADRIANUS V. patria Genuenſis, *Orthobonus* antea dictus, ex nobili familia *Fliſca*, ex Comitibus Lavaniæ, Innocentii IV. PP. nepos, in Urbe electus eſt Pontifex die 10. Julii anni 1276. ex Diacono Cardinali S. Adriani. Statim poſt ſuam creationem Conſtitutionem Gregorii X. de reſtrictione Cardinalium in electione Papæ ſuſpendit, intendens eam aliter ordinare, at morte præventus id agere non valuit. Mox Viterbium conceſſit, & exactis nondum quadraginta diebus a ſua creatione, nondumque promotus in Sacerdotem, nec coronatus, nec conſecratus, ibidem mortuus eſt die decima octava Auguſti, & in Eccleſia Fratrum Minorum ſepultus eſt, cum ſediſſet, juxta Pagium in Breviario, Menſem I. & Dies IX. Qui etiam Auctores refellit, qui ajunt, eum electum die duodecima Julii. Oldoinus in Necrologio ejus obitum affigit diei 21. Auguſti.

CLXXXVII. CLXXXVIII.

187





188

N O T Æ.

JOANNES XIX. dictus etiam XX. & XXI. antea *Petrus Lusitanus*, filius Juliani, a Gregorio X. Episcopus Tusculanus Cardinalis creatus, in medicina maxime versatus, electus est Pontifex die 15. Septembris anno 1270. Statim ac coronatus fuit Constitutionem a Gregorio X. in Concilio Lugdunensi latam de inclusione Cardinalium in Conclavi ab Adriano oretenus tantum suspensam, iterum revocavit. Brevi Apostolicam tenuit Sedem, nam repente collapsa testudioe novi cubiculi, quod sibi in Palatio Viterbiensi construxerat, inter ligna, lapidesque collisus, sexta post die, sacramentis munitus expiravit die 16. Maji anni 1277. cum sedisset Meoses VIII. & Dies V. alii octo, vel plures enumerant.

Sepultus est in Cathedrali Ecclesia Viterbiensi. Porro inter Adrianum V. & Joannem hunc Pontifices Romanos, ioterserunt aliqui Vicedominum de Vicedominis Cardinalem Episcopum Prænestinum, Gregorii X. ex sorore nepotem, patria Placentinum, Ordinis antea Minorum S. Francisci alumoum, quem etiam ajunt in ipsa die electionis subitanea morte fuisse sublatum. Sed hanc historiam, uti fabulosam demonstrat evidentibus quidem argumentis Pagius in suo Breviario, & Sandinus in Notis ad Vitam Adriani V.

N O T Æ.

NICOLAUS III. patria Romaous antea *Joannes Cajetanus* appellatus, ex nobili Familia Ursina, ex Cardinali Diacono S.Nicolai in Carcere, Viterbii electus est Pontifex die 25. Novembris anni 1277. Huic adhuc infantulo S.Franciscus Assisias, cum a patre suo Tertii Ordinis ejusdem ei suisset oblatus, prædixit, eum *fore Fratrem Ordinis sui, non habitu, sed futurum defensorem Ordinis sui, & eundem Dominum Mundi*. Electus statim Romam se contulit, ubi consecratus, & coronatus est die 29. Januarii anoi sequentis 1278. ut notat Papebrochius, & Raynaldus, sed ex calculo Pagii in Breviario consecratus est mense Decembri an. 1277. ante festum Nativitatis Domini, & coronatus die 26. Decembris. Palatium Vaticanum angustum, & vetustate collabens amplificavit, Basilicas Sanctorum Petri & Pauli temporum injuria deformes renovavit, & in prima Canonicorum numerum ad 30. extendit. Sacellum Pontificium ad Sancta Sanctorum a fundamentis refecit in Patriarchio Lateranensi. Magistratus publicos, & alia ad Rempublicam spectantia, in meliorem formam redegit. Fuit enim summi consilii Princeps vitæ, ac morum integritate plurimum laudatus, & litteratorum amantissimus. Suriani tunc Viterbiensis Diœcesis, quo secesserat, apoplexia tactus, obiit die 22. Augusti anni 1280. cum sedisset An. II. M.VIIII. D. XXIX.

Corpus Romam delatum, in Basilica S. Petri in Capella S. Nicolai, quam ipse ædificaverat, honorifice sepultum fuit.

CLXXXIX.

189




N O T Æ.

MARTINUS IV. revera dicendus II. quod duo Pontifices Marini recenseantur sub nomine Martini, antea nuncupatus *Simon Momptius* de Bria oppido Campaniæ, Diœcesis Senonensis, Presbyter Cardinalis Tituli S. Cæciliæ, natione Gallus, post sex menses vacationis Sedis, electus est tandem Viterbii die 23. Februarii anni 1281. ubi tamen consecrari noluit, quia Civitas ob impetum in Cardinales factum, sacris erat interdicta, profectusque ad Urbem veterem, ibidem consecrationem, & coronationem suscepit, die 23. Martii. Hic fratrem suum, qui ad ipsum gratulabundus advolarat, modice donatum ad impensas itineris, domum dimisit. Ipsi Pontifici tanquam privato cuidam viro Populus Romanus discordiæ tollendæ gratia contulit Senatoriam Urbis dignitatem, quam ipse restituit Carolo Siciliæ Regi, cui a Nicolao III. fuerat abrogata.

Perusii tandem laudatissimus Pontifex inopinato, & incognito morbo naturæ debitum solvit die 28. Martii anni 1285. Discrepant Scriptores de die mortis. Verum Pagius exactissimo suo calculo, omne dubium tollit, & sedisse statuit Annos IV. M. I. & Dies VII. Sepultus fuit in Templo S. Laurentii habitu Fratrum Minorum indutus, ut ipse jusserat, multisque miraculis claruit.

CXC.

190



N O T Æ.

HONORIUS IV. patria Romanus, ex nobilissima Gente Sabella, antea *Jacobus* appellatus, patre Luca Viro in Urbe primario natus, ex Diacono Cardinali S. Mariæ in Cosmedin Vir omnium virtutum genere exornatissimus electus est Pontifex Perusii die 2. Aprilis anni 1285. Romam profectus, Pontificatus insignia suscepit die 15. Aprilis. Senio, & chiragra laborabat, sed prudentia, & consilio præpollebat; dictitans, manus, & pedes non imperare, sed caput. Habitavit in Aventino apud S. Sabinam, hincque cœptus est Mons ille ædificiorum constructione frequentari. Ordines Carmelitarum, Servorum, & Eremitarum S. Augustini, confirmavit. Magna quæque pro bene gerenda Christiana Republica cogitantem mors occupavit die 3. mensis Aprilis anno Christi 1287. Feria v. in Cœna Domini; fuitque sepultus die sancto Parasceves in Basilica S. Petri juxta Nicolaum Papam III. cum sedisset Annos II. & diem unum, computando a die electionis.

Ex prædicta Vaticana Basilica sub Paulo III. ejus Corpus traslatum fuit in Ædem S. Mariæ de Aracæli, ubi in Sacello majorum suorum in marmoreo loculo cum ejus effigie superposita servatur.

CXCI. CXCII.

191



192.



NOTÆ.

NICOLAUS IV. antea *Frater Hieronymus* de Asculo Ordinis S. Francisci ex Ministro Generali a Nicolao III. S. R. E. creatus Cardinalis primum Presbyter Tituli S. Pudentianæ, mox Episcopus Prænestinus. Mortuo Honorio PP. IV. apud Sanctam Sabinam, ibidem Sacer Senatus Cardinalium coactus est. Verum cum plures ex Patribus ob aeris intemperiem partim occubuissent, partim vero adversa valetudine conflictarentur, electionem distulerunt ad tempus magis salubre. Discedentibus itaque cunctis, Hieronymus ibidem perstitit incolumis, eo quod ad avertendam aeris gravitatem plures ignes excitari jussit, ardente licet medio æstu, per totum Palatium, ejusque officinas. Sedata epidemia, Patres reversi ad S. Sabinam, omnium votis ipsum Hieronymum crearunt Pontificem, cum vacasset Sedes a die 3. Aprilis anni 1287. usque ad 22. Februarii anni sequentis 1288. Sollicite hic laboravit pro pace inter Principes Catholicos, pro dilatatione Fidei apud Tartaros, & Sclavos. Audito calamitoso statu rerum Syriæ, Crucem prædicari jussit, sollicitans Occidentales, & Oricotales Principes ad convertendum arma in Barbaros, & accitos suo ære milites, misit in Syriam, sed inutiliter; hincque audiens Christianorum expulsionem a Syria, eamque deplorans, obiit die 4. Aprilis anno Christi 1292. cum sedisset An. IV. M. I. D. XIV. Sepultus in Basilica S.Mariæ Majoris, apud quam etiam habitarat, ab Annalistis ob doctrinam, prudentiam, ac vitæ sanctimoniam summopere laudatus.

NOTÆ.

SANCTUS CÆLESTINUS V. antea *Petrus Murrho*, cum ex discordia S. R. E. Cardinalium vacasset Romana Sedes post obitum Nicolai IV. Annos duos, Menses tres, & Diem unum, in Civitate Perusina, opera Latini Cardinalis Ursini Dominicani, unanimi omnium consensu, & non sine lacrymis, in Romanum Pontificem a Cardinalibus, electus est die 5. Julii anno Christi 1294. dum in suo apud Sulmonam Monasterio degeret. Certior factus Pontificatus sibi collati, victus nonnisi precibus Regis utriusque Siciliæ, & laudati Cardinalis Ursini, electioni consensit. Ordinatus itaque est, & coronatus in Urbe Aquila in Vestinis die 29. Augusti, posteaque Neapolim profectus, cum 12. creasset Cardinales, & Constitutionem edidisset *licere Romano Pontifici se abdicare Dignitati* (ut in Cap. *Quoniam De Renunciatione* in 6.) Neapoli in publico Consistorio, depositis Indumentis Pontificalibus, ad pedes Cardinalium humiliter consedit die 13. Decembris ejusdem anni, cum sedisset Menses V. D. VIII. Obiit in Castro Fumonis Dioecesis Ferentini in Campania die 19. Maji anni 1296. ætatis suæ 87. annoque 1313. a Clemente Papa V. in Sanctorum album relatus fuit.

CXCIII.



NOTÆ.

BONIFACIUS VIII. proprie tamen, ex caussis alibi relatis, dicendus VII. antea *Benedictus* appellatus, ex nobili Cajetanorum Familia, patria Anagninus, ex Titulo Cardinali S. Martini, die altera post abdicationem Pontificatus factam a S. Cæleſtino, nempe die 14. Decembris anni 1294. concorditer a Cardinalibus electus est Summus Pontifex: Vir doctrina, prudentia, rerumque experientia præstans, ingenio, memoria, acri judicio præditus, magno excelſoque animo, Jurium Eccleſiaſticorum eorumque libertatis coſtantiſſimus aſſertor. In amicos effuſus, & liberalis, in hoſtes ſævus. Sextum Decretalium publicavit, Annumque Jubilæi primus inſtituit, & celebravit. Baſilicæ Vaticanæ Canonicos auxit, ac S. Ludovicum Regem Franciæ in Sanctorum numerum retulit. Seriem rei de diſſenſionibus cum Philippo Rege Franciæ fatis vulgatam ab hiſtoricis habes. Poſt tragædiam ejus captionis a Nogareto Gallo conſummatam, Romam reverſus Bonifacius ex animi dolore, atque ingentis calamitatis mærore, deceſſit e vita die XI. Octobris anni 1303. cum ſediſſet Ann. VIII. M. IX. D. XVIII.

Corpus ejus ſepultum fuit in Baſilica Vaticana, quod anno 1605. plane incorruptum, omnibuſque membris integrum repertum fuit, veſtibus quoque ſacris, quibus indutum erat, omnino ſanis.

CXCIV.



NOTÆ.

BEATUS BENEDICTUS X. dictus XI. antea *Nicolaus Boccaſinus* Ordinis Prædicatorum, patria Tarviſinus, Cardinalis Epiſcopus Oſtienſis, cum Gregorii Papæ X. Conſtitutio de incluſione Cardinalium in Conclavi, Pontifice obeunte, vel ſuſpenſa, vel revocata, tum a Sancto Cæleſtino V. tum etiam a Bonifacio VIII. confirmata fuiſſet, a Cardinalibus numero XXI. poſt obitum ipſius Bonifacii, ſub die 21. menſis Octobris Conclave in Palatio Vaticano ingreſſis, poſtridie, nempe 22. unico ſcrutinio facto, electus eſt in Summum Pontificem, & coronatus eſt die Dominico ſequenti, aſſumpto Benedicti XI. nomine. Acceptis litteris, & Nunciis Regis Francorum Philippi, deceſſoris ſui Bonifacii in ipſum Regem Acta, & proceſſus reſcidit, & Regnum ab Interdicto liberavit, ac privilegia confirmavit, omneſque Eccleſiaſticos, & laicos a Cenſuris abſolvit, præter Guillelmum Nogaretum. Primus indulſit, ut Sacra Sancti Franciſci Stigmata quotannis colerentur ritu ſolemni; Ordinemque Servorum B. Mariæ Virginis verbo tantum tenus ab Innocentio IV. approbatum, & ab Alexandro IV. anno 1256. *quodammodo* confirmatum, anno 1304. III. Idus Februarii ſolemniter confirmavit, teſte Pagio in Vita laudati Alexandri IV. Num. xx. in fine. Benedictus tandem dum pro utilitate Eccleſiæ laboraret, moritur Peruſii die 6. Julii anni 1304. cum ſediſſet M. VIII. & D. V.

Sepultus fuit Peruſii apud ſuos Fratres, ac miraculis claruit, ejuſque memoriam Beati titulo inſeruit Martyrologio SS. D. N. BENEDICTUS PP. XIV. ut alibi annotavimus.

CXCV.




NOTÆ.

CLEMENS V. ex Vasconia oriundus, *Bertrandus Gottus*, antea vocatus, Episcopus Burdegalensis, dissidentibus inter se Cardinalibus, post undecim menses, tandem absens, & extra Collegium a Patribus ipsis Perusii electus est Pontifex die 5. Martii anni 1305. opera & industria Philippi Regis Galliarum. Accepto suæ electionis Nuncio die 23. Julii sequentis, cunctos ad se convocavit Cardinales, ut suæ coronationi Lugduni suscipiendæ adessent, cui etiam adfuere tres Reges, Philippus Rex Franciæ, Eduardus Angliæ, Jacobus Aragoniæ, & Dux Britanniæ. Ob continuas Italiæ seditiones Avenionem transtulit Sedem Apostolicam, quæ ibidem hæsit septuaginta, & amplius annis, tribus missis Cardinalibus, qui res Romæ, & Italiæ agerent. Quæ Regi Philippo promiserat, servavit, negavit tamen Bonifacium VIII. damnare. Anno 1311. Celebravit Concilium Viennense, Generale X. in quo Templariorum Ordinem extinxit. S. Cælestinum V. miraculis coruscantem Sanctorum Fastis adscripsit. Obiit apud Rupem Mauram Diœcesis Nemausensis die 20. Aprilis anni 1314. atque sepultus fuit in Ædicula B. Mariæ de Uzelta Villulæ ignobilis Vasaten. Diœcesis, ipso mandante, ubi Ecclesiam ejusdem Deiparæ ædificaverat. Sedit Annos VIII. M. X. D. XV. ut tradit Pagius in Breviario.

Clemens in suis Epistolis annos sui Pontificatus exorsus est a die suæ coronationis, quæ fuit 14. Novembris anni 1305.

CXCVI.



NOTÆ.

JOANNES XX. dictus XXI. & XXII. revera dicendus XX. natione Gallus patria Cadurcensis *Jacobus de Ossa*, vel *de Eusa* vocatus, patre Arnaldo sutore veteramentario, ut scribit S. Antoninus, vel caupone, ut tradit Villanius, quibus tamen obstat Albertus Argentinensis, qui illum *de militari progenie*, hoc est prisca nobilitate natum asserit, mortuo Clemente V. post varias Cardinalium discordias, tandem, ut scribit Alvarus Pelagius Lib. 1. *De planctu Ecclesiæ*, Cap. 1. *electus fuit Papa concorditer a Cardinalibus omnibus*, & quidem Lugduni in Cœnobio Fratrum Prædicatorum, ut multi Scriptores docent, anno scilicet 1316. VII. Idus Augusti. Varia de hoc Pontifice legi possunt apud Raynaldum, & Pagium in ejus Vita. Errant, qui dicunt, eum sensisse animas justorum nonnisi post supremum judicii diem esse Deum visuras; sententiam enim hujusmodi se nunquam habuisse professus est coram Cardinalibus pridie, quam excederet e vita.

Obiit autem Joannes die 3. Decembris an. 1334. susceptis devote Ecclesiæ Sacramentis, orans, & psallens in Palatio Avenionensi nonagenario major. Sepultus est Avenione in Cathedrali. Sedit autem annos XVIII. M. III. D. XXVIII. a die suæ electionis.

CXCVII. CXCVIII.

197 198





NOTÆ.

BENEDICTUS XII. revera XI. patria Tholosanus, *Jacobus* antea *Fornerius* ex Monacho Cisterciensi Cardinalis, & ex Episcopo Mirapicensi Cardinalis Tituli S. Priscæ. Scientissimus, Galliæ clarum lumen, Theologiæ Doctor eximius, Doctorum, ac piorum Virorum valde studiosus, a 23. Cardinalibus reclusis Avenione in Conventu Dominicanorum renunciatus est Pontifex die 20. Decembris anni 1334. & 4. Idus Januarii anni sequentis coronatus. Multa præclara statuit tum ad morum, tum ad Ecclesiasticæ disciplinæ instaurationem spectantia. Indignos arcuit a Beneficiis, dicens se nolle exornare lutum. Palatium Avenionense magna ex parte construxit. Sedi Apostolicæ ingentem pecuniæ vim seposuit, suis consanguineis nihil elargitus, quod diceret, Papam non habere consanguineos. Optime tandem Pontificatus munere defunctus obiit Avenione die 25. Aprilis anni 1342. Sedit a die coronationis Annos VII. M. III. & D. XVII. At si addantur alii dies 18. ab electione resultat Epocha a Pagio posita Annorum VII. ac D. VI. vel juxta alios, VII.

Ejus sanctitatem recolunt, & miracula prædicant plures Scriptores Cistercienses, itemque Martyrologium Benedictinum Wionis, & alii.

Sepultus est Avenione in Cathedrali Sanctæ Mariæ de Donis, non enim recte Saussayus in Martyrologio Gallicano tradit, ipsum requiescere Tolosæ.

NOTÆ.

CLEMENS VI. natione Gallus patria Lemovicensis ex nobili Familia Canillaca, antea *Petrus Rogerius Monstrius*, professione Monachus Ordinis Sancti Benedicti, & Abbas Casæ Dei, ex Presbytero Cardinali Tituli S. Nerei & Achillei, mirabili Cardinalium concordia creatus est Pontifex die 7. Maji anni 1342. Rogatus a Romanis, sacrum Jubilæum ad annum quinquagesimum reduxit, Basilicisque SS. Petri & Pauli, in quibus orare debebant Christiani ad Jubilæum lucrandum, addidit Lateranensem, quibus etiam deinde Gregorius XI. Liberianam Sanctæ Mariæ Majoris Basilicam adjunxit. A Joanna Regina Neapolis Urbem Avenionensem cum omnibus suis Juribus, pretio octoginta millium Florenorum auri emit. Rem tandem Christianam recte admioistravit Vir multæ doctrinæ, & summæ eloquentiæ, ac liberalis in omnes, & perhumanus, debitum naturæ tributum solvit die 6. Decembris anni 1352. cum sedisset ab electione sua Ann. X. M. VI. & D. XXIX. ut ex recto calculo Pagii.

Corpus ejus e Cathedrali Avenionensi, ubi fuit sepultum, translatum fuit ad Monasterium Casæ Dei, prout ante mortem se velle innuerat. Edidit Constitutionem de Conclavi, & electione Romanorum Pontificum multo leniorem Constitutione Gregorii X. de quibus loquitur Cl. Catalanus Tomo 1. Commentariorum in Cæremoniale Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Titulo 1.

CXCIX. CC.

199 200





NOTÆ.

INNOCENTIUS VI. patria Lemovicensis antea *Stephanus Alberti*, a Clemente VI. ex Episcopo Claromontano creatus Cardinalis Tituli SS. Petri & Pauli, postea Ostiensis, & Major Pœnitentiarius, Avenione renunciatus est Summus Pontifex die 18. Decembris anni 1352. Hic residentiam Prælatis in Curia morantibus statim injunxit. Menstrua Auditoribus Rotæ, & Judicibus Salaria statuit, ne muneribus corrumperentur. Fuit divini, humanique Juris Consultissimus, Beneficia Ecclesiastica nonnisi probatissimis Sacerdotibus contulit. Fuit Innocentius in victu domestico admodum frugalis, omnemque adhibuit operam in repetendis quæ a tyrannis in Italia de bonis Ecclesiæ perperam occupata fuerunt, misso ad id exequendum Legato Ægidio Mauro Albornotio, ex regali stirpe, qui intra quinquennium amissa recuperavit. Avenionem mœnibus circumdedit, eaque in Urbe pie decessit die 12. Septembris anni 1362. cum sedisset An. IX. M. VIII. D. XXV. vel ut alii scribunt, D. XXVI. ex calculo Pagii.

Corpus ejus tumulo traditum fuit in Cathedrali Avenionensi, inde translatum ad Monasterium Carthusianorum Villæ Novæ a se ædificatum.

NOTÆ.

URBANUS V. natione Gallus, patria Mimatensis, dictus *Guillelmus de Grisato*, Abbas S. Victoris Massiliensis Ordinis Cluniacensis, filius Grimaldi Viri militaris, dum in Italia Legationem ageret pro Sede Apostolica, a Cardinalibus in Conclavi Avenione coacto, in Summum Pontificem electus est die 8. Octobris an. 1362. tacita tamen electione, ne ab Italis detineretur, in Galliam accersitur; & cum Massiliam applicuisset, publicatur ejus electio die 28. Octobris, consensumque suæ electioni præstitit, adhuc persistentibus Cardinalibus in Conclavi; quare eo die dici potest electus. Anno 1364. Urbanus Romam accessit, Sanctorumque Apostolorum Petri & Pauli capita diligenter conquisita, thecis argenteis, ac lapidibus pretiosis exornatis inclusit, & in Altari majori Lateranensis Basilicæ collocavit. Omnium primus gestasse dicitur Tiaram triplici corona exornatam, ut scribit Nicolaus Alemannus. Viros litteratos dilexit, egentibusque, benigne, & liberaliter subvenit. An. 1370. Roma Avenionem rediit studio sedandi Anglicanum bellum, ubi morbo correptus obiit in magna sanctitatis opinione die 19. Decembris, cum sedisset a die coronationis Annos VIII. M. I. D. XIV. ut notat Pagius. Sed si addantur alii 22. dies a publicata electione, resultat Epocha a nobis relata, & a Sandinio.

CCI.

201



NOTÆ.

GREGORIUS XI. Natione Gallus patria Lemovicensis, antea *Petrus Rogerii* dictus, Clementis VI. Papæ Nepos, a quo creatus fuerat Diaconus Cardinalis Tit. S. Mariæ Novæ, electus est Pontifex die 30. Decembris anni 1370. Ordinatus vero die 5. Januarii anni sequentis, miro omnium Cardinalium consensu. Pontificatum prudentissime, & omnium plausu administravit, annoque 1376. contra consilium Consistorii, dehortationem Regis Franciæ, & amicorum, patrisque adhuc viventis, Avenione discedens cum Cardinalibus, sex tantum exceptis, qui ibi remanserunt, iter in Italiam suscepit, Romamque pervenit 17. Januarii anni 1377. Laudatissime Gregorius vixit in Urbe, quam restitutione Sedis Apostolicæ, quæ a Clemente V. in Galliam translata fuerat, decoravit, motus etiam persuasione S. Catharinæ Senensis, quæ ejus votum de petenda Urbe soli Deo notum se se divinitus cognovisse monstraverat. Cum vero Cardinalium Gallorum suasionibus permotus Avenionem redire cogitaret, in morbum incidit, ex quo die 27. Martii anni 1378. ætatis suæ sexto circiter, & quadragesimo mortem obiit, cum sedisset Annos VII. M. II. D. XXVIII.

Corpus ejus primo in Basilicam S. Petri delatum, exequiis solemnibus curatum fuit publico omnium Romanorum dolore; mox die sequenti ad Ecclesiam Sanctæ Mariæ Novæ in Foro Romano translatum, ubi a Senatu Sepulchro marmoreo ornatissimo constructo, conditum requiescit.

CCII.

202



NOTÆ.

URBANUS VI. patria Neapolitanus, antea *Bartholomæus Prignanus* ex Archiepiscopo Barensi Summus Pontifex electus est extra Collegium anno 1378. die 8. Aprilis. De hujus legitima possessione Pontificatus, atque successorum ejus, vide Caput II. nostrarum Animadversionum. Post peractam ejus coronationem, & obsequia eidem uti vero Pontifici præstita, Urbanus se inurbanum omnino, asperum, & rigidum Cardinalibus præbuit, illorum mores publica in concione redarguit, eisque interminatus est severissimam animadversionem, adeo ut exacerbati Cardinales Galli 13. Judiciario ordine, ipsum monuerunt, ut dignitatem deponeret, qui optime nosset, se non esse legitimum Pontificem, sed metu mortis, ac vi a furente multitudine Romanorum Cardinalibus illata electum. Sed causam suam defendente Urbano, tandem prædicti Cardinales Fundos se recipientes, Pseudopontificem renunciarunt Robertum ex Comitibus Gebennensem sub nomine Clementis VII. unde initium habuit schisma omnium teterrimum, atque longissimum 40. annorum. Urbanus itaque infelicem Pontificatum gessit, per Italiam discurrens laboriosissime. Tandem anno 1389. cum Romam se recepisset, die 15. Octobris e vivis sublatus est, & quidem veneno, a quo ut sibi caveret, a S. Catharina Senensi admonitus fuerat, cum sedisset Ann. XI. M. VI. totidemque dies, aliis vero dies VII.

Corpus Urbani VI. in sarcophago marmoreo tumulatum fuit in Basilica S. Petri.

CCIII.

203

✠ BONIFACIVS IX. SED. ANN. XIV. M. XI. D. I.



NOTÆ.

BONIFACIUS IX. Petrus antea vocatus patria Neapolitanus, ex nobili Familia de Thomacellis, ex Presbytero Cardinali Tituli S. Anastasiæ, a 14. Cardinalibus in Urbe electus est Pontifex. Indictum ab Urbano Jubilæum, anno 1390. celebravit. Annatas Beneficiorum instituit. Molem Adriani munivit, & visus est *quasi primus omnium Romanorum Pontificum omnem populi Romani vim sustulisse, Pontificiam auctoritatem eo usque nutantem confirmasse, ac tandem Urbis summum Imperium obtinuisse, cunctis suo arbitratu Magistratibus creatis.*, ut scribit Bzovius ad annum 1394. Jubilæum quoque anno 1400. traditur celebrasse, ex decreto Bonifacii VIII. Superstitionem *Alborum*, qui lineis vestibus induti longo supplicantium ordine, totam fere Italiam peragrabant, Crucem manu gestantes, psalmos canentes, noctu in Ecclesia promiscue cubantes sustulit. Notatur Bonifacius nimiæ affectionis erga propinquos. Commendatur tamen, quod maluerit mori, quam ex medicorum consilio castitatis jacturum pati. S. Petri Patrimonium recuperavit. Ladislaum Neapolitani Regis filium in paternum Regnum restituit, & Robertum Cæsarem confirmavit. S. Birgittam Viduam Sanctis adscripsit, Cameram Apostolicam ditissimam reliquit. Decessit Romæ die primo Octobris anni 1404. cum sedisset Ann. XIV. M. XI. D. I. solemni funere fuit in Vaticano sepultus.

CCIV.

✠ INNOCENTIVS VII. SED. ANN. II. D. XXI.

204



NOTÆ.

INNOCENTIUS VII. patria Sulmonensis, ante *Cosmatus Melioratus* Archiepiscopus Bononiensis, & Cardinalis Tituli S. Crucis in Hierusalem, ab octo Cardinalibus Conclave ingressis, electus est, qui ante omnia se hoc juramento adstrinxerunt, ut quisquis eorum renunciaretur Pontifex, libere abdicaret, quoties alterius factionis Papa (tunc erat Petrus de Luna dictus Benedictus XIII.) idem faceret, schismatis tollendi causa. Prædicatur Innocentius ornatus omnibus optimi Principis dotibus. Quamvis pacifici animi fuerit, tamen Romani Proceres pristinæ libertatis cupidi, mirum in modum Innocentium exagitarunt, sed Ludovici Meliorati Nepotis ejus audacia, ac temeritate, qui ea de causa nonnullos eorum de medio sustulerat, tanto discrimini objectus est, ut citato gressu Viterbium, populi furorem declinaturus, profugerit. Anno sequenti Romani, quos pœnituerat injuriarum Innocentio Papæ illatarum, eum revocarunt, tradito illi integro Urbis dominio, & magna Civium gratulatione susceptus est. Eum Jurisconsultissimum fuisse tradunt Scriptores, & delectari solitum colloquiis Doctorum Virorum. Vir ætate grandævus ex hac vita migravit die 6. Novembris anni 1406. cum sedisset Ann. II. ac D. XX. vel XXII.

Ejus Corpus conditum fuit in Vaticano.

CCV. CCVI.

205



206



NOTÆ.

GREGORIUS XII. antea *Angelus Corrarius*, Patricius Venetus, ex Presbytero Cardinali Tituli S. Marci, electus est Pontifex a 14. Cardinalibus in Conclavi reclusis, præmisso a singulis solemni voto, ac jurejurando, ut is, in quem caderet electio, adversario, nempe *Petro de Luna* se pro Pontifice gerenti, statim scriberet, eundemque invitaret ad se invicem abdicandum, procuraretque bona fide, & sine ulla fraude, omni via, & modo unitatem, idque unusquisque chirographis suis firmavit.

Sequuta autem est electio Angeli Corrarii die 2. Decembris anni 1406. & sic electus votum, & jusjurandum renovavit, priusquam coronaretur. Mox cœptum est agitari de tollendo schismate, & ultro citroque litteris missis, & Nunciis, diu res consulto ab utraque parte protracta est, absque ulla spe concordiæ. Cardinales utriusque partis convenientes Pisas, habitoque Concilio, die 5. Junii anni 1409. tum Gregorium, tum Benedictum a Pontificatu amoverunt, ac Alexandrum V. Pontificem declararunt. Verum Gregorius, sexto post anno, per Carolum Malatestam procuratorem solemniter Juri suo renunciavit in Concilio Constantiensi, nomenque suum *Angeli* resumsit. Ceterum Cardinales eum Cardinalem, & Episcopum Portuensem, ac Legatum Marchiæ perpetuum esse voluerunt.

Post biennium naturæ debitum solvit Recineti anno 1417. tumulatusque fuit in Templo majore. Sedit ab accepto Pontificatu legitime An. II. M. VI. D. IV. usque dum ab ipso Concilio depositus fuit.

NOTÆ.

ALEXANDER V. Natione Cretensis, antea *Petrus Philargus*, seu Philaretus, Ordinis Minorum, primum Episcopus Vicentinus, postea Archiepiscopus Mediolanensis, & Cardinalis Tituli Sanctorum XII. Apostolorum, ferme nonagenarius electus est in Concilio Pisano a 24. Cardinalibus in Conclavi habito in ædibus Archiepiscopalibus die 15. Junii anni 1409. Quod Concilium plures Œcumenicum fuisse volunt, nam in eo convenerunt Cardinales 24. Patriarchæ tres, Archiepiscopi, & Episcopi 300. Monasteriorum præfecti 20. & 8. Theologi, & Legati Principum plures. Absoluto Concilio, Bononiam se contulit Alexander, ubi morbo correptus die 4. Maji obiit anno 1410. cum sedisset Menses X. ac D. VIII. Sepultus fuit ibidem in Ecclesia Sancti Francisci, cujus & ipse Institutum professus fuerat. Laudatur communiter ob liberalitatem in pauperes, itaut, nihil sibi relinqueret; unde per jocum dictitabat: *Se divitem Episcopum, pauperem Cardinalem, mendicum Papam fuisse*. Is fuit, qui omnium primus titulos mutavit Cardinalibus, unde optionis, ut appellant, exordium natum est inter Cardinales. Hic quoque Regnum Neapolitanum Ladislao abrogatum, concessit Ludovico Andegavensi, Urbemque Romam ab ejusdem Ladislai tyrannide vindicatam per Paulum Ursinum, redegit in potestatem.

CCVII.



NOTÆ.

JOANNES, revera XXII. dicendus, ſed communiter XXIII. & XXIV. appellatus, antea *Balthaſſar Coſſa* Neapolitanus, ex Diacono Cardinali Tit. S. Euſtachil, poſt obitum Alexandri V. a Cardinalibus num. 17. qui erant Bononiæ, Romanus Pontiſea electus eſt die 17. Maji anni 1410. Ad tollendum ſchiſma Joannes indiait Concilium Generale, adnitente Sigiſmundo Imperatore, celebrandum Conſtantiæ in Diœceſi Moguntina an. 1414. In ſeſs. 1. hujus Concilii peracta die 4. Julii an. 1415. facta fuit renunciatin Gregorii XII. per Carolum de Malateſtis. In ſeſs. 2. poſtridie Kal. Martii an. 1416. Joannes ſedens in Cathedra ſua, ante Altare juravit, ſpoponditque Deo, & Concilio, ſe ſponte, & libere dare pacem Eccleſiæ, per viam ſimplicis ceſſionis Papatus &c. At cum a juramento deficiens profugus clam ſe ſubduxiſſet, in ſeſs. XII. die 29. Maji an. 1416. per publicam ſententiam a Concilio privatus fuit Jure Pontificatus, ipſeque captus, honeſta ſub cuſtodia Sigiſmundi Imperatoris detinendus traditus eſt. Hanc ſententiam ipſe veritus, ratam habuit ſuam depoſitionem a Papatu die ultima Maji.

Sedit itaque legitime Joannes Ann. V. & D. IV. numerando ab ejus coronatione facta die 25. Maji 1410. dies vero XIII. ab ejus electione, ex calculo Pagii. Abſoluto tandem Concilio, Joannes e cuſtodia elapſus, Florentiam contendit ad Martinum V. a quo benigne eaceptus, Cardinalis Epiſcopus Tuſculanus, & S. Collegii Decanus conſtitutus eſt, conceſſa illi ſede paulo eminentiore, quam cæteris Cardinalibus. Obiit Florentiæ an. 1419. die 22. Decembris, ſepultuſque fuit ibidem in Baptiſterio S. Joannis ſepulchro marmoreo contectus.

CCVIII.



NOTÆ.

MARTINUS V. revera dicendus III. patria Romanus, antea *Oddo* ex præclaria Columnenſium familia, ca Diacono Cardinali S. Georgii ad Velum aureum concorditer electus eſt a 21. Cardinalibus, una cum ſelectis e quinque Nationibus triginta Electoribus in Concilio Conſtantienſi: qui omnes ingreſſi Conclave, tertio poſt die, nempe XI. Novembris an. 1417. eum crearunt. Hoc Pontifice, exoptatiſſima cunctis fidelibus pax Eccleſiæ tandem reſtituta eſt, & funeſtiſſimum illud ſchiſma extinctum, quod per 40. & amplius annos ipſam proſcidit Eccleſiam. Moa Florentiam ſe recepit, deinde Romam, ejuſque adventu adeo mutata eſt facies Urbis, & priſtino reſtituta ſplendori, ut verus Patriæ Pater, & Pontiſea Summus dictus fuerit.

Cum vero in Concilio Conſtantienſi cautum fuiſſet, ut quolibet decennio Concilium Generale cogeretur, Martinus futuri Concilii ſedem deſignavit Ticinum, verum cum ob peſtem in ea Urbe graſſantem, pauci admodum Patres conveniſſent, Piſas translatum eſt, & magno apparatu inchoatum eſt. Obiit demum Romæ inter diem 20. & 21. Februarii an. 1531. cum ſediſſet Annos XIII. M. III. & D. X. non vero Dies XII. ut legitur in Epitaphio ejus tumulo appoſito in medio Lateranenſis Baſilicæ hujus tenoris.

MARTINUS PP. V. SEDIT ANNOS XIII.
M. III. D. XII. OBIIT ANNO MCCCCXXXI.
DIE XX. FEBRUARII TEMPORUM
SUORUM FELICITAS.

CCIX.

209



NOTÆ.

EUGENIUS IV. patria Venetus, antea *Gabriel* ex nobili Condulmeria Familia, Presbyter Tituli S. Clementis, & Archiepiſcopus Senenſis Martino V. ſuffectus eſt, ſuffragiis XIV. Cardinalium Romæ exiſtentium in Conclavi parato in Sacrario S. Mariæ ſupra Minervam electus die 3. Martii an. 1431. Vir fuit corpore, & animo magnus, & cultus Divini Chriſtianæque Religionis dilatandæ ſtudioſiſſimus, ut ſcribit S. Antoninus. Hic variis adverſæ fortunæ expetitus motibus, ſemper infracto, animo, & excelſo reſtitit, & deceſſoris veſtigiis Inſiſtens, Concilium Baſileæ celebrandum indixit, cui Legatum addixit Julianum Cardinalem Cæſarinum, qui ſeſſionem primam celebravit anno 1431. die 14. Decembris, quam poſtmodum irritam declaravit, & Concilium tranſtulit Avenionem. Verum poſtea, recisſis iis, quæ Concilium ſtatuerat contra Papam, Eugenius idem tranſtulit Ferrariam, qui locus viſus eſt Græcis commodiſſimus, qui eo convenerunt, ſed exorta ibidem peſte, Florentiam translatum eſt, quod poſtea fuit Generale XVI. Eoque feliciter abſoluto cum unione Græcæ Eccleſiæ, atque Latinæ, Eugenius poſt immenſos labores, Romæ deceſſit die 23. Februarii anni 1447. cum ſediſſet laudatiſſime Annis XV. M. IX. ac D. XX. ut ex exactiori calculo Pagii in Breviario, & Raynaldi, atque Spondani.

Corpus ejus primo ſepultum eſt in Vaticano; inde poſt plures annos translatum fuit ad Eccleſiam S. Salvatoris in Lauro, Canonicorum S. Georgii in Alga, inter quos olim vixerat.

CCX.

210



NOTÆ.

NICOLAUS V. patria Sarzanenſis in Liguria, ante *Thomas Parentucellus* Bartholomæi profeſſione Medici, & Andreolæ Caldarinæ filius ex Presbytero Cardinali Tituli S. Suſannæ, a XVII. Patribus eligitur Pontifex, invitus atque reluctans, die 6. Martii anni 1447. qui nomen Nicolai ſumpſit ad celebrandam memoriam B. Nicolai de Albergatis, qui Pontificatum multo antea illi prædixerat. Schiſma extinxit Amadei pſeudopontificis, ſub nomine Felicis V. electi à damnato Concilio Baſileenſi, quem ſuis pedibus humiliatum Cardinalem creavit, & ampliſſimis honoribus cumulavit. Jubilæum anno 1450. incredibili hominum frequentia celebravit; e Patriarchatu Gradenſi, primum conſtituit Venetiarum Patriarcham Sanctum Laurentium Juſtinianum. Italiæ, & Eccleſiæ pacem conſecutus, Fridericum III. Imperatorem Romæ coronavit. Litteratorum fuit amantiſsimus, & ipſe doctiſsimus. Libris ex Oriente ſummo ſtudio perquiſitis, atque maximo impendio comparatis, & in Latinum converſis, Bibliothecam Apoſtolicam exornavit. Urbem Romam multis ædificiis, & magnis adauxit. Tandem capta a Turcis Civitate Conſtantinopoli, & penitus extincto Imperio Græcorum, vita exceſsit die 24. Martii anni 1455. cum ſediſſet Annos VIII. D. XIX.

Corpus ejus ſepultum eſt in Baſilica Vaticana.

CCXI. CCXII.

211



212



N O T Æ.

CALLISTUS III. natione Hispanus, antea *Alphonsus Borgia*, patria Valentinus, Cardinalis Tituli SS. IV. Coronatorum, Vir provectæ ætatis, cui quidem Pontificatum prædixerat S. Vincentius Ferrerius Ordinis Prædicatorum, electus est die 8. Aprilis anni 1455. Statim Legatos ad Principes Christianos misit, ut hortarentur ad arma consocianda adversus Turcas, atque ut hoc a Deo obtineret, ad sonitum Campanæ, sub meridiem ter recitari jussit Orationem Dominicam, Angelicamque salutationem. Obtenta adversus Turcas victoria, ut grates Deo haberenur, Officium Transfigurationis a se compositum, cum Indulgentiarum Festi Corporis Christi largitione, quotannis recitari jussit. Cavit sub pœna anathematis, ne quis in Sacello Pontificio sermonem haberet, quem prius non expendisset Sacri Palatii Apostolici Magister. Alphonso Aragonio defuncto, Regnum Neapolitanum Ecclesiæ repetiit, repugnantique Ferdinando notho Alphonsi filio magnum exhibuisset negotium, nisi senio & morbo confectus migrasset e vita. Osmundum Episcopum, & S. Vincentium Ferrerium in Album Sanctorum retulit. Obiit laudatissimus Pontifex, octuagenario major die 6. Augusti anno 1458. cum sedisset Annos III. M. III. & D. XXIX.

Corpus ejus sepultum fuit in Vaticana Basilica, in Templo rotundo S. Mariæ de Febribus, quod modo est sacrarium ejusdem Basilicæ. Verum anno 1610. translatum fuit, una cum ossibus Alexandri VI. ad Ecclesiam B. V. de Monte Serrato Urbis, quæ est ejusdem Nationis.

N O T Æ.

PIUS II. patria Senensis, antea *Æneas Sylvius Piccolomineus*, Cardinalis Tituli S. Sabinæ in Aventino, Vir eximia eruditione, & eloquentia præditus, atque industrius, ac prudentia nulli secundus, a Nicolao V. Episcopus Senensis, & a Callisto III. Cardinalis creatus, suffragantibus XVII. Patribus, renunciatur Pontifex die 19. Augusti an. 1458. Rescidit quæ ipse in Concilio Basileensi contra Eugenium IV. egerat. B. Catharinam Senensem Virginem Sanctis adscripsit. Multa præclare gessit ad utilitatem Ecclesiæ. Mantuæ Conventum habuit, quo decretum promulgavit, quo appellationes ad futurum Concilium irritas, & inanes declaravit, ad id statutis pœnis in quoscumque etiam dignitate fulgentes, & reos declaravit eosdem Majestatis læsæ, & hæreticæ pravitatis. Bellum in eodem Concilio Mantuano contra Turcas indixit; & quamvis incommoda valetudine vexatus, se ad illam expeditionem paravit. Quare Anconam perrexit, ubi eum ingens armatorum multitudo, & Dux ipse Venetorum, cum apparatissima classe opperiebantur. Hæc tamen agens, ibidem morbo oppressus migravit e vita die 14. Augusti anni 1464. cum sedisset Annos V. M. XI. D. XXVI. vel ut alii tradunt, Annos VI. minus quinque diebus, & hoc revera ex calculo resultat dierum electionis, & mortis ejus.

Corpus ejus ad Urbem delatum, conditum fuit in Vaticano apud Altare S. Andreæ, inde postea translatum ad Ecclesiam S. Andreæ de Valle honorifico Mausoleo contectum.

CCXIII.

213



NOTÆ.

PAULUS II. patria Venetus, antea *Petrus* ex nobili familia *Barbo*, filius Nicolai, & Poliaenæ sororis Eugenii IV. a quo creatus fuerat Cardinalis Tituli S. Marci, electus est Pontifex primo Comitiorum die nempe 30. Augusti anni 1464. Exempla decessorum suorum sequutus, Bellum paravit contra Turcas, & Hussitarum hæresim extinguendam, aut opprimendam curavit, & Georgium Regem Bohemorum Husitis adhærentem, damnavit, ac Regno privavit. Rubro galero Cardinalium addidit Capitia, nempe Mozzettum purpureum, & usum Mitræ Damascenæ. Eorum subsellia, tam ad Senatus quam ad Sacrificiorum consessum, altius elevavit. Basilicam Sancti Marci ornavit, porticumque addidit, & juxta illam Ædes Pontificias construxit. Tam liberalis animo fuit, ut paucis egentium non donaverit. Justitiæ, pietatis, divinarumque cæremoniarum cultor extitit religiosissimus, Ecclesiasticæ libertatis, majestatisque defensor constantissimus, & tam clemens, ut occidi neminem passus sit. Statuit Jubilæi annum celebrandum esse singulo anno vigesimoquinto in futurum. Tiaram Pontificiam gemmis pretiosissimis exornavit. Apoplexia tactus, spiritum exhalavit die 28. Julii anni 1471. cum sedisset An. VI. M. X. D. XXVI.

Corpus ejus tumulatum fuit in Basilica S. Petri.

CCXIV.

214.



NOTÆ.

SIXTUS IV. natione Ligur, patria Saonensis, antea *Franciscus de Ruvere* appellatus, ex Generali Ministro Ordinis Minorum Sancti Francisci a Paulo II. ob ejus singularem doctrinam, ac pietatem, ad Cardinalatus dignitatem promotus, die 9. Augusti anni 1471. electus est Summus Pontifex. Urbem instauravit, Templisque, Ponte, Foro, viis, & Bibliotheca Vaticana egregie exornavit. Romæ Judices, quos sacræ Rotæ Auditores appellant, duodecim esse decrevit, cum essent antea quatuordecim. In Ordines S. Francisci, ac Sancti Dominici plura effudit privilegia, ac S. Bonaventuram Cardinalem, & Episcopum Albanensem inter Sanctos retulit. Paleologo Peloponesi Domino, Despotæ, Epiri Reginis Cypri, ac Bossinæ, qui Turcarum armis erant profugi, patriisque bonis spoliati, Romæ liberale hospitium præbuit, atque nihil prætermisit, quod publico decori, & commoditati esse censeret. Tandem præclarissimus Pontifex vita excessit die 13. Augusti anni 1484. cum sedisset An. XIII. & D. III. vel juxta alios, An. XIII. & D. V.

Corpus ejus sepultum fuit in Vaticano, honorifico æneoque tumulo, jacetque in Sacello SS. Sacramenti.

CCXV. CCXVI.

215



216



N O T Æ:

INNOCENTIUS VIII. patria Genuensis, prius *Joannes Baptista Cybo* appellatus, Aarone patre genitus, electus est Pontifex ex Cardinali Tituli S. Laurentii in Lucina, die 29. Augusti anni 1484. Hic Basilicam Vaticanam, ferro hastæ, quod latus Domini pendentis in Cruce perfoderat, a Bajazete Turcarum Tyranno in donum accepto, ditavit. Principes Christianos sæpius, & iteratis Nunciis, ad concordiam, & proinde ad expeditionem in Turcas hortatus est: sicarios, & grassatores sustulit, Annonam auxit. Carlottæ Cypri Reginæ in Urbe defunctæ parentavit. Zizimum ipsius Bajazetis fratrem cum honore suscepit. Ferdinandum V. Aragoniæ, & Castellæ Regem, qui Granata potitus, vetustissimum Maurorum jugum in Hispania deleverat, *Catholici* titulo decoravit. Naturæ tributum solvit die 25. Julii anni 1492. cum sedisset Annos VII. M. X. D. XXVII.

Corpus hujus Pontificis in Basilica Vaticana sepultum fuit honorifico tumulo cum duplici ænea effigie prope Sacellum Chori Canonicorum.

N O T Æ.

ALEXANDER VI. natione Hispanus, patria Valentinus, *Rodericus Lenzolius* antea dictus, Callisti III. ex sorore Nepos, ex Gente *Borgia*, & patre Josfredo, seu Gothifrido, electus est Pontifex ex Episcopo Portuensi, die 11. Augusti, anno 1492. Annum Jubilæi VII. celebravit. Se omnium animis accomodavit, cum jucundis de remissione, cum severis de disciplina, cum Patribus de republica, semper est loquutus; adversarios lenitate, & patientia, Principes fere omnes humanitate, æmulos beneficiis sibi conjunxit. Certior factus a Ferdinando V. Catholico de novi Orbis inventione, eidem enixe petenti adjudicavit insulas detectas, ac regiones omnes imposterum detegendas, initio facto a Circulo Meridiano, qui centum leucarum intervallo ab Azoribus, & Hesperidum insulis in occasum, & meridiem distaret. Ex auro primum Romam ex hujusmodi Indiis delato tectum sanctæ Liberianæ Basilicæ ornavit. Obiit ex veneno per errorem sibi propinato, die 18. Augusti anni 1503. cum sedisset Ann. XI. Dies VIII.

Corpus ejus conditum fuit in Vaticano, inde anno 1610. una cum ossibus Callisti III. translatum in Ecclesiam Beatæ Virginis de Monte Serrato in Urbe, & in ejus Sacrario requiescit.

CCXVII.

217



NOTÆ.

PIUS III. patria Senensis, antea *Franciscus Tudeschinus Piccolomineus* appellatus, filius Nani Tudeschini, & Laodomiæ Pii II. sororis, renunciatus est Pontifex Maximus die 22. Septembris anno Christi 1503. Vir fuit admirabilis doctrinæ, & singularis prudentiæ, eximiæ benignitatis, atque humanissimi ingenii, qui religione, integritate, & gravitate semper claruerat. Sed quum plura ad Ecclesiæ splendorem, atque utilitatem moliretur, morte præoccupatus est die a sua promotione XXVI. 17. Octobris ejusdem anni.

Corpus ejus primo in Vaticano apud Patruum Pium II. sepultum, inde cum eodem translatum fuit ad Ecclesiam S. Andreæ de Valle, ubi honorifico sepulchro contectum jacet.

CCXVIII.

218



NOTÆ.

JULIUS II. natione Ligur, patria Saonensis, *Julianus* antea *de Ruvere* dictus, Raphaelis filius, & Sixti IV. nepos, ex Cardinali Episcopo Ostiensi sufficitur Pio III. die prima Novembris anno Christi 1503. tanto omnium Cardinalium consensu, ut Conclavi nondum obserato renunciatus fuerit Pontifex. Vaticanam Basilicam a Constantino Magno constructam vetustate collabentem, instaurandam suscepit, & in eam amplitudinem, quæ Apostolorum Principe, & Majestate Pontificia digna esset, extendit, quæ postea a successoribus suis in eam admirandam formam, quæ nunc cernitur, constructa habetur. Concilium Generale XVII. indixit, Lateranense V. & inchoavit, quod morte præreptus successori absolvendum reliquit. Vir fuit excelsi animi, intrepidusque assertor ditionis Ecclesiæ. Primus contra consuetudinem suorum prædecessorum barbam prolixam aluit ad majorem intuentibus reverentiam incutiendam. Annum ætatis suæ agens 70. obiit die 21. Februarii anni 1513. cum sedisset An. IX. M. III. D. XXI. aliis D. XVII. vel XXIII.

Corpus ejus sepultum fuit in Vaticano, quamvis in Æde S. Petri ad Vincula eidem erectum fuerit nobilissimum sepulchrum cum excellentissima statua Moysis, manu celeberrimi Sculptoris Michaelis Angeli Bonarotæ effigiata.

CCXIX.

219 

NOTÆ.

LEO X. patria Florentinus Laurentii Medicei filius, *Joannes* antea *Medices* nuncupatus, S. R. E. Cardinalis, annos natus 37. juniorum præsertim Cardinalium opera die 11. Martii anni 1513. electus est Pontifex. Initio Pontificatus Concilium Lateranense a Julio II. Incœptum, absolvendum curavit, Legatos misit ad Moschos, & Maronitas, ut illos quidem ab Græcorum schismate revocaret, hos vero hortaretur ad abrogandos pravos ritus in rebus sacris. B. Franciscum de Paula in album Sanctorum retulit. Martinum Lutherum impium apostatam, & errores in Germaniæ partes disseminantem damnavit, ejusque libros ea peste contaminatos comburi præcepit. Bonarum artium studia fovit. Fuit judicii in rebus cognoscendis peracutus, in audiendo patiens, aditu facilis, prudens in sententiis, in dicendo elegans, altæ indolis, munificentiæ, & liberalitatis incredibilis. Extinctis bellorum incendiis, ad Principes Legatos misit ad tranquillitatem, & pacem Reipublicæ componendam. Morte inopina sublatus est die prima Decembris anni 1521. cum sedisset Ann. VIII. M. VIII. D. XX.

In Vaticano Corpus ejus sepultum fuit, ac tempore Pauli III. translatum est in Templum S. Mariæ supra Minervam, & marmoreo, elegantique tumulo conditum.

CCXX.

 220

NOTÆ.

ADRIANUS VI. natione Belga, patria Trajectensis, Florentii filius, Caroli V. Imperatoris Præceptor, Theologus Lovaniensis, & doctrina præditus singulari, vitæque innocentia insignis, ex Presbytero Cardinali Tituli SS. Joannis & Pauli in Monte Cælio, cum in Hispaniis pro Carolo V. Proregem ageret, Romæ a Sacro Collegio Cardinalium Summus Pontifex est renunciatus die 9. Januarii anni 1522. qui nomen sibi non immutavit. Romam veniens, & omnium applausu exceptus, cum Lutheranismum profligare conaretur, Legatos ad Principes misit. Sacerdotes Ordinis S. Francisci in novum Orbem misit ad imbuendas barbaras illas gentes sacris mysteriis. Illud usurpare consuevit, *Ecclesias Sacerdotibus, non Sacerdotes Ecclesiis se ornare velle.* Cum vero de illo spem magnam Ecclesia concepisset, Romæ decessit die 14. Septembris an. 1523. cum sedisset An. I. M. VIII. D. VI. atque in Sanctorum numerum S. Antoninum Florentinum, ac Benonem Misnensem Episcopos retulisset.

Sepultus est in Templo Vaticano, sed inde postea Corpus ejus translatum fuit in Ecclesiam S. Mariæ de Anima, ubi in magnifico requiescit mausoleo conditum.

CCXXI.

221



NOTÆ.

CLEMENS VII. patria Florentinus, antea *Julius Medices*, Leonis X. Patruelis, a quo fuerat creatus Cardinalis Tituli S. Damasi, die 19. Novembris anni 1523. Summus Pontifex electus est. Approbavit Institutum Clericorum Regularium a Joanne Petro Caraffa Episcopo Theatino, & a S. Cajetano Thieneo Presbytero Vicentino fundatum, & Ordinem Capuccinorum confirmavit. Jubilæum anni 1525. celebravit. A Carolo Borbonio, Caroli V. Imperatoris admoto ad Urbem exercitu militum ex magna parte Lutheranorum an. 1527. in Arce S. Angeli, obsessus, Romanæ Urbis direptionem vidit. Mox cum Carolo V. redintegrata amicitia, illum Bononiæ Imperiali Corona exornavit. Lutheri hæresim voce, & scriptis impugnavit. Nihil non egit ad revocandum ab insania sua Henricum VIII. Angliæ Regem ob petitum ab eo divortium cum Catharina ejus conjuge, at post diu expectatam pœnitentiam, tandem eum solemni anathemate perculit, ex quo Rex Caput Ecclesiæ Anglicanæ se pronunciavit. Sic optimus Pontifex per adversa, & prospera jactatus, obiit tandem Romæ die 26. Septembris anni 1534. cum sedisset Annos X. M. X. & Dies V. aliis VII.

Corpus ejus primum in Vaticano sepultum, postea cum Leonis X. cineribus ad Sanctæ Mariæ supra Minervam translatum fuit magnifico mausoleo marmoreo contectum.

CCXXII.

222



NOTÆ.

PAULUS III. patria Romanus Petri Moysii Farnesii, & Joannellæ Cajetanæ filius, dictus antea Alexander, Sacri Collegii Decanus, & Episcopus Ostiensis, Vir magni consilii, doctrinæ, & prudentiæ, annum agens septimum supra sexagesimum, creatus est omnium Patrum suffragiis Pontifex Maximus, primo Comitiorum die, nempe 13. Octobris an. 1534. Concilium Mantuanum, & Tridentinum indixit, & bellum inter Cæsarem Carolum V. ac Franciscum I. Galliarum Regem sedavit. Societatem Jesu confirmavit, & ex ea S. Franciscum Xaverium in Indias Orientales direxit. Sacram Congregationem Inquisitionis an. 1542. primus instituit. Cum vero laudatissime rem Christianam administrasset, tandem commune mortis fatum subiit die 10. Novembris anni 1549. cum Sedem Apostolicam tenuisset per Annos XV. & Dies XXVIII. cum etiam Vaticanam Basilicam maxime exornasset, in qua Corpus ejus conditum fuit eleganti tumulo, publico ære Cardinalium decreto, ejusdem, ac virtutum statuis exornatn, ex metallo confectis, quæ aspicientibus admirationi sunt.

CCXXIII.

223



N O T Æ.

JULIUS III. *Joannes Baptista* vocatus, filius Vincentii de Monte Jurisconsulti egregii, a Natali loco, oppido scilicet Montis Sabini, quod est in Agro Aretino, nomen ejus Familiæ de Monte inditum est. Romæ tamen natus est, & ex Episcopo Cardinali Prænestino, creatus est Pontifex die 8. mensis Februarii anni Jubilæi 1550. Hic dum esset Cardinalis a Clemente VII. datus obses Germanis, ab eisdem male mulctatus est, quin etiam ab eis morte fuisset affectus, nisi per evaporarium tubum, funibus elevatus, a Pompejo Columna liberatus fuisset. Novo edicto revocavit Episcopos ad instaurandum Concilium Tridentinum, misso Marcello Cardinali Crescentio Legato. Philippo II. Hispaniarum Regi, & Caroli V. filio possessionem tradidit Regni Neapolitani. Collegium Germanicum instituit in Urbe, in quo adolescentes illius nationis educati, ac exinde in suas regiones reversi, Catholicam Fidem sustinerent, eversamque restituerent, eique S. Ignatium Loyolam Societatis Jesu Fundatorem præfecit, quod postea regia, ac plane Apostolica liberalitate ditavit, & auxit Gregorius PP. XIII.

Pie obiit die 23. Martii anni 1555. cum sedisset An. V. M. I. D. XVI. Corpus ejus in Vaticano Templo tumulatum fuit, requiescitque in cryptis illius Basilicæ.

CCXXIV.

224



N O T Æ.

MARCELLUS II. patria Politianus, Richardi Cervini filius, & Roberti Cardinalis Bellarmini Avunculus, qui nomen in Baptismo acceptum non mutavit, ex Cardinali Tituli S. Crucis in Hierusalem electus est Pontifex die 9. Aprilis anni 1555. ingenti bonorum gaudio, cum esset Vir integerrimus, atque ingenti pietate exornatus. Nomen Marcelli in Baptismate susceptum ob reverentiam S. Pontificis Marcelli I. retinere voluit. Statim ac electus est, consanguineis suis omnibus accessum ad Urbem interdixit, duosque nepotes, qui Romæ aderant, congratulatorias visitationes suscipere vetuit, nec in conspectum suum, quoad vixit in Pontificatu, umquam admisit. Dum vero multa de ipso sibi promitteret Ecclesia, ex apoplexia repente sublatus est post dies 22. ab ejus electione, nempe 30. Aprilis (ut habet Oldoinus) ejusdem anni 1555. vel, ut alii scribunt, primo die Maji.

Corpus ejus sepultum fuit in Basilica Vaticana.

CCXXV.

225



NOTÆ.

PAULUS IV. Neapolitanus ex nobili familia *Caraffa*, antea dictus, *Joannes Petrus*, ex Episcopo Cardinali Ostiensi, prope octuagenarius, ad summum Pontificatum evectus est die 23. Maji anni 1555. Ante Cardinalatum, quum esset Episcopus Theatinus, una cum S. Cajetano Thienæo Ordinem Clericorum Regularium instituit, cui Religioni propterea *Theatinorum* cognomen inditum fuit. Virum se exhibuit, doctrina, innocentia, & liberalitate eximium, & zelo Catholicæ Fidei præstantem. A Paulo III. creatus Cardinalis, illum induxit ad instituendum Tribunal SS. Inquisitionis. Factus vero Pontifex illud constabilivit; & antequam decederet, vocatos ad se Cardinales hortatus est, ut *Sanctissimum Inquisitionis Officium* commendatum haberent. Ad cultum Divinum augendum multa sancivit. Eidem viventi posita fuit statua marmorea in Capitolio, quam post ejus obitum a furente Populo Romano dejectam, iterum in eodem Capitolio Clemens XI. reposuit, & basim sub ea collocavit inscripsitque: *Paulo IV. Pont. Max. scelerum vindici integerrimo, Catholicæ Fidei acerrimo propugnatori*. Decessit die 18. Augusti anni 1559. cum sedisset Annos IV. M. II. D. XXVI.

Corpus ejus in Basilica Vaticana primo conditum, postea a S. Pio V. ad Ecclesiam Sanctæ Mariæ supra Minervam translatum, & pulcherrimo marmoreo sepulchro cohonestatum fuit cum eleganti inscriptione.

CCXXVI.

226



NOTÆ.

PIUS IV. patria Mediolanensis, antea *Joannes Angelus Medices*, Presbyter Cardinalis Tit. S. Priscæ nuncupatus, Romanus Pontifex electus est die 26. Decembris anni 1559. Concilium Tridentinum per annos decem intermissum instauravit, & novem sessionibus absolutum confirmavit, & Congregationem 8. Cardinalium, qui ejusdem Concilii Decreta executioni mandanda curarent, illorum interpretatione sibi reservata, instituit. Initio Pontificatus Ferdinandi I. Imperatoriam dignitatem ratam habuit. Sanctum Carolum Borromæum Nepotem, Cardinalem, & Archiepiscopum Mediolanensem creavit, & toti Ecclesiæ fulgentissimum sanctitatis jubar accendit. Post instauratos Christianorum mores ad Urbis ornamenta conversus, vias antiquas restituit, novas aperuit, Aquam Virginem iterum in Urbem induxit, Leoninam Urbem munivit, Adriani arcem propugnaculis fulsit, Vaticanum Palatium exornavit, Capitolii Prætorium ædificavit. Thermas Diocletiani Imperatoris in Templum augustissimum B. V. Angelorum convertit, & Chartusianis Monachis attribuit. Morienti adfuere Sancti duo Viri, nempe Philippus Nerius, & Carolus Borromæus. Spiritum emisit die 9. Decembris 1565. cum sedisset An. V. M. XI. D. XV.

Corpus ejus laterltio tumulo in Vaticana Basilica sepultum, ex ea post aliquot annos ad supradictam S. Mariæ Angelorum Ecclesiam in Thermis Diocletianis translatum fuit.

CCXXVII.

227



NOTÆ.

SANCTUS PIUS V. *Boschi*, oppido Agri Berthonensis in Insubria natus, ex Familia *Ghisleria*, Pauli filius, Ordinis Prædicatorum Alumnus, *Fr. Michael* antea nuncupatus, nolens, & recusans, suffragantibus 49. Cardinalibus electus est die 7. Januarii anni *1566.* tamquam omnium virtutum exemplar. Carolo IX. Regi Franciæ contra Sectarios bellum gerenti copias auxiliares direxit, quæ illi ad victoriam non parum contulerunt. Breviarium, & Missale, ac Libros Rituales, ad Concilii Tridentini ordinationem, promulgavit. S. Thomam Aquinatem V. Ecclesiæ Doctorem declaravit, & Sixti IV. ac Concilii Tridentini decreta de Conceptione B. Mariæ Virginis confirmavit, *liberam cuique facultatem relinquens opinandi hujus controversiæ quamlibet partem, prout vel magis pium, vel magis probabile judicaret*, ut ex illius Constitutione liquet. Ejusdem auspiciis, ac precibus relata est ad Echinadas victoria de sempiterno Christiani nominis hoste Turcarum tyranno, quam divinitus didicit eadem hora, qua parta est. Legenda ejus inclyta gesta apud Gabutium, aliosque illius Vitæ Scriptores. Acerbissimis calculi doloribus purgatam animam emisit die 1. Maji anni *1572.* cum sedisset Ann. VI. M. III. D.XXIV.

Corpus ejus in Vaticano sepultum inde a Sixto V. Pontifice ad S. Mariæ Majoris Basilicam translatum est, ubi colitur eleganti loculo inclusum, ac statua marmorea decoratum. Hunc demum Pontificem inter Sanctos retulit nostro hoc ævo Clemens Papa XI.

CCXXVIII.

228



NOTÆ.

GREGORIUS XIII. patria Bononiensis, *Hugo* antea vocatus ex nobili Familia *Boncompagni*. Presbyter Cardinalis Tituli S. Sixti, legum scientia clarissimus, quinquaginta duobus suffragiis, electus est Pontifex die 13. Maji anni 1572. Vir porro zelo Religionis propagandæ, ac pietatis exercendæ exæstuans, XXII. Collegia Romæ, & variis in regionibus instituit, ac dotavit, in quibus variarum nationum adolescentes litteris, ac pietate imbuti alerentur, indeque ad suos reversi, Fidei Catholicæ dilatandæ, atque propagandæ sedulo incumberent. Kalendarium variis erroribus obnoxium correxit, damnatosque a S. Pio V. Michaelis Baji propositiones iterum execratus est. Ut erat literarum studiis addictus, dicere solitus fuit, *nullum magis decere plura scire, quam Pontificem Romanum*. Japoniæ Regum Legatos anno *1585.* Ecclesiæ obedientiam præstantes excepit. Cæterum laudatissimus Pontifex post plurima egregie facta, ad Urbis Romanæ incrementum, & ad Dei gloriam, obiit in Domino die 10. Aprilis anni *1585.* cum sedisset Ann. XII. M. X. & D. XXVIII.

Corpus ejus conditum est in Basilica Vaticana in Sacello B. V. a se condito, in quo Corpus S. Gregorii Nazianzeni reposuerat, quod ab ejus nomine Gregorianum appellatur.

CCXXIX.

229



NOTÆ.

SIXTUS V. *Felix Perettus* antea vocatus, ex Oppido Montalto in Agro Piceno humili loco oriundus, Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci Vicarius Generalis, ac postea S. R. E. Cardinalis Tituli S. Hieronymi Illyricorum, a cunctis Patribus, uno animi consensu, in Gregorii XIII. locum subrogatus est, die 24. Aprilis anni 1585. Justitiæ cultor admodum fuit, terroremque improbis adeo incussit, ut eo Pontifice, nulla latrocinia, nullæ cædes, nulli adulterini concubitus in Urbe committerentur. Pro Terræ Sanctæ recuperatione ad sexagies centena aureorum millia in ærario reliquit. Fabricam S. Petri promovit, & fornicem, vel ut vocant, *Cuppulam* absolvit. Obeliscum Vaticanum in Platea Sancti Petri, aliosque tres, unum ante Basilicam Lateranensem, alterum in platea S. Mariæ de Populo, alium ante Templum S. Mariæ Majoris erexit, in qua etiam Sacellum SS. Præsepis regia munificentia construxit. Innumera sunt excelsi animi sui, & magnificentiæ nunquam interitura monumenta, nam Urbis quietem publicam restituit, Annonæ inopiam sublevavit, eamque ædificiis, viis, aquæductu illustratam reddidit. Bibliotheca, ac Typographia Vaticana magnificentissime constructis decoravit. Viam universæ carnis ingressus est die 27. Augusti anni 1590. cum sedisset Annos V. M. IIII. D. III.

Corpus ejus conditum primum in Vaticano, inde ad Basilicam Liberianam deductum, in prænobili sepulchro, quod sibi vivens erexerat in Sacello SS. Præsepis est collocatum, & marmoreo sepulchro decoratum.

CCXXX.

230



NOTÆ.

URBANUS VII. patria Romanus, Genua vero oriundus, filius Cosmi Castanei Civis Genuensis, & Constantiæ Ricciæ Romanæ, antea *Joannes Baptista Castaneus* appellatus, Presbyter Cardinalis Tituli Sancti Marcelli, moribus castissimus, ingenio mitis, prudentiæ, religionisque commendatione mirabilis, electus est die 15. Septembris anni 1590. unanimi 47. Cardinalium suffragio, ob eximias illius dotes, a quibus tota Italia experimento legationum quas integerrime, ac prudentissime obierat, non parum sibi præsidii sperabat. Bona sua etiam paterna ad æstimationem multorum millium aureorum supremis tabulis, puellarum pauperum dotibus legavit. Consanguineos, & affines, qui, accepto ejus electionis nuncio Romam advolabant, regredi jussit. Antequam Pontificiis insignibus coronaretur, e vita migravit post dies XIII. nempe die 27. ejusdem mensis Septembris, gratias Deo agens, quod eo tempore vocaretur, quo de gesto Pontificatu nondum esset rationem redditurus.

Cadaver ejus in Basilica Vaticana conditum est, ubi requiescit.

CCXXXI.

231



NOTÆ.

GREGORIUS XIV. patria Mediolanensis, antea *Nicolaus* ex nobili familia *Sfondrata*, ex Presbytero Cardinali Tituli S. Cæciliæ, ad Petri Sedem assumitur die 5. Decembris anni 1590. Urbem penuria sublevavit, Cardinalibus quibus res erat angustior, singulis mille aureos distribuit, iisque, qui ex Regulari Professione assumpti erant, qui nigris antehac biretis utebantur, purpureis in futurum uti concessit, ac quatuor, qui aderant ipse manu sua ejusdem coloris bireta imposuit. Nepotem suum Generalem creavit, eumque in Gallias adversus Hugonatarum factiones cum exercitu misit, in quo bello præter 40. aureorum millia de suo peculio impensa, quinquies insuper centena aureorum millia absumpsisse perhibetur. Pauperibus largis eleemosynis succurrit. Extinctus est die xv. Octobris anni 1591. eum sedisset M. X. & D. X.

Corpus ejus tumulo conditum fuit in Sacello Gregoriano Basilicæ Principis Apostolorum.

CCXXXII.

232



NOTÆ.

INNOCENTIUS IX. patria Bononiensis, antea *Joannes Antonius* ex nobili Familia *Facbinetta*, Patre Antonio, doctrina clarus, & incorruptæ vitæ laude notus, assumptus est magna Cardinalium consensione ad Pontificatus apicem die 29. Octobris anni 1591. Ad seditiones sedandas, civilesque controversias componendas animum applicuit; de ethnicis ad Catholicam Fidem convertendis, ac de hæresibus evellendis, & de succurrendo Regi Gallico contra hæreticos, singulis diebus cum Cardinalibus agebat. Testantur Scriptores summam Viri hujus integritatem, erexisse quidem totam Urbem in spem egregii Pontificatus. Verum Pontificem corpore gracilem, & jejuniis affectum, annumque agentem tertium & septuagesimum, multa Ecclesiæ Catholicæ bono molientem, cita mors extinxit die 29. Decembris ejusdem anni, juxta alios die 30. vix altero exacto post Pontificatum mense.

Corpus ejus sepulturæ traditum fuit in Templo Vaticano.

CCXXXIII.

233



NOTÆ.

CLEMENS VIII. patria Florentinus ex *Aldobrandina* familia, antea *Hippolytus* vocatus, post Romanæ Rotæ Judicium, & Datariæ Præfecturam, Cardinalis creatus Tituli S. Pancratii, & Majoris Pœnitentiarii munere auctus; post sedatas in Legatione Polonica inter Sigismundum Regem, & Austriacam Domum discordias, Pontifex renunciatus est die 30 Januarii anno 1592. Ferrariæ Ducatum, Romanæ Ecclesiæ Feudum, mortuo Duce Alphonso Estensi absque liberis, censurarum vi, atque armorum minis Ecclesiæ Patrimonio vindicavit. Annum Jubilæi 1600. celebravit, confluentibusque Peregrinis liberalitatis, & humilitatis opera impendit, pecuniis eos sublevando, pedes lavando, accumbentibus ministrando, & Confessiones audiendo, Cardinales, aliosque Prælatos ad hæc præstanda verbo, & exemplo egregie excitando, itaut non pauci hæretici hisce spectatis, suos errores agnoscentes, se Ecclesiæ Catholicæ subdiderint. Henricum IV. Galliarum Regem professum Catholicam Fidem in sinum Ecclesiæ recepit, & ritu solemni ab anathemate absolvit, Regnoque restituit. Clarus tandem meritis morte sublatus est die 4. Martii (aliis vero, ut habet Oldoinus ex ejus elogio sepulchrali die 7.) anni 1605. cum sedisset Ann. XIII. M. I. D. III.

Corpus ejus sepultum in Vaticano, postea a Paulo V. translatum fuit in Basilicam Liberianam, ubi insigni mausoleo decoratum fuit in sacello Burghesiano.

CCXXXIV.

234



NOTÆ.

LEO XI. patria Florentinus ex nobilissima Medicea Familia, Alexander antea nuncupatus, Octaviani filius, Archiepiscopus Florentinus, & Cardinalis Tituli SS. Joannis & Pauli, renunciatus est Pontifex die 1. Aprilis anni 1605. Magis fuit ostensus, quam datus; nam die XXVI. ejusdem mensis consummatus in brevi explevit tempora multa. Ægrotans, suasionibus plurimorum adduci non potuit, ut nepotem suum modestissimum adolescentem, quem penes se educaverat, & unice diligebat, crearet Cardinalem. Confessarium vero hoc ingerentem, repulit, ut quem magis indulgere affectui conjunctorum, quam animæ suæ saluti consulere cognovisset. Sedit tantum dies XXVII.

Corpus Leonis ad Basilicam Vaticanam delatum jacet in Mausoleo prænobili, ac sumtuose illi excitato. Extat Romæ in Cubiculo S. Philippi Nerii apud S. Hieronymum Charitatis insigne monumentum, quo S. Philippus ipsi Alexandro adhuc laico in eodem Cubiculo prædixit Cardinalatum, & brevem Pontificatum.

ooo PAU-

CCXXXV.

235



NOTÆ.

PAULUS V. patria Romanus, Senis oriundus, ante *Camillus Burghesius* nuncupatus; patre Antonio Burghesio Advocatorum Consistorialium Decano, ex Cardinali Tit. S. Chrisogoni ad Sedem Apostolicam evectus die 16. Maji anni 1605. Vitæ innocentia, ac spectata virtute insignis. Pontificalis regiminis exordia sumpsit a sublevatione Annonæ, ac imminutione Vectigalium, & rerum venalium diminutione pretii. Controversia inter Venetam Rempublicam; & Pontificem diu agitata, opera Henrici IV. Galliarum Regis tandem finita, & Interdicto sublato, Vaticanum Templum porticu, ac exteriori fronte, aliisque operibus adjunctis, absolvit, exornavitque, & Bibliothecam pariter Vaticani Palatii ampliavit: Beatissimæ Deiparæ Virginis cultui maxime addictus, Sacellum eidem in Basilica Sanctæ Mariæ Majoris regia quidem munificentia construxit, exornavitque, in quo ejus Imaginem a D. Luca Evangelista depictam, una cum plurimis Sanctorum Lipsanis collocavit: Vias novas aperuit, aquamque in Agro Brachianensi, saluberrimis fontibus collectam, veteribus aquæ Alseatinæ ductibus restitutis; novisque adjectis 36. ab milliario in Janiculam duxit, totius Urbis non sine maxima commoditate.

Extrmam vitæ lineam attigit die 28. Januarii anni 1621. cum sedisset An. XV. M. VIII. D. XII. Corpus ejus in prædicto a se extructo Sacello in Basilica Sanctæ Mariæ Majoris requiescit.

CCXXXVI.

236



NOTÆ.

GREGORIUS XV. Bononiensis *Alexander Ludovisius* appellatus, Pompeji Ludovisii, & Camillæ Blanchinæ filius, Archiepiscopus suæ patriæ, variis antea Legationibus feliciter functus, ex Cardinali Tituli S. Mariæ Transpontinæ creatur Pontifex die 9. Februarii anni 1621. Constitutionem ad supprimenda dissidia electioni Summi Pontificis irrepentia, ac de forma, qua legitime fieri debeat, novam edidit. *Isidorum Agricolam Hispanum, Ignatium Societatis Jesu Institutorem, Franciscum Xaverium Indiarum Apostolum, Theresiam Carmelitarum Excalceatorum Fundatricem; & Philippum Nerium Congregationis Oratorii Institutorem* an. 1622. Sanctorum fastis adscripsit: Tumultus inter Reges Galliarum, & Hispaniarum excitatos compescuit. Sigismundo Regi Poloniæ de Osmanno Turca victori auxilium præbuit. Hisce rebus gestis, dum consilia alia Christianæ Reipublicæ salutaria animo volveret, Creatori spiritum reddidit die 9. Julii anni 1623. cum laudatissime sedisset An. II. & M. V.

Cadaver ejus cum in Vaticano Templo per breve tempus jacuisset, ad Ecclesiam S. Ignatii Loyolæ a Ludovico ejus Nepote translatum est; ibique honorifico tumulo conditum fuit.

CCXXXVII. CCCXXXVIII.

237 238





N O T Æ.

URBANUS VIII. patriâ Florentinus antea *Maphæjus Barberinus*, Episcopus olim Spoletinus, & S. R. E. Cardinalis, Vir magni ingenii, ac prudentiæ singularis, assumitur ad Pontificatum die 6. Augusti anni 1623. Ditionem Ecclesiasticam munimentis firmavit, audiensque Ducem Urbinatem Franciscum Mariam Roboreum gravi jam ætate post mortem unici filii decrevisse Principatum restituere Apostolicæ Sedi, a qua fiduciarium diu obtinuerat, ejus possessionem adivit, & loca præsidiis firmavit. Urbem ædificiis exornavit, ac mœnibus cinxit, eandemque a contagii morbo immunem sua vigilantia servavit. Jubilæum celebravit anno 1625. Plures dies festos sua Constitutione sustulit, *tum quod pauperes eorum multitudinem ob quotidiani victus laboribus sui comparandi necessitatem sibi valde damnosam conquererentur*, tum quod ipsa multitudine populus uteretur non religioni colendæ, sed vitiis. Collegium de propaganda Fide a fundamentis erexit, Archigymnasium Romanum amplificavit, Vaticanam Bibliothecam Græcis mss. Codicibus ditavit. Auxit Eminentissimi Titulo Cardinales, Archiepiscopos tres electores Imperii, & Magnum Militiæ Melitensis Magistrum. Pontificale Romanum, Hymnosque emendavit, Sanctisque adscripsit Elisabetham Lusitaniæ Reginam, & Andream Corsinum Episcopum Fesulanum, Basilicam Vaticanam exornavit, & solemni ritu consecravit.

E sæculo exivit die 29. Julii anni 1644. cum sedisset An. XX. M. XI. ac D. XX. Corpus ejus conditum in Basilica Vaticana in sepulchro prænobili.


N O T Æ.


INNOCENTIUS X. patria Romanus, ex Gente Nobili *Pamphilia*, antea *Joannes Baptista Pamphilius* dictus, ab Urbano VIII. Cardinalis renunciatus, dum apud Philippum IV. Hispaniarum Regem Apostolici Nuncii officio fungeretur, Pontifex creatus est die 15. Septembris anno 1644. suffragiis 57. Cardinalium. Summa prudentia, atque justitia Rempublicam Christianam administravit. Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis propositiones aliquot damnavit, ut videre est in Constitutione, quam edidit an. 1653. Ecclesiam S. Agnetis in Foro agonali, una cum annexo palatio, & fontibus ad ornatum ejusdem fori a fundamentis construxit. Vaticanam, ac Lateranensem Basilicam ornavit. Anno 1650. Jubilæum celebravit. Ratum jussit Decretum Sacræ Congregationis Cæremoniarum, præcipiens: *Cardinalibus etiam quacunque notaliam, seu præcellentium aliarum dignitatem prærogativa insignitis, quod solo nomine Cardinalis, absque ullo sæcularis dignitatis additamento contenti, non aliis titulis nuncupentur, nec uti possint, quam Eminentissimi, & Reverendissimi, necnon Eminentiæ Reverendissimæ*. Obiit die 6. Januarii anni 1655. cum sedem tenuisset An. X. M. III. D. XXIII.

Sepultus est in Templo Vaticano, indeque postea translatus ad ipsam S. Agnetis Ecclesiam.

ppp ALE-

CCXXXIX. CCXL.

239 

 240

NOTÆ.

ALEXANDER VII. patria Senensis, Flavii filius, antea *Fabius* ex nobili familia *Chisia* nuncupatus, a *65.* Cardinalibus concorditer Romanus Pontifex electus die *7.* Aprilis anni *1655.* pro viribus suæ electioni obstitit, nec prius assensum requisitus præbuit, quam in lacrymas effusus Deum in orationem consuluisset, a qua consurgens dixit, se vocationi Divinæ repugnare nolle. Tot ipse, ac tanta sanctitatis, & contemptus mundi testimonia exhibuit, ut etiam ab adversariis Ecclesiæ laudatissimus habeatur. Specialem pauperum curam suscepit. Confirmavit Bullam Innocentii X. de damnatione propositionum Cornelii Jansenii. Christinam Svetiæ Reginam Romam venientem magnificentissimo apparatu suscepit, & post ab ea ejuratam hæresim, in qua adoleverat, illam Sacramento Confirmationis consignavit. Gymnasii publici Romani ædificationem absolvit. Porticibus magnificis, ex Tiburtino lapideo ambitum totius Plateæ Vaticanæ exornavit. Venetis contra Turcas, Casimiro Poloniæ Regi contra hæreticos, Cæsari contra Christiani nominis hostes, larga manu subvenit.

Morbo tandem correptus pientissime animam exhalavit die *21.* Maji anni *1667.* cum sedisset An. XII. M. I. D. XV. Corpus ejus in Templo Vaticano sepultum est nobili marmoreo sarcophago contectum.

NOTÆ.


CLEMENS IX. patria Pistoriensis *Julius* antea *Rospigliosus*, Cardinalis Tituli S. Sixti, post laudatissime exactam Nuncii Apostolici in Hispaniis Legationem, ab Alexandro VII. creatus, postmodum annos natus LXIX. summo applausu, successor illi datus est die *20.* Junii anni *1667.* Periclitanti Insulæ Candiæ ut subsidia mitteret, nihil intentatum reliquit, operamque totam impendit, ut Christianos Principes in concordiam uniret, & opem eidem Candiæ a Turcis oppugnatæ ferrent, quod & revera præstiterunt. At cum ad extrema jam redacta Candia res arctiores in dies fuerent, ac mortuo Belfortio Duce, & amisso Gallici roboris flore, Veneti compulsi, pacis conditionibus acceptis, Candiam dedere inimicis mense Septembris anni *1669.* Gravi & periculosa ægritudine decumbenti vitam ademit additus dolor Candiæ amissæ, postquam scilicet retulisset in numerum Sanctorum B. Petrum de Alcantara, & Beatam Mariam Magdalenam de Pazzis Ordinis Carmelitarum, atque inter Beatas Rosam Limanam Virginem Tertii Ordinis S. Dominici. Pientissime obiit die 9. Decembris anni *1669.* sanctimonia vitæ clarus, cum sedisset An. II. M. V. D. XIX.

Corpus ejus primo in Basilica Vaticana sepultum, inde translatum fuit ad S. Mariam Majorem, nobili mausoleo cohonestatum.

CCXLI. CCXLII.

241 242





NOTÆ.

CLEMENS X. Romanus, antea *Æmilius Alterius*, prius ad Episcopatum Camerini promotus, atque regimini universi Piceni semel, iterumque impositus, Provinciam illam egregie gubernavit. Post gestam Apostolicam Neapoli Nunciaturam, inter Civiles tumultus, mira dexteritate, utrisque partibus acceptus fuit. A Clemente IX. Cardinalis creatus ante obitum, eoque defuncto, nondum Galero, ac Titulo insignitus, dictus est Pontifex die 29. Aprilis anni 1670. Qui videns Electorum suffragia in se inclinari, tum precibus, tum lacrymis, plurium horarum spatio, tantam dignitatem a se amovere conatus est, & nonnisi pia quadam violentia ad solemnem inaugurationis locum deductus est, octoginta fere annos natus. Orta inter Oratores Principum diffidia composuit. Jubilæum solemne anni 1675. celebravit. Polonis, quos Turcæ premebant, auxilia misit. Curam adhibuit ad firmandam Ecclesiasticam disciplinam, liberalisque in omnes extitit.

Decessit die 22. Julii anni 1676. cum sedisset Ann. VI. M. II. D. XXIII.

Sepultus est in Basilica Vaticana.

NOTÆ.

INNOCENTIUS XI. patria Comensis *Benedictus* antea *Odescalchius* appellatus, ab Innocentio X. Cardinalis creatus, & post aliquot annos Episcopus Novariensis, ac denique die 21. Septembris anni 1676. Pontifex renunciatus, ob vitæ sanctimoniam, & prudentiæ, rerumque agendarum experimentum. Summa constantia prætensas ab Oratoribus Principum in Urbe degentium, suarum Domorum immunitates, infracto animo sustulit, ac rejecit, adjecta anathematis poena, siquis exinde eisdem uti vellet. Eadem restitit constantia Christianissimo Regi extendere volenti Jus *Regaliæ* ad Ecclesias Regni sui, onere hujusmodi, immunes. Principes omnes foederatos, & bellum periculosissimum sustinentes contra Turcas, pecunia, & fusis præsertim ad Deum precibus juvit. Joanni Poloniæ Regi, cujus præsertim virtute egregia, debellati sunt hostes, Ensem, & Galerum a se benedictos, munus tanto Milite dignum dono misit. Præter hæc disciplinam Ecclesiasticam in Urbe ampliavit, & laicis utriusque sexus morum reformationem injunxit. Nepoti suo Livio Odescalchio in ipso Pontificatus exordio inhibuit, ne Principis titulum assumeret, eique bona sua cedens, nullum aliud emolumentum expectare jussit. Cum magnæ sanctitatis opinione decessit die 12. Augusti anni 1689. cum sedisset An. XII. M. X. D. XXII.

Corpus ejus in Basilica Vaticana sepultum jacet in magnifico mausoleo, ejusque Beatificationis Causa in Sacra Congr. Rituum agitur.

CCXLIII. CCXLIV.

243



244



NOTÆ.

ALEXANDER VIII. patria Venetus, antea *Petrus*, ex nobili Familia *Ottoboni*, Marci Venetæ Reipublicæ magni Cancellarii filius, olim Brixiensis Episcopus, ex Presbytero Cardinali Tituli Sancti Marci electus est Pastor Supremus Ecclesiæ die *6.* Octobris anni *1689.* Vir doctrina, pietate, rerumque agendarum experientia clarus. Gratus erga Patriam, plurima ejus decora, & privilegia confirmavit. Beatum Laurentium Justinianum primum Venetiarum Patriarcham inter Sanctos collocavit, eodemque honore, & cultu auxit Beatum Joannem a S. Facundo Ordinis Eremitarum S. Augustini, Paschalem Baylon ex Familia S. Francisci, & Joannem de Deo Fundatorem Ordinis Fratrum Xenodochiis inservientium. Vivere desiit prima die Februarii anni *1691.* ætatis vero suæ 81. cum sedisset An. I. M. III. D. XXVI. ut habet Sandinius.

Corpus ejus sepultum fuit in Basilica Principis Apostolorum, ubi in mausoleo insigni requiescit.

NOTÆ.

INNOCENTIUS XII. patria Neapolitanus nobili genere natus, antea *Antonius Pignatellus*, legationibus ad exteros Principes jam clarus, prudentia, pietate, rerumque experientia præditus, ex Cardinali, & Archiepiscopo Neapolitano creatus est Pontifex omnium Patrum suffragiis die XII. Julii anni 1691. Inter præclaras ejus virtutes specialiter effulsit in Pauperes eximia Charitas. Constitutionem edidit, promulgavitque Eminentissimorum Cardinalium manu subscriptam, qua regnantium Pontificum consanguineos vetuit ditari Ecclesiæ proventibus. Vetuit quoque, Officia, & Magistratus in Urbe, venalia esse, immo & Clericis Cameræ, Præsidi, Auditori, atque Ærarii Præfecto, qui pro his muneribus pecunias dederant, ex ærario pecunias restituit, ut illuc aditus unus merita forent. Venetæ Reipublicæ contra Turcas prospero eventu triremes subsidio misit. Curiam ad Curialium, & litigantium commodum in Monte Citatorio magnificentissime construxit. Pauperes, quos Nepotes suos appellare solebat, perbenigne audiebat facillimo aditu; multisque tandem constitutis ad morum, & Ecclesiasticæ disciplinæ regulas firmandas totius Urbis, & bonorum omnium, & præcipue pauperum dolore, & moerore, vivere desiit die 27. Septembris anno Jubilæi 1700. cum sedisset An. IX. M. II. D. XV.

Corpus ejus in Vaticano Templo sepultum fuit in simplici sarcophago ex marmore, quod sibi initio Pontificatus parari jusserat. Verum post annos plures, munificentia Cardinalis Vincentii Petra Neapolitani, statuis marmoreis, & ornamentis tanti Pontificis memoria dignis exornatum fuit.

CCXLV.

245



NOTÆ.

CLEMENS XI. patria Urbinas, *Joannes Franciscus Albanus* antea appellatus, ex Presbytero Cardinali Tit. S. Silvestri in Capite, creatur Pontifex die 23. Novembris an. 1700. Suæ electioni per triduum restitit, donec tandem, ne Divinæ voluntati contraire videretur, studiis omnium cessit. Consanguineis suis statim denuntiavit, se nihil diminutum velle de Constitutione prædecessoris sui circa Nepotes, & Consanguineos Papæ, & ne munera ulla acciperent. Ut inter Christianos Principes dissidia exorta, quæ mox in exitiale, diuturnumque bellum exarserunt, extingueret, non parum adlaboravit. Catholicæ Fidei, & Religionis propagandæ ardore, ad Sinas, Indos, Persas, Æthiopes, Ægyptios, & Moschos, Evangelii Præcones direxit. Controversiam de ritibus, & cæremoniis Sinensibus diremit, superstitiososque honores haberi solitos Confucio, atque progenitoribus ejus damnavit. Græcis Latinisque litteris excultus Homilias complures, imitatus S. Leonis I. eloquentiam, ad populum habuit. Festum Conceptionis B.M.V. Immaculatæ ubique terrarum ab omnibus Christifidelibus de præcepto servari mandavit. Pium V. Papam, Andream Avellinum, Felicem a Cantalicio, & Catharinam Bononiensem inter Sanctos retulit, celebremque Constitutionem *Unigenitus* edidit. Multa præclare gessit, quæ magno volumine ejus Vitæ continentur.

Obiit die 19. Martii anni 1721. cum sedisset An. XX. M. III. D. XX. Corpus ejus delatum in Basilicam Principis Apostolorum conditum fuit, eo sic mandante, in medio Chori Canonicorum ejusdem Basilicæ, cujus antea Vicarii munere functus fuerat.

CCXLVI.

246



NOTÆ.

INNOCENTIUS XIII. patria Romanus ex præclara de Comitibus familia, *Michael Angelus*, antea vocatus, post exactam laudatissime Nuncii Apostolici apud Lusitaniæ Regem Legationem, sublectus est Clementi XI. dignus successor die 8. Maji anni 1721. Animum statim adjecit ad Pontificium decus domestieum, & majestatem augendum. Liberalis fuit in omnes, & præcipue in eos, quibus aliquo beneficio se obstrictum esse sentiret. Gravis quidem, sed comis semper cunctos excipiebat, itaut nec mansuetudo integritatem, nec integritas mansuetudinem corrumperet. Investituram utriusque Siciliæ Carolo VI. Cæsari concessit. Cultum immemorabilem B. Andreæ de Comitibus Alexandri IV. Nepotis Ordinis Minorum approbavit. Dum fausta & felicia de tanto Pontifice sibi Roma promitteret, mors inopinata interrupit, nam violenta oppressus Infirmitate, hoc exemplum futuris temporibus reliquit admirandum, quod a plurimis etiam Cardinalibus exoratus, novos Cardinales creare noluerit. Obiit die 7. Martii anni 1724. cum sedisset An. II. M. IX. D. XXIX.

Corpus ejus sepultum est in Vaticana Basilica.

CCXLVII.

247



NOTÆ.

BENEDICTUS XIII. patria Neapolitanus ex prænobili antiqua gente *de Ursinis*, Ordinis Prædicatorum, antea *Fr. Vincentius Maria*, a Clemente X. creatus Cardinalis Tit. S. Sixti, postea Archiepiscopus Beneventanus. Vir sincerus, doctus, & cunctis ob vitæ probitatem venerabilis, creatus est Pontifex die 29. Maji anni 1724. diu reluctans, & cum lacrymis oblatam dignitatem a se rejiciens. Anni MDCCXXV. Jubilæum universale celebravit, quo etiam anno celebre Concilium Romanum in Lateranensi Basilica celebravit, multaque in eo ad Ecclesiasticam Disciplinam, morumque reformationem constituit. Fictitias comas gerere Clericis vetuit. Comaclum a pluribus annis a Cæsare occupatum, Ecclesiæ restitui curavit. Archiepiscopatum Beneventanum in Summo Pontificatu retinuit, variasque Sanctorum Canonizationes peregit. Basilicam Lateranensem sedula prædecessorum suorum cura, & nova molitione refectam solemni ritu consecravit. Antiquorum Pontificum vestigia sequutus, rara humilitatis, ac demissionis exhibuit exempla, nam in tanto fastigio dignitatis constitutus, non modo privatim, sed etiam publice, monachi potius, quam Pontificis personam agebat. Ad extremam senectutem perveniens ætatis suæ annorum 81. & dierum XIX. in Vaticano sancte obiit an. 1730. die 21. Februarii, cum sedisset An. V. M. VIII. D. XXIII.

Sepultum fuit ejus Corpus in Vaticano. Post annum vero solemni pompa translatum fuit ad S. Mariæ supra Minervam Fratrum Prædicatorum, ubi nobili mausolæo contectum jacet in Sacello S. sui Patriarchæ Dominici.

CCXLVIII.

248



NOTÆ.

CLEMENS XII. patria Florentinus ex nobilissima Corsinorum familia, antea Laurentius, Presbyter Cardinalis a Clemente XI. creatus, Vir præclara prudentia, & animo Principe digno exornatus, omnium purpuratorum votis electus est Pontifex die XII. Augusti an. 1730. Publicæ magnificentiæ Urbis addictus, plurima ædificia construxit, refecit, absolvitque. Frontem Constantinianæ Basilicæ cum porticu amplissima a fundamentis erexit. Arcum eidem Principi a Senatu Populoque Romano constructum, jam fatiscentem instauravit, ac pristino decori restituit. Antiquorum Imperatorum statuas, inscriptionesque vetustas, Romanæ magnificentiæ testes, magno pretio emptas in Ædibus Capitolinis ad Virorum eruditorum commoditatem, erecto rarissimo museo, reposuit. Portum Anconæ extructis ingentis molis ædificiis & valetudinario commodiorem reddidit. Fontem Aquæ Virginis copia, & salubritate celebrem miro prospectu ornavit, qui a suo Successore absolutus est. Inter Sanctos retulit Vincentium a Paulo Fundatorem Congr. Missionis, Jo. Franciscum Regis Soc. Jesu, Julianam de Falconeriis Florentinam Institutricem Monialium Ord. Servorum B. V. & Catharinam de Flisco Adornam Genuensem. Pientissime decessit die 21. Februarii an. 1740. cum sedisset An. IX. M. VI. D. XXV.

Corpus ejus sepultum fuit in Basilica Vaticana, inde vero translatum in Lateranense, in Sacello a se magnificentissime constructo in honorem S. Andreæ Episcopi Fesulani Gentilis sui.

CCXLIX.



NOTÆ.

BENEDICTUS XIV. Prosper antea, ex perantiqua Nobili Bononiensi familia LAMBERTINA, prognatus, Tituli S. Crucis in Jerusalem, S. R. E. Presbyter Cardinalis, & Archiepiscopus in patria, post interpontificium sex mensium, ac dierum undecim, concordibus totius sacri Collegii Votis, ad summi Pontificatus apicem, summo Orbis Christiani bono, & exultatione evectus est. A pietate exorsus sui Pontificatus initia, sacra Templa instaurare, & exornare cœpit. Absidam Triclinii Leoniani, vetus S. Leonis PP. III. ven. monumentum, quod paulo ante perierat, musivis decoratum picturis, in platea Lateranensi magnifice renovavit. Titulum deinde suum a Lucio II. Contribuli suo instauratum, renovari curavit, ejusque Porticum a fundamentis produxit, Viamque illi ad Lateranensem Basilicam usque, arboribus consitam aperuit. Deiparæ Virginis cultui maxime addictus, ejusdem Basilicæ Liberianæ, & Porticum amplam a fundamentis construxit, totamque summa impensa renovavit interius: plura alia Templa de novo refecit, & collabentia reparavit. Nosocomii S. Spiritus in Saxia spatia produxit, officinis ampliavit, extructo etiam a fundamentis amplissimo Cœmeterio. Erga Basilicam S. Pauli, Via Ostiensi, valde munificus, amplissimam Absidam musivis imaginibus ab Honorio III. excitatam, iisdemmet lineamentis renovavit, & Chronologiam priscorum Pontificum, a S. Petro usque ad Innocentium I. in parietibus superstitem reparavit, aliorumque ad suam usque ætatem perduxit, atque eam, uti exactissimam, typis evulgari sua impensa curavit.

Ut autem sacra, & simul profana eruditione semper lucidissimum sydus effulserat, ut etiam aliis in Pontificatu facem præferret, & ad bonas artes animos incenderet, instituit Accademias rerum Theologicarum, Conciliorum, & sacræ Liturgiæ, necnon Ecclesiasticæ, simul & profanæ Historiæ, quibus, singulis fere hebdomadis, in suo Quirinali Palatio interesse, auresque præbere non dedignatur. Annum Jubilæi sæcularem 1750 sanctissime celebravit, ad quem sanctissimis legibus per diversas Urbis Ecclesias, & in plateis quoque, per alios sacros Oratores, populum ad pœnitentiam provocavit, suoque adegit exemplo; Peregrinos non solum perbenigne ad osculum pedis excepit, & Indulgentiarum largitione exhilaravit, sed etiam in Hospitio SS. Trinitatis eorum pedes lavit, eisque cibaria suis manibus ministravit.

Sanctorum fastis adscripsit Fidelem a Sigmaringa Martyrem, & Josephum a Leonissa Conf. ejusd. Capuccinorum Ordinis; Camillum de Lellis Congr. Ministrantium Infirmis fundatorem, Petrum de Regalato Ord. Minorum, & Catharinam de Ricciis Monialem Ord. S. Dominici; & in Beatorum numerum retulit Hieronymum Æmilianum Congr. Somaschæ, necnon Josephum Calasantium Clericorum Regularium Scholarum Piarum Institutores.

Præter innumera doctissimis suis scriptis, & quotidianis exemplis exhibita (quæ plurium Voluminum spatia non caperent, & quibus mire resplendet,) id silentio præterire non possumus, cum cunctas ejus laudes coronet, videlicet, quòd Consanguineos, & Affines suos, nullo decore, nulla dignitate, non temporalibus divitiis, & gloria duxerit extollendos. DEUM itaque O. & M. adprecemur, ut tantum Pontificem, doctrina, & sanctitate admirandum Orbi Christiano, diu sospitem, incolumenque servare dignetur.

APPENDIX
AD CHRONOLOGIAM
ROMANORUM PONTIFICUM
DE
Translationibus Corporum Sanctorum Pontificum Romanorum ex primis eorumdem Sepulchris ad alias Ecclesias, seu loca
CUM
PROLUSIONE
In qua agitatur quæstio, quisnam ex eorum Successoribus primus hunc morem advexerit.

P R O L U S I O.

HUmano quidem, sed prudenti, utilique consilio factum est, ut Romana Respublica clarissimorum suorum Patrum, Illustriumque Virorum Statuas, ac Imagines erigeret in Capitolio, ut illorum aspectu Adolescentium animi ad præclara illorum sectandum vestigia incitarentur; non minus, ac ex ipsorum præclarissimorum Ducum bustis, ac cineribus magnificentissimis in Mausoleis, juxta vias consulares constructis, ac ipsorum signis, & elogiis excitarentur, quæ posteris Romanæ fortitudinis, & virtutis æmulandæ forent, exemplaria, atque incitamenta.

Hoc quidem hominum consilium fuit, & Reipublicæ admodum utile, sed diu antea Divinum extitit documentum, ut Hebræi quoque a Majoribus suis memoria dignis, quæ in genere morum sequerentur, perdiscerent, ipsorumque sequerentur exempla. Cum enim Hebraico in Populo, in Idololatriam admodum proclivi, usum sculptarum, seu depictarum Imaginum Deus ipse prohibuisset, voluit tamen, ut priscorum Patriarcharum, & Prophetarum, aliorumque sanctissimorum Virorum actiones, & vitæ sacris in Codicibus ita haberentur descriptæ, ac si veluti in speculo, vivis coloribus cernerentur depictæ, ut cunctis ætatibus futuris exemplaria forent, quomodo Altissimus esset diligendus, atque colendus, ejusque lex, & præcepta essent servanda; imo voluit, ut ipsorum monumenta Prophetarum, & Patriarcharum statutis in speluncis venerabiliter custodirentur, ut illorum Corporum, Ossium, & Cinerum memoria in populo excitaretur; unde Dux illa celeberrimus Macchabæorum, ut filios suos ad legem Domini custodiendam erigeret, sic illis loquutus est Macchab. l. 1. cap. 2. ver. 50. *Mementote Patrum vestrorum in generationibus suis &c.*

In novo tamen Testamento, in quo, eliminatâ omnino Idololatria, extinctisque Ethnicorum superstitionibus, vera lux, & Fides Divina per totum Orbem diffunditur, Sanctorum Apostolorum, Pontificum, & Martyrum Imagines, & Reliquias colendas esse, Catholica Ecclesia plurimorum Conciliorum, & Sanctorum Patrum authoritatibus firmavit, ut dubitari nullatenus possit, quin ex eorum Imaginum, ac Reliquiarum cultu, maxima Fidelium cordibus incitamenta, & ad augendam ubique catholicam Fidem exempla proveniant; hoc quidem S. Joannes Chrysostomus testatur, agens de Sanctis Martyribus. Sic enim ait: *Martyres etiam nobiscum partitus est Deus, ut eam Animas sibi ipse sumpsisset, Corpora nobis quodammodo largitus est, ut perpetuæ virtutis monumentum ipsorum ossa habeamus.* Et paulò post: *Propterea nobis Sanctorum Corpora usque ad tempus Resurrectionis commendavit Deus, ut maximæ Philosophiæ materiam, & occasionem habeamus.*

Ecclesia itaque Catholica Spiritus Sancti lumine collustrata, atque edocta, a suis exordiis, Sanctorum Martyrum exuvias summo honore, & cultu prosequi cœpit, ut apparet ex Actis Apostolicis Cap. VII. nam singulæ Ecclesiæ suorum Pontificum, & Præsulum Imagines, & Corpora studiose conservare cœperunt, & venerationi habere, qui testes veræ Fidei, & egregii morum magistri extiterunt, easque proprio sanguine fundaverunt.

Hoc præcipue, cæteras inter, Romana Ecclesia omnium aliarum Mater, Caput, & Magistra docuit; nam Imagines tum Apostolorum Petri, & Pauli, ac cæterorum Pontificum studiose servavit, ut etiam successivis temporibus suarum Basilicarum parietes illorum Imaginibus exornandas duxerit, quarum partem superstitem ab antiquissimis temporibus, ad nostram hanc usque ætatem, conspicimus in Basilica Sancti Pauli, quæ etiam depictæ aderant in aliis Urbis Basilicis, nempe Vaticana, & Lateranensi, aliisque in Ecclesiis, antequam renovarentur.

Potior vero cura Pontificum Romanorum fuit, ut Prædecessorum suorum, & Sanctorum Martyrum sacra Corpora servarentur iisdem in locis ubi condita essent absque ulla suarum partium diminutione, aut distractione, nec alicui concederentur Reliquiarum, & ossium fragmenta. Hoc testatus est sub initio Seculi Septimi eximius Pontifex S. Gregorius Magnus in epistola ad Constantiam Augustam, in qua sic habet (ex *Reg. lib.* 3. ep. 30.) *Cognoscat tranquillissima Domina, quia Romanis consuetudo non est, quando Sanctorum Reliquias dant, ut quidquam tangere præsumant de Corporibus, sed tantummodo in pyxide brandeum mittitur, atque ad sacratissima Corpora Sanctorum ponitur, quod levatum, in Ecclesia, quæ est dedicanda, cum veneratione reconditur, & tantæ per hoc ibidem virtutes fiunt, ac si illuc specialiter eorum Corpora deferantur.* Eandem consuetudinem confirmat S. Gregorius Episcopus Turonensis, qui sub eodem Pontifice ad Urbem accesserat, *in lib. Mirac. cap.* 21.

Sed alia quoque œconomia usus est ipsemet S. Gregorius Magnus: nam Theodolindæ Reginæ, loco ossium, & Reliquiarum Sanctorum Apostolorum, nempe Petri, & Pauli, & aliorum insignium Martyrum, quorum Corpora in Urbis Cœmeteriis, & Basilicis tunc intacta quiescebant, per Joannem, direxerit DE OLEO, quod ardebat ante eorum Sepulchra, ut patet ex ipsorum Indice, qui a pluribus Auctoribus enunciatur, in quo hic Titulus legitur: *Index Oleorum sacrorum, quæ Gregorius Magnus misit ad Theodelindam Reginam*; sive, *Notitia de Oleo Sanctorum Martyrum, qui Romæ in Corpore quiescunt.* Inde sequitur *S. Petri Apostoli, Sancti Pauli Apostoli, S. Pancratii* &c. & aliorum sexaginta habentur Sanctorum Martyrum nomina, inter quæ etiam legitur, *de Oleo de Sede, ubi prius sedit S. Petrus.* Hic Index quoque a Theodorico Ruinarto affertur in suo Opere, *Acta primorum Martyrum selecta, & sincera*, editionis Amstelodami, de anno 1713. pag. 619. ex quibus clare patet, tempore S. Gregorii Papæ, nihil de-

detractum fuisse, neque extra Urbem translatum, ex ossibus sanctorum Corporum, qui Romæ quiescebant. Hoc diserte probat Ludovicus Antonius Muratorius *To. 2. Anecdot. pag.* 194. Dissertat. supra Catalogum Reliquiarum, quem de tempore S. Gregorii scriptum vidit Mabillonius, & refert *in Itin. Italic. pag.* 12. Hæc igitur praxis servata est usque ad Sanctum Paulum primum Pontificem, qui sedere cœpit anno Christi 757. Nihilominus hoc statuendum esse videtur, si de documentis certissimis, & præcipue de Corporibus Sanctorum Romanorum Pontificum agatur; nam alias de cæteris Martyribus, notandum est, quod docet Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum, sub die 13. Maji, in qua agitur de dedicatione Ecclesiæ S. Mariæ ad Martyres (quæ olim celeberrimum fuit in Urbe Pantheon, in quo cunctorum Idolorum colebatur memoria) ita scribens: *Legi in ejus Ecclesiæ Codice manuscripto, Templum illud dicatum in primis in honorem Dei Genitricis Mariæ, omnium sanctorum Martyrum, & Confessorum; illataque illuc esse reperi duo de triginta curribus ossa sanctorum Martyrum, a diversis Urbis Cœmeteriis effossa, solemniter comportata, ac decentissime collocata*. De hac tamen translatione peracta a S. Bonifacio Papa IIII. nihil apparet ex antiquis Scriptoribus, neque ex Anastasio Bibliothecario in vita ejusdem; nihilominus tamen hujus rei aliquod documentum emersit de anno 1675, (ut indicant Acta Sanctorum Bollandiana Tom. 7. Maji, nam cum Altare majus ejusdem Ecclesiæ in meliorem formam esset aptandum, sub die 15. Januarii, reperta est quædam Capsola plumbea, quæ reserata fuit a b. m. Cardinali Gaspare de Carpineo Urbis Vicario, in eaque reperta fuerunt duo Corpora Sanctorum Martyrum, nempe Rasii, & Anastasii, unà cum pluribus Sanctorum Reliquiis, necnon septem Ampullæ vitreæ, ossibus immistæ, triaque numismata ærea, rubigine temporis vetustate omnino corrosa. Hæc tamen translatio dictorum Martyrum, quæ omnium prima censetur peracta a S. Bonifacio, censenda est ex partibus Cœmeteriorum eo tempore collapsis, ac dirutis. In hac tamen observandum est, nullum fuisse extractum alicujus Summi Pontificis Corpus; nam si hoc fuisset, certe non prætermisisset S. Bonifacius nomen indicare, sicuti fecit de Sanctis Rasio, & Anastasio, ac propterea aliquo documento roborasset.

Sed antequam ad certissima progrediamur documenta, statuendum est, ipsorum Sanctorum Pontificum Corpora, indubiis testimoniis constare, vel in Basilica Vaticana, vel in sacris Cœmeteriis intacta omnino jacuisse, nec unquam per partes divisa fuisse, antequam ex primis ipsorum Sepulchris extracta fuerint, aliòve translata; nam nec decebat eadem ibidem sic diminuta relinquere, & obvia, nec oculis omnium ingredientium exposita, sed bene clausa suis in loculis, suisque tumulis fabrefactis, ac tabulis, vel marmoribus, unà cum suis inscriptionibus custodiri; nam si hoc unquam extitisset, omnino repugnaret venerationi, custodiæ, ac exactissimæ diligentiæ, quæ omnino decebant hujusmodi sacros, tantosque Ecclesiæ thesauros. Quod si aliter reperiatur, vel scriptum, vel indicatum ab aliquo Scriptore, id tamquam erronee acceptum ex fabulosis Auctorum narrationibus existimandum esse omnino videtur.

Ante Paulum itaque Papam hujus nominis primum, nullum porro certissimum, atque indubitatum (quod sciam) inveniri potest documentum, quo probari possit, Sanctorum Romanorum Pontificum Corpora, vel ex Basilica Vaticana, vel ex aliis sacris Cœmeteriis extracta fuisse, & in Urbis Ecclesiis publicæ venerationi deposita, vel aliò extra Urbem translata. En igitur exemplar Bullæ ipsius Pauli I., quæ subscripta apparet a plurimis tum Episcopis, tum Cardinalibus S. R. E. in Concilio habito ab ipso Paulo Pontifice, quod monumentum exhibetur a Baronio ad annum Christi 761.

PAULUS Episcopus Servus Servorum Dei. Icontio religioso Presbytero, & Abbati Venerabilis Monasterii S. S. Stephani Martyris, atque Silvestri Confessoris Christi, & aliorum innumerabilium Martyrum, & Confessorum Dei, in eodem sancto Monasterio a nobis, annuente Deo, fundata quiescentium, & cum eo ipsi Venerabili Monasterio in perpetuum.

INter diversa Studiorum examina, & varias humanæ inconstantiæ operationes, quæ nimirum in hac temporali vita pertractantur: illa præsertim toto mentis nisu perficienda sunt, quæ ad laudem Domini Nostri Dei, & Sanctorum ejus respiciunt honorem: & profecto omnia sequuntur prospera, si primitus, quæ sunt Deo gloriosa, & Sanctis ejus persolvenda, procuramus: ob hoc nempe, dum Divina Redemptoris Nostri ineffabilis potentiæ gratia in meam respicere dignata est exiguitatem, magna cura insistere, & anhelante fere dilectionis affectu, diuturna ejus benignitate, ac misericordia procuramus laudes, & meorum ipsi offerre majestati desideria votorum: atque ex hoc divinæ illustrationis compunctus inspiratione, vehementer, licet immeritus, procurare studui ea, quæ ad cultum Dei, & dignum Sanctorum pertineant venerationem, & maximæ roborationis censura confirmare.

Quoniam valde me, fateor, opimis Beneficiorum eorundem Sanctorum suffragiis apud Divinam adjutum misericordiam, pro eo, quod nullis profectibus virtutum mereor institutum, scilicet gravi peccatorum mole prægravatum, adeo magnum, & terribile Apostolicæ Sedis officium prosequi, nisi eorum præsidio divina me prævenerit dignatio: verumtamen in hoc omnipotentiæ suæ, cunctorum prescius, Conditor, & Redemptor Dominus Noster Jesus Christus demonstrat indicia, quod ea, quæ apud eos ipsos descripta sunt, nobis ad spem profectus, potentiæ suæ gratia illustrante, perducit: quod in me nimirum cernitur evenisse. Idcirco ingenti gratulationis lætitia effectus, laudem Domini loquitur os meum; cor, & lingua benedicit sanctum nomen ejus, atque intra cordis affectum, ejus magnæ pietatis clementiæ congruenter confero vota.

Igitur, cum per evoluta annorum spatia, diversa Sanctorum Christi Martyrum, atque Confessorum ejus foras muros hujus Romanæ Urbis

sita

situ antiquitate Cœmeteria neglecta, satis manserunt diruta, contigit postmodum ab impia Longobardorum gentium impugnatione funditus esse demolita. Qui etiam & aliquanta ipsorum effodientes Martyrum sepulchra, & impie devastantes; quorundam Sanctorum deprædati, auferentes secum deportaverunt corpora. Et ex eo tempore omnino desidiose, atque negligenter eis debitus venerationis exhibebatur honor: nam & (quod dici nefas est) etiam, & diversa animalia in aliquantis eisdem Sanctorum Cœmeteriis aditum habentia: illic etenim eorum existebant septa animalium, in quibus fœtorie egerebant squallore.

Unde conspecta eorundem sanctorum locorum desidiosa incuria, & ex hoc valde ingemiscens, atque plurima doloris attritus mæstitia, aptum prospexi, Deo annuente, eosdem sanctos Martyres, & Confessores Christi, & Virgines ex iisdem dirutis auferre locis, quos & cum hymnis, & canticis spiritualibus in hanc Romanam introduximus Urbem, & in Ecclesiam, quam noviter a fundamentis in eorum honorem construxi (intra mœnia scilicet in Domo, quæ mihi parentali successione obvenit, in qua me natum constat, atque nutritum) eorum sanctissima collocans condidi corpora, ubi Congregationem constitui Monachorum speciali censura in honorem, & nomine Beatorum Stephani Papæ, & Martyris, atque Silvestri Papæ, & Confessoris Christi, in quo veneranda eorum quiescunt Corpora. Monasterium virorum Monachorum esse censui, scilicet ad modulationis exercendam psalmodiam, in perpetuum esse declaravi, constituens sedulae ibidem Domino Deo Redemptori nostro referri laudes, & æternam eorundem Sanctorum illic quiescentium venerationis memoriam, ad gloriam Divinæ potentiæ celebrari, atque pro dilatatione, atque stabilitate Reipublicæ, necnon & salute omnium Fidelium Christianorum, & ob meorum veniam delictorum, quotidianas fundi preces, & debitum, & condecentem eisdem omnibus Dei Sanctis exhiberi honorem.

Quoniam dum ipsi Martyres Christi, contemptis humanæ gloriæ blandimentis, atque diversa tormentorum supplicia perpessi, pro Christi sunt nomine capite truncati, & amici Dei effecti, omnino congruit, ut sicut eorum Animæ in cœlestibus Regnis cum Angelis triumphant; ita & in terris quoque eorum sacratissima Corpora, lucidissimis habitaculis collocata, optime ab omnibus venerentur Christianis, dum nimirum impensius pro suis cultoribus divinam non desistunt implorare omnipotentiam; ipsorum quippe me Sanctorum confero præsidiis, confidens, eorum me suffragiis a peccatorum, qua premor, exui mole.

Et ecce, propitiante Domino, idem a nobis in eorum honorem fundatum Monasterium diversis prædiis, atque rebus, & possessionibus urbanis, vel rusticis, & cunctis necessariis utensilibus optime ditantes, omnia, quæ ad concinnationem luminarium, & sedulam sacrificiorum oblationem, vel ea, quæ ad usus illic consistentium Monachorum sufficiunt, concessimus, idest, massas, fundos, casales, collinas, vineas etiam, atque hortos, & oliveta, seu domos, & hospitia, salinas, & aquimolas, vel piscarias, & reliqua possessionum prædia in diversis locis, & Civitatibus sita, simulque, & servorum famulantium secum peculia. Addentes etiam, & sub jure, & ditione ipsius nostri Monasterii confirmantes aliqua Monasteria, & venerabilia loca cum universis possessionibus, & omnibus eis generaliter, & in integro pertinentibus.

Hæc nempe omnia loca, possessiones, vel prædia urbana, vel rustica cum universis generaliter, & in integro eis pertinentibus, ubi, & quocumque loco, & civitate consistunt, & a nobis jam præfato Monasterio concessa sunt, vel inposterum fuerint largienda, per præcepta Pontificalia, & cæteras monitiones ibidem sint, vel fuerint confirmata: præsidente sacerdotali Concilio, statuentes, sancimus Apostolica censura, & sub divini judicii obtestatione a nostris successoribus Pontificibus servanda decrevimus, ut in eodem Venerabili Monasterio perenniter permaneant, atque in ejus usus pro quotidiana sacrificii oblatione, in luminarium concinnatione, atque sustentatione illic existentium Monachorum sempiterno jure proficiant.

Unde, & sub terribili, & tremenda futura cevemus die adventus Magni Domini nostri Jesu Christi, in qua judicaturus est vivos, & mortuos, & sæculum per ignem, etiam & maximis sub anathematis interdictionibus Domini Nostri Jesu Christi, & B. Petri Principis Apostolorum auctoritate decernimus, nulli quoquo modo nostrorum successorum Pontificum licere, vel alicui magnæ, parvæque personæ, cujuscumque sit honoris prædita dignitate, qualibet exquisitiore ingenii arte dissolvere hæc, quæ a nobis pio intuitu ad laudem Redemptoris Nostri, & honorem Sanctorum ejus, constituta sunt. Nec penitus ex iisdem locis, vel possessionibus, atque rebus, & facultatibus, familiis etiam, & peculiis, vel quicquid ad idem Venerabile Monasterium pertinere dignoscitur, auferre, neque quoquo modo alienare; potius autem omnia (ut prælatum est) in eodem sancto loco perenniter in integro permaneant. Sed nec Abbas, qui pro tempore curam ipsius Monasterii gesserit, quoquo modo præsumat quemlibet locum, qui in usu existit Monasterii, cuiquam locare, aut venundare, nec quicquam ex rebus ei pertinentibus usurpare, ac fraudare.

Statuentes interea & hoc decernimus, ut cuncta Congregatio Monachorum in eodem sancto consistentium Monasterio, septies in die Domino Deo nostro referant laudes, & debitum, illic quiescentibus Martyribus, atque Confessoribus Christi persolvant honorem. Sed etiam ei, qui vires subvenit amplissimas, omnium Redemptori nostro studeant referre laudes; quoniam scriptum est: Et adjiciam super omnem laudem tuam. Nam & hoc promulgantes sancimus, & per omnipotentis Dei nostri virtutem, sub terribili anathematis obligatione, omnes obtestantes, decernimus, nullum umquam præsumere quamlibet contrarietatem, aut malitiam in eodem nostro Monasterio, vel pertinentibus ei causis inferre; sed magis pro Dei timore, & maximo Sanctorum ejus honore cuncti juvamina, & auxilii opem ipsi, vel pertinentibus ei causis, atque utilitatibus ingerant, ut participes & ipsi hujus boni effi-

efficiantur operie, & mercedis præmia hujuscemodi beneficio ab omnipotenti Deo consequantur.

Hæc vero omnia a nobis ad laudem Redemptoris nostri promulgata, & ab universo sacerdotali Concilio confirmata, & maximis obligationibus corroborata Deo vivo, & vero decernimus, perenniter conservanda. Si quis autem ex nostris successoribus Pontificibus, aut ex quocumque homine potente, vel inferiore, magna scilicet, parvaque persona cujuscumque sit honoris præditus, & dignitatis, præsumpserit quocumque argumento, vel exquisita occasione, hæc, quæ a nobis ad cultum Dei statuta sunt, destruere, aut dissolvere, vel quoquo modo temerare, aut etiam frangere, & (quod non optamus) quemlibet locum, aut possessionem, vel quicquid prædicto Venerabili Monasterio pertinere dignoscitur, auferre, aut alienare ex eodem sancto loco conatus fuerit: sciat, se Domini nostri Jesu Christi, atque Beati Petri Principis Apostolorum auctoritate, insolubili anathematis vinculo innodatam esse, & a Regno Dei alienatam: controrios sibi sentiens omnes eosdem sanctos Martyres, & Confessores, & Virgines Christi, & cum ipsis ante Tribunal Dei omnipotentis in tremenda examinis die judicii debeat cum eisdem Sanctis facere rationes.

Ipsum enim Judicem peto, qui est retributor omnium, pro cujus laude hæc nos constituisse dignoscimur, ut iram suæ potentiæ omnibus hujus nostri Apostolici Constituti transgressoribus inferat, & insanabili ultionis vulnere percutiat cunctos, qui prædictum nostrum Monasterium lædere, vel contrariam mentem in causis pertinentibus ei exhibere tentaverint, vel quicquam ex omnibus ei pertinentibus abstollere præsumpserint; ut sit vita eorum laboriosa, & pessima, nimisque lugubris; atque languentes deficiant, & fructum minime consequantur, nisi resipuerint, veniam delictorum, sententiam sumentes Ananiæ, & Saphyræ, qui mendacii noxæ infecti, ante pedes Apostolorum expiraverunt; contingatque eis sicut Dathan, & Abiron, quos aperiens terra os suum, vivos deglutivit, & cum Diabolo, ejusque atrocissimis, & teterrimis pompis, atque cum Juda traditore Domini nostri Salvatoris Jesu Christi, & omnibus impiis deputati, in tartareo igne, & inextinguibili incendio, & in voragine chaos demersi crementur in æternum.

Porro, qui inventi fuerint Monasterium nostrum defendere, quod ad laudem Dei, & honorem Sanctorum ejus constituimus, & omnia, quæ in hoc Apostolico continentur Constituto annexa, custodientes integra mentis sinceritate observaverint; a dextris Dei inveniantur in loco lucis constituti, & omnes Sanctos Dei Martyres, Confessores, & Virgines Christi, qui in eodem Venerabili Monasterio quiescunt, firmos habeant protectores, eorumque suffragiis, & in præsenti vita adjuveatur, & in futura beatitudine cælestis Regni gaudere cum Angelis Dei, & omnibus Sanctis, & electis per infinita consequantur saecula.

Paulus Episcopus Sanctæ Catholicæ, & Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ huic Constituto a nobis facto subscripsi.

Joannes humilis Episcopus Sanctæ Ecclesiæ Nepesinæ huic Constituto a nobis facto interfui, & subscripsi.

Joannes humilis Episcopus Ecclesiæ Tiburtinæ huic Constituto a nobis facto interfui, & subscripsi.

Gratianus humilis Episcopus Veliternensis Ecclesiæ huic Constituto &c. a nobis facto interfui, & subscripsi.

Petrus humilis Episcopus Ecclesiæ Labicanensis huic Constituto &c. ut supra.

Parvus humilis Episcopus sanctæ Ecclesiæ in Tribus Tabernis &c. ut supra.

Bonifacius humilis Episcopus Ecclesiæ Tifernæ &c. ut supra.

Domnus humilis Episcopus Ecclesiæ Maturanensis &c. ut supra.

Epiphanius peccator humilis Episcopus sanctæ Ecclesiæ Perusinæ &c. ut supra.

Constantinus humilis Episcopus S. Ecclesiæ Anaguinæ &c. ut supra.

Anastasius humilis Episcopus S. Ecclesiæ Senogalliensis &c. ut supra.

Leo humilis Episcopus S. Ecclesiæ Albanensis &c. ut supra.

Gregorius humilis Episcopus Ecclesiæ Prænestinæ &c. ut supra.

Jordanus humilis Episcopus S. Ecclesiæ Senensis &c. ut supra.

Adam humilis Episcopus S. Ecclesiæ Hortanæ &c. ut supra.

Rodulphus humilis Episcopus S. Ecclesiæ Cellensis &c. ut supra.

Gregorius humilis Episcopus S. Ecclesiæ Silvæ Candidæ &c. ut supra.

Suualbus humilis Episcopus S. Ecclesiæ Amerinæ &c. ut supra, & alii cæteri, qui capere non possumus. *Ita ibi.*

Sequitur post hæc subscriptio Cardinalium S. R. E.

Gregorius Archipresbyter S. R. E. Tit. Sanctæ Balbinæ.

Philippus humilis Presbyter S. R. E. Tit. Sancti Marci.

Gregorius S. R. E. humilis Presbyter Tit. Sanctæ Anastasiæ.

Theophilus S. R. E. humilis Presbyter Tit. S. Sabinæ.

Eustochius humilis Presbyter S. R. E. Tit. ......

Stephanus humilis Presbyter S. R. E. Tit. Sanctæ Cæciliæ.

Constantinus humilis Presbyter S. R. E. Tit. SS. quatuor Coronatorum.

Marinus humilis Presbyter S. R. E. Tit. Sancti Laurentii, qui vocatur Damasi.

Hos sequitur subscriptio telum Episcoporum, qui residui erant, sed defectu cartæ absque subscriptione prætercierant.

Sabinius Episcopus Truentis Ecclesiæ.

Leontius Episcopus Amiterninæ Ecclesiæ.

Stephanus Episcopus Ferentinatis Ecclesiæ.

Sequitur subscriptio reliquorum Cardinalium.

Theopemptus Presbyter S. R. E. Tit. S. Eusebii.

Leon.

Leontius Presbyter S. R. E. Tit. S. Susannæ.
Eusebius Presbyter S. R. E. Tit. S. Laurentii in Lucina.
Benedictus Presbyter S. R. E. Tit. S. Marcelli.
Clemens Presbyter S. R. E. Tit. S. Anastasiæ.
Christopharus Presbyter S. R. E. Tit. S. Sixti.
Andreas Presbyter S. R. E. Tit. S. Mariæ in Callisto.
Saxolus Presbyter S. R. E. Tit. S. Cyriaci.
Hermogenes Presbyter S. R. E. Tit. S. Priscæ.
Petrus humilis Archidiaconus S. Sedis Apostolicæ.

Datum quarto nonas Julii, imperante Domino Constantino Augusto a Deo coronato magno Imperatore, anno 41, ex quo cum patre regnare cœpit: & post Consulatum ejus anno vigesimo primo, Indictione XIIII.

Porro in eadem membrana Pauli Papæ verbis hæc addita reperiuntur: *Mense Junii die 19. introduximus in hoc oraculum Corpus Beati Silvestri Episcopi, & Confessoris Christi; mense Augusti die 17. introduximus Corpus B. Stephani Martyris, atque Pontificis, tempore Constantini, & Leonis Augustorum, & Pipini excellentissimi Regis Francorum, & Defensoris Romani, Indictione XIIII.*

Quamvis in hac Bulla Pauli primi plura habeantur, quæ ad rem nostram minime pertinent, placuit tamen ex integro illam exhibere, ne ulli de ejus veritate umquam subrepere possit dubitatio.

Nam in ipsa primum apparet Concilii a laudato Pontifice facta celebratio, & quamvis in ipsa præter nomina S. S. Stephani, & Silvestri Pontificum, aliorum nomina minime appareant, nihilominus cæterorum alia indicantur satis sub titulo *innumerabilium Sanctorum*. Præterea Anastasius Bibliothecarius id etiam testatur in vita ejusdem Pauli primi, ita scribens post indicata Corpora SS. Stephani, & Silvestri deposita in Oraculo ejusdem Monasterii: *Infra Claustra vero &c. illicque innumerabilium Sanctorum Corpora, quæ de præfatis demolitis abstulit Cœmeteriis, maximo venerationis condidit affectu*. Quæ tamen fuerint aliorum SS. Pontificum Romanorum nomina, explicantur in duabus tabulis marmoreis antiquissimis caracteribus exaratis, & a Monachis in prædicto Monasterio collocatis, quæ præ foribus ejusdem Ecclesiæ adhuc conspiciuntur. Id quoque apparet ex quodam Instrumento pergameno confecto de anno 1267, in quo recensentur nomina Sanctorum, quorum Corpora, occasione instaurationis ejusdem Ecclesiæ, reperta fuerunt in Altari S. Dionysii, & translata fuerunt ad Altare Sanctorum Pauli, & Nicolai, relato a Joanne Giacchetti Serrano in historia ejusdem Ecclesiæ, in quo sic habetur.

Ista sunt Corpora Sanctorum inventorum in Altari S. Dionysii, & translata postea in Altare B. Pauli, & B. Nicolai.

In primis supradictum Corpus, scilicet:
S. Dionysii Papæ, & Confessoris.
S. Anteri Papæ, & Martyris.
S. Melchiadis PP. & M.
SS. Caloceri, & Partenii MM.
S. Lucii Papæ, & Martyris.
Sanctorum, quorum nomina Deus scit.
S. Pigmenii Presbyteri, & M.
S. Caji PP. & MM.
S. Melitis M.
SS. Chrysanti, Trasonis, Dariæ, & Valeriæ MM.
S. Quirini M.
SS. Martyrum Triphonis, & Caloceri.
S. Zephyrini PP. & M.
S. Tarsi.
SS. Cyriaci, Largi, & Smaragdi.
S. Hyppoliti M.
S. Gorgonii M.
S. Januarii M.
SS. Pamphili, & Pauli MM.
SS. Projecti, & Severii MM.
S. Cæciliæ V. M.
SS. Optati, & Policani MM.
SS. XXV. MM.
S. Nemesii Diaconi.
SS. Meniæ, & Julianæ.
S. Artemiæ V. M.
S. Triphoniæ M.
S. Cyrillæ V. & M.

Post hæc sequitur alius Catalogus Sanctorum, quorum cum Reliquiis etiam consecratum fuit idem Altare Beati Pauli Apostoli, & B. Nicolai confessoris eodem anno 1267. die 30. Octobris, quorum Reliquiæ absque dubio ad indicem supra numeratum non pertinent.

Confirmatur idem Catalogus a duabus supradictis marmoreis Tabulis præ foribus ejusdem Ecclesiæ affixis, quæ exaratæ probantur ab antiquis ejusdem Monasterii Monachis, in quibus dies eorum natalitiorum assignantur, non sicuti habentur in Martyrologio Romano, sed uti celebrantur a Græcis, quæ sunt hujus tenoris.

In nomine Domini.

Hæ sunt Natalitia Sanctorum hic requiescentium.

Mense Januario die III.
S. Anteri Papæ.
Die X. mensis supradicti.
Natalis S. Melchiadis P. P.
Natale SS. Caloceri, & Partenii.
Mense Martio die II.
Natale S. Lucii PP.
Die IX. mensis supradicti.
Nat. SS. *quorum nomina Deus scit*.
Die XIII. mensis supradicti.
S. Pigmenii Presbyt. & M.
Die XIV. mensis suprad.
Nat. SS. Chrisanti, & Thrasonis.
Die XXIII. mens. suprad.
Nat. S. Quirini.
Die XXV. mens. suprad.
Nat. S. Militis M.
Mense Majo die XII.
Nat. SS. Trophimi, & Caloceri.
Mense Julio die XXVI.
Nat. S. S. Zephirini PP. & Tarsi M.
Mense Augusto die VIII.
Nat. SS. Cyriaci, Largi, & Smaragdi.
Die XIII. dicti mensis.
Nat. S. Hippolythi M.

Men-

Mense Septembris die x.
Nat. SS. Gorgonii, & aliorum, quorum nomina Deus scit.
Die xx. mens. suprad.
Natale S. Januarii.
Die xxvi.
Nat. SS. Pamphili, & Pauli MM.
Mense Octobris die ix.
Nat. plurimorum MM.
Die xiii. mens. suprad.
Nat. SS. Projecti, & Severi.
Mense Novembris die xxviii.
Nat. SS. Projecti, & Policani MM.
Die xi. mens. suprad.
Nat. SS. XXV. MM.
Mense Decembris die xxvii.
Nat. S. Dionysii PP.
Die xxix. mens. suprad.
Nat. S. Nemesii Diaconi.

Altera Tabula sic habet.

In nomine Domini hic notantur Natalitia Sanctorum hic requiescentium.
Mense Martio.
Nat. SS. Dariæ, & Hilariæ V. MM.
Mense Augusti die viii.
Natalitia SS. Meminæ, & Julianæ Virg. & MM.
Die ix. mens. suprad.
S. Arthemiæ V. M.
Die xii. mens. suprad.
Natale S. Concordiæ V. M.
Mense Septembri die xxx.
Natale S. Sophiæ Viduæ Fistis Hlpis & Agapæ.
Mense Octob. die xiii.
Natale S. Cyrillæ V. M.
Die xviii. mens. suprad.
Natale S. Triphoniæ Viduæ.
Die xxviii. mens. suprad.

Cum tamen in memorata Bulla S. Pauli I. expressa non habeantur nomina aliorum Sanctorum, quæ leguntur tum in Inventario, tum in Tabulis marmoreis supradictis, suboriri posset dubium, an vere, præter Corpora Sanctorum Pontificum Stephani Papæ, reliqua indicata a monumentis, & præsertim Sanctorum Anteri, Melchiadis, Lucii, Zephyrini, Caji, & Dionysii Romanorum Pontificum, comprehendi possint in terminis generalibus ejusdem Bullæ, ubi legitur: *Aptum prospexi, Deo annuente, eosdem sanctos Martyres, & Confessores Christi, & Virgines ex iisdem diratis auferre locis, quos & cum hymnis, & canticis spiritualibus in hanc Romanam introduximus Urbem, & in Ecclesiam quam noviter a fundamentis &c. eorum sanctissima collocans condidi Corpora &c.*

Suspicionem hanc astruere videntur alia pariter antiqua monumenta nonnullorum Pontificum Romanorum, quæ extant in Urbe, quibus comprobatur, non solum plura eorumdemmet sanctorum Pontificum Corpora ab iisdem extructa, & deposita fuisse in aliis Urbis Ecclesiis; & primo loco in Titulari Ecclesia S. Praxedis prostat affixus Lapis marmoreus prope Sacellum B.V. appellatæ, *Libera nos a pœnis Inferni* ibidem a S. Paschali primo positus, sub initium Sæculi noni, nempe post annum 817. quo sedere cœpit, cujus tenor talis est.

✠ *In nomine Domini Dei Salvatoris Nostri Jesu Christi. Temporibus Sanctissimi, ac ter Beatissimi, & Apostolici Dom. Paschalis Papæ introducta sunt veneranda Sanctorum Corpora in hanc Sanctam, & Ven. Basilicam B. Christi Virginis Praxedis, quæ prædictus Pontifex dirutis ex Cœmeteriis, seu Criptis jacentia auferens, & sub hoc sacrosancto Altari summa cum diligentia propriis manibus condidit in mense Julio die xx. Indict. x. Nomina vero Pontificum hæc sunt:* URBANI, STEPHANI, ANTERI, MILTIADIS, FABIANI, JULII, PONTIANI, SIRICII, LUCII, XYSTI, FELICIS, ANASTASII, & CÆLESTINI. Mox sequuntur nomina SS. Episcoporum, Presbyterorum, Levitarum, SS. MM. & VV. & sub finem sic habetur.

Simili modo in Oratorio B. Christi Virginis Agnetis, quod sursum in monasterium situm est, ipse Pastor eximius posuit Corpora SS. MM. videlicet ALEXANDRI *Papæ, atque* EVENTII, & THEODOLI *Presbyterorum &c.*

Aliud documentum est Tabula marmorea Sergii PP. II. qui sedit anno Christi 844. affixa in Titulo Equitii, seu SS. Martini, & Silvestri in Montibus, in qua characteribus fere Gothicis sic legitur.

✠ *Temporibus Domni Sergii Junioris PP. recondita sunt in hoc sac. Altare* BEATI SILVESTRI, & BEATI MÅTNI, & BEATO FABIANO, *atque* STEPHANO, & SOTERE MARTIRIB. HAC PŌTIFICIBUS. *Simulque* ASTERIO *cum* SCA FILIA EJUS SATOQUE CIÅCO PAPIA & MAURO LARGO & SMARAGDO, TRASONE, SISINIO, *atque* ANASTASIO, & INNOCENTIO PONTIFICIBUS (*sequuntur plura alia nomina SS. MM.*) *sunt condita, utrasque sub sacro Altare dedicans collocavit. Hæc Sanctorum Corpora translata sunt de Cæmeterio Priscillæ via Salaria.*

Aliud quoque Documentum prostat in veteri Titulo Tygridis, sive S. Xisti via Appia intra mœnia Urbis, marmori sculptum, Gothico prorsus charactere hujus tenoris.

In hac Basilica requiescunt Corpora SS. MM. in primis B. XYSTI PAPÆ FELICIS PP. ZEPHERINI PP. ANTEROS PP. LUCII PP. SOTHER PP. LUCIANI PP. ET SOTHERIS ET CALOCERI ET PARTHENII NILI EPS ET LUCII EPI MARINI MARTYRIS.

Cum itaque ex hujusmodi antiquissimis monumentis eorumdemmet SS. Pontificum Corpora in diversis Ecclesiis Urbis deposita fuisse habeantur, & hoc ad litteram verificari non possit, quomodo id accipiendum sit, ex aliorum sententia Scriptorum est explicandum: & primo stricte non est admittenda opinio Octavii Pancıroli in suis Almæ Urbis Thesauris abditis, qui, ubi agit de Ecclesia S. Silvestri in Campo Martio, recensendo singula Corpora Sanctorum in illam translata a S. Paulo Primo, putat, hoc in usu fuisse, ut in translationibus eorumdem pars aliqua ipsarum Reliquiarum divideretur, aliisque in Urbis Ecclesiis deponeretur: & hoc quidem confirmat, ubi agit de Ecclesiis S. Praxedis, & S. Martini in Montibus; sed hoc peractum fuisse ab ipso Paulo primo probari non potest, nam consideranda sunt diversa tempora, quibus talia Corpora SS. Pontificum translata noscuntur, nam prima translatio ab ipso Paulo primo per-

peracta fuit anno 758, alia a Paschali primo subsecuta est post annum 817. tertia vero a Sergio II. anno Christi 844. quare probabile minime redditur, partem ipsorum Corporum a Paulo primo distributam fuisse Ecclesiis S. Praxedis, vel Titulo Equitii, sed potius dicendum integra illa Corpora in Ecclesia a se constructa in honorem S. S. Silvestri, & Stephani collocasse, cum nullum ejus rei appareat documentum.

Sunt alii, qui putant ex Corporibus Sanctorum extractis ex Cæmeteriis, primos illos Pontifices partes aliquas custodiendas deposuisse in Sacrario Lateranensis Palatii, seu in Sacello ad *Sancta Sanctorum* appellato, & ex hoc subsequentes Pontifices sacra pignora ipsorum transtulisse in alias Urbis Ecclesias Titulo *Corporis*, adjecto etiam Cæmeterio, a quo primitus extracta fuerint; sed nihilominus de hoc ipso more nullum certum afferri potest documentum.

Probabilior tamen videtur ea opinio Scriptorum, quod Pontifices, Paschalis, & Sergius, partes Corporum in Bulla Pauli primi nominatorum, ex ipsa Ecclesia S. Silvestri desumpserint, & ad Titulares tum S. Praxedis, tum S. Martini in Montibus, una cum aliis Corporibus a se e Cœmeteriis extractis deposuerint, ac Titulo *Corporis* appellaverint, additisque etiam Cæmeteriis, ubi primum reperta fuerunt a Paulo primo.

Nam certum profecto est, illis antiquis temporibus, in usu fuisse, ut ubicumque aliqua pars, etiam modica, reliquiarum alicujus Sancti deponeretur, etiam insigniretur Titulo *Corporis*, accipiendo per Synecdoche, partem illam pro toto; & hic usus ab ipsa Romana Ecclesia in alias omnes per Orbem dispersas postea dimanavit; & ex hac regula plures ambages, & difficultates dissolvuntur, & hoc probat Baronius ad annum Christi 969. ubi de pluribus agit diversorum Sanctorum Corporibus, quæ Theodericus Episcopus Mettensis (ut ad dictum annum tradit Sigebertus in Chronico) ex Italia acceperat, & in suam transtulit Ecclesiam; quare sic admonet Baronius: *Porro cum audis translata corpora, ita accipias, ut partem ex illis acceperint, non integra Corpora, ut in dictis locis, quæ adhuc visuntur, atque coluntur dictarum Martyrum Reliquiæ, fidem faciunt haud dubiam*. Atque in hunc modum explicari debent plures difficultates, quæ oriuntur ex Catalogis plurimorum Sanctorum, quorum Corpora diversis locis, & Ecclesiis assignantur a variis Auctoribus, & Scriptoribus.

Hoc etiam plurimis aliis documentis probari posset, & præcipue Rhabani Mauri, qui describens Ecclesias Fuldensis Monasterii, ac Reliquias in iisdem depositas Roma acceptas, easdem notat, quasi integra eorum Corpora adessent. Floruit hic Auctor Sæculo Christi nono, & habetur apud *Browerium de Fuldensibus antiquitatibus lib. 2. cap. 8. & sequen.* Hujus argumenti nobis multa occurrent exempla, quoad Pontificum Corpora, pluribus locis assignata in hac nostra Appendice.

Nunc aliquid addendum super Inscriptione indicata in Titulo S. Xysti, via Appia intra Urbem, in qua leguntur requiescere Corpora S. S. Xysti Papæ, Felicis PP. Zepherini PP. Anteros PP. Lucii PP. Soteris PP. quæ cum exsculpta conspiciatur caracteribus omnino Goticis, & referre potius videatur ætatem Sæculi XII, suspicari possumus, non peractam fuisse ætate Pauli primi, neque Paschalis primi, vel Sergii Secundi, & illac translatas Reliquias diu postea fuisse: verum nonnulli putant, hujusmodi pignora, seu illorum partes ibidem relictas ab Ipso Paulo primo, cum eorum Corpora ex Cæmeterio in Urbem relata fuerint, ac ibidem deposita in ipsa Ecclesia, antequam solemni pompa delata fuerint ad suam Ecclesiam, & Monasterium S. Silvestri in Campo Martio; tamen animadvertendum est, in eo Catalogo, perperam additum fuisse LUCIANI PP. cum reverà inter Romanos Pontifices nullus habeatur hujus nominis Pontifex, sed forsan a Sculptore additam fuisse PP. loco EP. idest *Episcopi*, cum etiam post Lucianum alii legantur Episcopi. Id notandum duximus, cum nullum aliud extet monumentum, quo probari possit, quod hujusmodi Corpora, sive Reliquias deposuerit, vel ipse Sanctus Paulus, vel alius ex Successoribus suis.

Sed hanc nuncupationem Corporis unius, vel alterius Sancti, in pluribus ac diversis Altaribus, sive Ecclesiis, tamquam si integrum ubique servetur, eruditissime explicat Cardinalis Baronius, contra Novatores Hæreticos, & quomodo ullo absque veritatis præjudicio sit id intelligendum, Capite IV. de Martyrol. Romano, ipsorum calumnias refellendo, ita docet.

Accidit insuper, ut pium, ardensque fidelium in Martyres studium, non satis esse putaret, si unius, vel alterius Martyris in uno tantum loco esset memoria collocata, sed plures optaret. Quamobrem factum est, ut non sine Reliquiis ejusdem Martyris in ejusdem honorem Altare erigere, & memoriam superstruere liceret, id legibus Ecclesiasticis prohibentibus, Concil. African. Cap. L. quamobrem cum ex Corpore Martyris sumptæ Reliquiæ in pluribus Altaribus collocarentur, id effecerunt, ut plura unius, ejusdemque Martyris sepulchra, atque memoriæ dicerentur, proque numero Altarium, Sepulcrorum numerus augeretur. Sed ex his ansam calumniandi nacti sunt Novatores, ut sicut stulte, ita, & temere dicerent, Catholicos quibusdam illusisse præstigiis, ut frequenter unius Martyris Corpus diversis in locis traderent situm esse, ignorantes, vel nescire dissimulantes, nos non dicere in diversis sepulchris, unum, idemque integrum esse corpus, sed in singulis (ut dictum est) sepulchris, unius Martyris conservari Reliquias, ac proinde eidem honorem eumdem impendi, ac si integrum esset corpus. Nam sententia Gregorii Nanzianzeni est in Orat. I. in Julianum, easdem præstare virtutes quaslibet Martyris sanguinis guttas, & exigua passionis signa, quas integra Corpora: ac proinde non esse indecens, ut unius Martyris plura erecta appareant monumenta, cum alioqui (nisi lex Christiana prohiberet), nec indecens videri posset, etiam sine ipsorum Reliquiis, eisdem excitari memorias, utpote testes eorum virtutis egregiæ, & beneficiorum, eorumdem ope consecutorum; nam (si licet ad sacra

Vuu pre-

profanum exemplum adducere) de multis Æneæ, & aliorum sepulchris, Dionysius Halicarnassæus, hanc ipsam affert rationem lib. 1. Hist. Rom. sic dicens: quod si quem perplexum fecerit, quod Æneæ sepulchra monstrentur in multis locis, nec possit, nisi in uno esse conditus, cogitet hanc dubitationem esse vulgarem, & intelligat, quod quamvis unicus locus capiat corpora talium, apud multos tamen monumenta eis facta sunt in gratiam acceptæ utilitatis cujuspiam. Hæc ille.

Nunc ad propositum nostrum assertum, a quo jam discessimus, videlicet nullum ante Paulum primum ex præcedentibus Pontificibus morem invexisse extrahendi, alibve transferendi Corpora Sanctorum, & præcipue Summorum Pontificum ex primævis ipsorum Sepulchris. Quod si contendat aliquis, ante Paulum primum, a Sancto Damaso Papa nonnulla Sanctorum Martyrum, & saltem unius Sancti Pontificis Marci PP. & Confessoris corpora extracta, ac dono data fuisse. Hoc tamen probari minime potest documentis certissimis, & indubiis, ut mox ostendemus.

Primo loco in Vita S. Zenobii Episcopi Florentini, quæ vita ex pluribus Auctoribus collecta a Joanne Archipresbytero Aretino, habetur apud Surium die 25. mensis Maji, legitur, quod idem Zenobius a S. Papa Damaso, dono acceperit Corpora duorum Martyrum ABDON, & SENNEN, quæ idem Zenobius in Ecclesia S. Salvatoris in capsa plumbea collocavit. Simili modo, uti ibidem legitur, & refert *Beatus Simplicianus, ab eodem Ambrosio ea Ecclesia ornata fuit Corpore* BEATISSIMI MARCI PAPÆ, *quod cum a Damaso Pontifice magnis precibus impetrasset, in lignea capsula, in Altariolo ad Orientem disposito, quod idem in honore Vitalis, & Agricolæ consecraverat, magna devotione condidit.*

Hæc quidem exempla magni ponderis forent, si certissimis documentis firmari possent; sed corruunt tamen; nam primo loco quoad corpora Sanctorum Abdon, & Senen, certum est, illa primum, sub Decio Imperatore, ex Anphiteatro, in quo coronati sunt, collecta, & a Quirino Subdiacono recondita suis in ædibus prope eumdem locum; ac subinde tempore Constantini Magni, delata fuisse, & honorifice sepulta in Cœmeterio Pontiani extra Portam Portuensem, in quo etiam nunc cernitur eorum sepulchrum imaginibus eorum pictis ornatum, cum appositis eorum nominibus. Cum itaque tempore Sancti Damasi nullus Pontifex Corpora Sanctorum adhuc levare, & distrahere præsumpsisset, incerta redditur hæc translatio ab eo facta, cum fere post annos centum, S. Gregorius Papa in epistola sua ad Constantiam Augustam scripserit hæc quæ superius retulimus, videlicet: *Cognoscat tranquillissima Domina, quia Romanis consuetudo non est, quando Sanctorum Reliquias dant, ut quidquam tangere præsumant de Corporibus, sed tantummodo in Pyxide Brandeum mittitur usque ad sanctissima Sanctorum Corpora, quod elevatum in Ecclesia cum veneratione reconditur, & tantæ per hoc ibidem virtutes fiunt, ac si specialiter illuc eorum Corpora deferantur.* Potuit igitur S. Damasus hæc ipsa Brandea supra Corpora S. S. Abdon, & Senen, necnon etiam supra Corpus S. Marci Papæ deposuisse, illaque tamquam Corpora tradidisse tum S. Zenobio, tum etiam S. Ambrosio Episcopo Mediolanensi, quæ deposita ab iisdem postea fuere in Cathedrali Florentina hoc titulo Corporis.

Sed quoad corpora S. S. Abdon, & Senen, aliæ occurrunt difficultates, nam hæc ipsa corpora ex Vincentio Domenech relato a Joanne Tamayo Salazar in Martyrologio Hispano ad diem xxx. Julii, necnon ex Chronico Benedictino ad annum DCCLXXVIII. translata fuere ab Arnulpho Abbate Genesis Oppidi Attrebatensis prope Perpinianum in Hispania, quamvis idem Salazar animadvertens objectum, quod fieri posset de Sancto Zenobio, falso opponat, eadem Corpora tunc extitisse in Basilica S. Laurentii, & ex illis partem dedisse eidem sancto Abbati.

Jacobus quoque Gualla in Papiensi suo Sanctuario, ubi agit de Ecclesia S. Mariæ Novæ ejusdem Urbis, tradit, *Sanctorum Abdon, & Senen veneranda Corpora Ticinum translata*, & in eadem Ecclesia tumulata fuisse.

Placentiæ quoque in Cathedrali eadem Corpora servari tradit Bucellinus in Sanctuario Benedictino.

Venetiis etiam asservari Capita eorumdem Sanctorum in Ecclesia S. Thomæ, scribit Nicolaus Doglioni in mirabilibus ejusdem Urbis.

Suessione in Gallia susceptas fuisse ipsorum Reliquias, Roma delatas sub Ludovico Pio Imp. & in Basilica S. Medardi honorifice cultas, postmodum a modernis Hagiomachis, una cum aliis xxx. Corporibus igni traditas, & exustas fuisse, memorat Andreas Saussayus in suo Martyrologio Gallicano.

At hæc, & alia hujusmodi exempla nihil probant, eorumdem Sanctorum sacra Corpora primum a S. Damaso Papa fuisse ex Cœmeterio Pontiani extracta, & concessa, cum nulla rei hujus suppetant certa documenta, stante consuetudine supradicta a S. Gregorio primo tradita; verum esse potuit, ut postquam illa Corpora ex eodem Cœmeterio Pontiani in Urbem delata fuerint, a S. Paschali primo, eorum pignorum partes aliquæ concessæ fuerint, & ad memoratas Ecclesias translatæ, & quod pro Corporibus fuerint acceptæ, & nominatæ a Scriptoribus inferioris ætatis; nam Panciroluss in suis Thesauris abditis Romanæ Urbis, ubi de Ecclesia S. Marci agit, tradit eorumdem Martyrum Corpora extracta fuisse ex cœmeterio Pontiani a Sancto Paschali Papa primo, & deposita in Ecclesia S. Stephani, quæ *de Cacco* appellatur, inde vero a Paulo Papa II. ad Basilicam Sancti Marci translata, & sub ara maxima, infra corpus Sancti Marci Papæ, & Confessoris collocata, quorum Confessionem nostris hisce diebus pretiosis marmoribus ornavit Eminentissimus Cardinalis Angelus Maria Quirinus Venetus, ejusdem Ecclesiæ Titularis, & reparator munificus.

Quod corpus vero S. Marci Pontificis, & Confessoris, de ejusdem translatione, ac difficultatibus occurrentibus, cuncta expendemus suo

ſuo loco in hec noſtra Appendice. Nec adducta auctoritas S. Simpliciani fidem indubiam de rei veritate facit, nam de antiquis hiſtoricis monumentis multa ſcripſerunt Authores inferioris ævi, quæ ex auditu tantum, & vulgari traditione, & populari acceptione, nullo authentico documento roborata acceperunt.

Objici tamen poſſet, quod in ſue Hiſtoria Baſilicæ S. Laurentii in Damaſo refert C. V. Antonius Fonſeca meritiſſimus Æſinus Epiſcopus lib. 11. Cap. IIII. pag. 149. ubi ſic habet: *Quæ tamen in hoc noſtro Templo ſuperſunt Reliquiæ inſignes, reputatur corpus S. Eutychii Martyris, quod e Cœmeterio Caliſti in hanc ſuam dilectam Eccleſiam B. Damaſus ſub Ara maxima collocavit*. Sed & hoc nullo authentico probari poteſt documento; nam primo loco Baronius in notis ed diem quartam Februarii, ubi refert epitaphium ad ejus ſepulcrum a S. Damaſo ſcriptum, nihil prorſus de hac translatione ab ipſo Damaſo peracta indicat, ſed tantum hæc habet: *Corpus S. Eutychii e dicto Cœmeterio Caliſti translatum eſt ad Baſilicam S. Laurentii in Damaſo dictam*. Imo ex ipſo Epitaphio, quod nunc extat in Baſilica S. Sebaſtiani, deducitur, non fuiſſe Corpus ipſum Martyris eb ipſo Damaſo translatum, nec ex eodem loco motum, ſed ibidem relictum, nam extremi verſus omnes ejuſdem epitaphii ſic habent:

Oſtendit latebra inſomtis, quæ membra teneret,
Quæritur, inventus, colitur, fovet, omnia præſtat
Expreſſit Damaſus, meritum venerare ſepulcrum.

Probabile enim eſt, diu poſt exaretum epitaphium, Corpus S. Eutychii inde translatum fuiſſe ad Baſilicam prædictam, nam licet S. Damaſus in memoriam plurimorum aliorum Sanctorum hocce obſequium præſtiterit, ut ſepulcra, in quibus eorum Corpora jacebant, ſuis carminibus exornaret, nullum tamen eorum Corpus extraxit; ut nec Sanctorum Marcellini, & Petri, Vitalis, & Alexandri, Tarſicii, Sanctæ Agnetis, Marcelli Papæ & M. Prothi, & Hyacinti, Chryſanti, & Dariæ, Gorgonii, Felicis, & Adaucti, quorum epitaphiorum catalogum collegit, ediditque Sorazonius: imo tam longe abſuit Damaſus ab hac novitate, ut videlicet ſacra Corpora ex loculis ſuis extreheret, ut & ipſa tumulari voluerit in Cœmeterio Sanctorum Martyrum viæ Ardeetinæ, juxta matrem, & ſororem ſuam, ut tradit Bibliothecarius in ejus vita. Cum itaque ex tot Martyribus, quorum ſepulchra verſibus exornavit, nullum extraxerit Sanctus Damaſus, quia non inferet, nec Corpus S. Eutychii ab eodem aliò translatum fuiſſe. Probabile itaque eſt, idem Corpus ex Cœmeterio, in quo jacebat, tunc extractum fuiſſe, quando S. Damaſi pignora elevata fuere ex eodem Cœmeterio, & una cum eis translatum fuiſſe ad Baſilicam S. Laurentii.

Ultima difficultas, quæ objici poſſet ad aſtruendam opinionem, Sanctum Dameſum Corpora Sanctorum ex ſuis tumulis tranſtuliſſe, deſumitur ex Martyrologio Romano, in quo, ſub die XXI. Septembris, ubi agitur de S. Alexandro Epiſcopo ignotæ ſedis, qui Romam ductus ſub Antonino Imperatore capite cæſus eſt via Claudia XX. ab Urbe milliario, nam ibi legitur: *Ejus corpus poſtea S. Damaſus Papa in Urbem tranſtulit 6. Kal. Decembris, quo die celebritatem ejus celebrandam inſtituit*. At cum plura, quæ ad Hiſtorias locorum maxime pertinent, abſque temeritatis auſu, & veritatis præjudicio a multis impugnari ſoleant, etiam quæ a Collectoribus, & Recognitoribus ejuſdem Martyrologii, bona fide accepte fuerint ex antiquis Scriptoribus Actorum Martyrum, tamquam genuina: nos quoque dubitare licet, an Corpus ipſius S. Alexandri translatum fuerit in Urbem ab ipſo S. Damaſo Papa: nam primo videtur deſumptum ex Actis, quæ ſuſe ab Adone Epiſcopo Viennenſi explicantur in ſuo Martyrologio ſub die 26. Novembris, ubi poſt indicatum Alexandri Martyrium, via Claudia, XX. ab Urbe miliario, ſubdit: *S. Creſcentianus* (is erat unus ex Sodalibus ejuſdem S. Alexandri) *& hi, qui cum illo aderant, revelante Martyre, tulerunt ſanctas Reliquias ejus, & ſepelierunt in loco, ubi erant fornacis ignem extinxerant: & poſuit ſuprascriptam marmor continens: Hic requieſcit ſanctus, & venerabilis Martyr Alexander Epiſcopus, cujus depoſitio celebratur XI. Kalendas Octobris. Cui Papa Damaſus poſtmodum Cryptam condignam faciens, illic eum 6. Kal. Decembris tranſpoſuit, quando & feſtivitatem ei dedicavit*. Hæc ſunt verba Adonis. Uſuardus vero ad diem XXI. Septembris, in Actis ejuſdem Sancti, de translatione hujuſmodi nihil agit: ſed Ado expreſſe tradit, Corpus S. Martyris a Creſcentiano ſepultum fuiſſe in loco, ubi fornacis ignem extinxerat, qui locus non in via Claudia notatur extitiſſe. Sed cum alia tormenta perpeſſus eſſet Sanctus Alexander in Urbe, ut deducitur ex iiſdem Actis, & Romæ fuiſſe fornax ipſa putanda eſt, in cujus locum delatum fuit Corpus a Creſcentiano. Ex verbis igitur Adonis nil aliud educi poteſt, niſi, quod poſtea S. Damaſus, *Cryptam condignam faciens, illic* (ideſt in eodem ſitu, ac loco) eum 6. Kal. Decembris tranſpoſuit, quod & teſtatur Petrus de Natalibus in ſuo Catalogo Sanctorum Lib. 8. Cap. 102. ubi agens de ejuſdem Sancti Corpore, ita ſcripſit: *Sed poſtmodum Papa Damaſus Cryptam fabricavit, & ibidem ipſum depoſuit*, ex quibus clare apparet, corpus S. Alexandri non translatum fuiſſe a S. Damaſo ex via Claudia, ſed ab eo ſupra idem Corpus jam translatum a Creſcentiano in Urbem, & in loco fornacis ſepultum, conſtructam fuiſſe Cryptam decentiorem, ſeu condignam, & ibidem illud fuiſſe repoſitum.

Et hæc ſufficiant ad aſtruendam opinionem aſſerentium, S. Damaſum non fuiſſe primum, qui hunc morem adhibuerit extrahendi e Cœmeteriis Corpora SS. MM. & Pontificum, ac permittendi, ut illa extra Urbem aſportarentur.

Ante annos XXX, dum editioni operis Canonici Marci Antonii Boldetti de antiquis Cœmeteriis incumberemus, curavimus, libro tertio, apponi Caput Secundum, in quo agitur *de Origine translationum Corporum, & Reliquiarum Sanctorum in Oriente, atque in Occidente, necnon de uſu extrahendi Corpora SS.MM. ex Cœmeteriis Romanis*. Ibi oſtenſum eſt ex nonnullis Scriptoribus, hujuſmodi translationes,

 quam-

quamvis raro ante Sancti Gregorii Papæ tempus peractæ fuerint extra Urbem, non vero tamen ex Cœmeteriis Romanis, licet Cl. Vir Mabilonius sustineat, nonnullas translationes in Occidente ante, & post Sancti Gregorii peractas, subditque in Præfatione Sec. II. Benedict. observ. VII. *Sed quia in detrimentum Religionis, id nonnunquam fieri animadverterunt Ecclesiæ Pastores, parcius ejusmodi translationes Pontificatu S. Gregorii peragebant*.

Verum quoad Corpora, & ossa Sanctorum ex Cœmeteriis Urbis Romanæ, nulla prorsus apparent argumenta certissima ejusmodi translationis, nam exempla illa, quæ reperiuntur in epistolis S. Gregorii Papæ, in quibus mentio habetur de Reliquiis ab eo transmissis, non alia intelligi possunt, quam brandea, & vela dono missa, cum ubique exprimant *Sanctuaria*, *Beneficia*, & *Reliquias*. Id etiam probat *Azorius Tom. 1. Inst. Moralium lib. nono cap. 8. quæst.* ta. innixus certissimo, & irrefragabili testimonio ipsius S. Gregorii in Epistola ad Constantiam Augustam. Id pariter statuit memoratus Muratorius in disquisitione ad Catalogum Reliquiarum Tomo II. anecdotorum pag. 194. & sequen. qui servatur apud Psettolam Mediolanensem familiam nobilem, relatum ab ipso Mabilonio in Museo Italico.

Exinde in supradicto Capite secundo statuimus, nullum exstare exemplum, quo probari certissime possit, de illo tempore translata fuisse Corpora, & ossa Sanctorum ex Cœmeteriis Romanis. Cur tot Amphibologiæ, ac ambiguitates occurrant, tum circa sanctorum Pontificum, tum etiam Martyrum Romanorum Corpora, & Reliquias, quæ pluribus, ac diversis Ecclesiis, ac locis assignata traduntur, & quomodo dissolvi, & explicari possint, ac debeant.

Cum fieri nulla ratione possit, ut idem Corpus unius Sancti diversis, ac pluribus in locis reperiatur, immo etiam ejusdem aliqua Reliquia insignis, ut caput, vel coxa, aut crus, vel brachium, identice pluribus in locis, seu Ecclesiis reperiatur (quod unice competit Corpori Christi Domini in Sacramento Altaris.) Hinc est, quod ex multiplicatione plurium Corporum Sanctorum, & Reliquiarum ejusdem nominis, quæ variis etiam distantibus in provinciis coluntur, plurimæ sæpe occurrunt difficultates, amphibologiæ, ac dubitationes. Hoc tamen certum est, ullo absque detrimento nostræ Catholicæ fidei procedere, dum cultus iisdem pignoribus præstitus, non refertur immediate ad eadem Corpora, seu Reliquias, nam principaliter dirigitur ad Deum ipsum in memoria ejusdem Sancti, cujus esse putantur, nam *fides*, ut ait Sanctus Ambrosius, *purgat facinus*; & sæpe etiam miraculis hæc fides simpliciter acta comprobatur, uti plurimis exemplis vel nostri ævi comprobari posset, quæ supervacaneum est recensere hoc loco.

Prima autem causa hujusmodi amphibologiarum procedit ex eo, quod Corpus alicujus Sancti ex suo sepulcro extractum, translatum sæpe fuerit ex uno ad alterum locum, & cum Scriptor unus prioris loci meminerit, alter vero posterioris, hinc utrobique creditur adesse. Præterea pluribus etiam locis idem Corpus assignatur, si vel bellorum causa, aut furtive illud sublatum fuerit, & sit relicta inscriptio, vel aliud monumentum, ut contigit in Basilica Sancti Sebastiani de Urbe, in qua alio translatis Corporibus Sanctorum Eutichii, & Tarsicii Martyrum, in ipsa Ecclesia tamen ipsorum epitaphia, quæ a Sancto Damaso Papa confecta, & apposita fuerunt, adhuc conspiciuntur; quare, qui illa legunt, & ignorant inde translata fuisse corpora, forte putant, ibidem exstare. Ita quoque in Ecclesia Sancti Thomæ in Formis nuncupata, extat epitaphium Sancti Joannis de Matha Fundatoris Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum, quod etiam refert Severanus in lib. VII. Ecclesiarum Urbis pag. 483. ac etiam in Breviario Romano ad diem 8. Februarii, quo colitur ejus memoria, legitur: *Ejusdem Corpus in ipsa Ecclesia S. Thomæ de Formis condigno honore tumulatum fuit*. Nihilominus Corpus ejusdem Sancti furto sublatum fuit a Religiosis ejusdem Ordinis, & in Hispaniam translatum, quod tamen servatur in Sacello Nuncii Apostolicæ Sedis. Hoc etiam habemus in antiquissima Confessione Basilicæ S. Mariæ in Cosmedin, quæ aperta fuit tempore sanctæ memoriæ Clementis PP. XI. ibi in Altari exstat vas ingens quadratum, in quo olim extitisse Corpus S. Cyrillæ V. & M. putatur, supra quod reposita est Tabula marmorea longitudinis palmorum quinque, lata palm. unum cum quadrante, in cujus labri exterioris prospectu sculptum legitur .... VI BEATE CYRILLE VIRG. ET. MAR. FILIE DECII. Vas tamen inferius positum omnino vacuum repertum est, ut affirmat Marius Crescimbenus in hist. illius Basilicæ lib. 3. cap. 18. pag. 170. Verum suspicari possumus, ibidem non integrum corpus, sed partem aliquam illius depositam fuisse: dum in monumentis S. Silvestri in Capite reperitur Sanctæ Cyrillæ V. & M. eo translatum fuisse Corpus, necnon etiam a Sergio PP. II. depositum in Titulo Equitii. Nullibi tamen habetur expressa distinctio Filiæ Decii, præterquam in hoc lapide S. M. in Cosmedin. Sublato itaque forsan ab antiquis Monachis Corpore S. Cyrillæ, hujus remanet tamen in eodem loco marmor cum Inscriptione jam a nobis superius recitata.

Non semel quoque accidit, ut alicujus Sancti celebrioris Corpus a potentioribus expetitum fuerit, & cum illud subditi, & Inferiores denegare non auderent, alterius Sancti Corpus pro eo ipso datum fuerit sub nomine illius Sancti requisiti. Hinc existimatur illud esse pluribus in locis, unum re ipsa, ubi revera quiescit, alterum opinione. Hoc asserunt Beneventani de Corpore S. Bartholomæi, dicentes se fefellisse postulata Ottonis Imperatoris III. cum illi tradidissent non Corpus S. Apostoli, sed alterius aliud suppositum pro eo. Hinc est, quod Romæ colitur in Basilica eidem erecta ab ipso Ottone III. in Insula Tiberis, & Beneventi.

II. Alia causa est, quod (uti nos paulo ante explicavimus) cum ab antiquo tempore usu venerit, ut cum alii unam partem Reliquiarum ejusdem Corporis accepissent, inde in suas Regiones translatam Titulo *Corporis* ejusdem Sancti in

in Tabulis Ecclesiarum referrent, tanquam si totum Corpus translatum fuisset.

III. Tertia causa procedit ex ejusdem nominis similitudine; cùm enim plura ejusdem nominis reperta fuerint, & reperiantur in sacris Urbis Cœmeteriis Corpora SS. Martyrum, factum est, ut eadem Corpora translata in aliis Regiones, ex ignorantia Scriptorum putata fuerint esse aliquorum Sanctorum celebrioris notæ & sic bona fide error (quamvis materialiter) invaluit. Quod ut aliquo exemplo ostendatur, id accidit in Corpore, & Capite S. Cæciliæ V. & Mart. celeberrimæ, nam in Ecclesia SS. IV. Coronatorum de Urbe extat Caput Sanctæ Cæciliæ, quod ex monumento S. Leonis Papæ IIII. ibidem existente apparet depositum fuisse. Baccellinus, & alii tradunt, Corpus ejusdem Sanctæ Virginis, & Martyris quiescere in Ecclesia Sancti Victoris Mediolani. Jacobus Gualla in suo Sanctuario Papiensi scribit, Aistulphum Regem, post superatas Romam, & Ravennam, transtulisse Ticinum inter alia Corpus S. Cæciliæ, ac deposuisse in Ecclesia S. Marini. Sed omnia hæc documenta evanuisse certum est, posteaquam ejusdem Sanctæ Corpus in Basilica sua transtyberina, sub Clemente Papa VIII. repertum fuit sub Ara majori integrum cum Capite, & nihil imminutum, eo loci translatum a S. Paschali Papa primo, ut ipsemet testatur in monumento de inventione, & translatione, ac revelatione sibi facta ejusdem, quæ legitur apud Baronium, & confirmatur ab Anastasio Bibliothecario in vita ejusdem S. Paschalis. Ex quibus apparet, translationes tam Corporis ejusdem S. Cæciliæ, quam Capitis ejus, attribuendas esse erroribus a prædictis Scriptoribus acceptis, cum procul dubio ex similitudine nominis alterius S. Cæciliæ Martyris provenerint. Caput etiam ejusdem Virginis, & M. diu asservatum fuit, ut plures scripserunt Auctores, in Ecclesia S. Nicolai Parisiorum, sed postquam sub Clemente PP. VIII. corpus integrum S. Cæciliæ detectum, & publice expositum fuit, Saussayus auctor M. R. Gallicani in Appendice, ita scribere coactus est: *Cum Martyris illius celeberrimæ, quæ servatur Romæ in suo Titulo, Corpus integra (quemadmodum sub Clemente VIII. reperta est) omnino esse nequeat, non abs re, esse Cœlitis ejusdem nominis cum illa Martyre, & gloriæ virginalis participis, existimari posse.*

Hoc tamen evenisse potuit, vel ex ignorantia, vel etiam ex malitia nonnullorum. Narrat Nicephorus Callistus in sua Hist. Eccles. lib. XI. capite 14. sub Theodosio Imperatore Constantinopolim translatum fuisse Corpus Sancti Pauli illius Episcopi, qui ab hæreticis Arianis in exilio suffocatus fuerat, & in Templo, quod Macedonius dictum fuit, uti ait Nicephorus: *Qui vero rem eam ignorant, divum Apostolum Paulum conditum ibi esse arbitrantur.* Sozomenus quoque (ex hist. Tripartita cap. 17.) *In Basilica, plurimi nescientes veritatem, Paulum Apostolum jacere credunt, & maxime mulieres, & Populi.*

Forsan hujus Sancti Pauli Episcopi C. P. Caput fuit illud, quo a nonnullis Græcis donata fuit Isabella Regis Franciæ soror, tanquam Capite Sancti Pauli Apostoli, quo sub negocio ipsamet consulere voluit circa annum 1268. Romanum Pontificem Clementem IV, qui eidem in hunc modum rescripsit: *Quod si forsan Caput B. Pauli Apostoli apud te esse putes, depone conscientiam, ne fallaris, nec proponas scandalum matri tuæ Ecclesiæ Romanæ, quæ deceptionem hujusmodi non posset æquanimiter tolerare. Si vero Græci aliquo tempore se illud habere dixerunt, ne mireris, nam odio Latinos habentes, facile tibi formaverunt mendacium &c.* Extant litteræ apud Martene Tomo 2. Anecdotorum Epist. 627. pag. 587.

Horrendum tamen est, quod nostris etiam temporibus nonnulli farcinatores Martyrologiorum particularium Regionum, seu Provinciarum ausi fuerint Corpora Sanctorum ex Cœmeteriis Romanis extractorum donare nominibus Sanctorum insigniorum, quæ revera talia esse minime probantur. His accensendus est Joannes Tamayus Salazar Auctor Martyrologii Hispani, qui ad diem 2. Martii narrat, quod Frater Joannes ab Annunciatione, in Romana Curia Procurator Generalis Fratrum discalceatorum Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum a Confessionibus Francisci Cardinalis Barberini, Urbani VIII. Papæ Nepotis dono acceperit XII. Corpora, & alias Reliquias, nominibus propriis extracta ex Cœmeteriis Calisti via Appia, & Priscillæ via Salaria, sibique tradita a Cardinali Joanne Baptista de Alteriis, olim Eminentissimi Cardinalis Vicarii Vicesgerente in duodecim capsulis, transmittenda Reverendissimo suo Patri Generali, ad effectum illa distribuendi diversis Cœnobiis suæ Religionis in Hispania, cum Instrumento Consignationis eorundem XX. Aprilis anni 1644., & respective anni 1645., Extat ibidem aliud Diploma Nuncii Apostolici Hispaniarum distributionis factæ eorundem Corporum ab ipso P. Generali.

Auctor vero ejusdem Martyrologii Hispani ipsa sacra Corpora Martyrum sic distributa, non tantum unicuique eorum, & dies, & nomina ipsorum ita indicavit, & ad dies retulit, quæ aliis sanctis Martyribus ejusdem nominis assignantur in Martyrologio Romano, sed insuper Acta ipsa, quæ in eo habentur, iisdem attribuit, cum revera eadem esse non possint, cum nullum documentum umquam reperiatur in Inscriptionibus, quæ reperiuntur eorum loculis affixæ, & hac forsan de causa cautum est a Sacra Congregatione Rituum sub die XI. Augusti 1691. ne sacrorum Corporum Martyrum, quæ extrahuntur ex Cœmeterio, fiat Officium, & Missa, cum ipsorum acta omnino ignorentur; nam antea pluribus in locis vulgabantur Vitæ ipsorum MM. fabulis refertæ, quæ editæ spargebantur in vulgus. Horum quidem Corporum a Tamayo Salazar index exhibetur, & in eo legitur *S. Fortunatus M. die XI. Octobris* &c. & sic de aliis, approprians unicuique acta, quæ habentur in Martyrologio Romano, quæ omnia quantum a veritate distent, nemo non videt.

Hanc ergo ob causam, & ad præcavendas æquivocationes, sacra ipsa Congregatio statuit, ut Sacris sanctorum Martyrum, quæ reperiuntur in sacris Cœmeteriis Corporibus absque nomine,

ne, non alia imponerentur nomina, nisi appellativa, seu synonima, seu adjectiva, quæ unicuique Sanctorum Martyrum convenire possint, & applicari.

§. I.

De Corpore, & Reliquiis Beatissimi PETRI *Principis Apostolorum, & primi Romani Pontificis.*

CErtum est ex vetustioribus monumentis antiquorum Scriptorum tum Latinis, tum etiam Græcis, Corpus Sancti Petri Apostoli in Vaticano sepultum fuisse, & ab Anacleto Presbytero tunc, postea Summo Pontifice, memoriam illi supra Corpus constructam fuisse, sive ædiculam, quæ una cum alia simili supra Corpus Apostoli Pauli in via Ostiensi constructa, appellatæ fuere *Trophæa Apostolorum.* Inde postea a S. Callisto Papa Corpus S. Petri translatum fuit ad Catacumbas Via Appia, una cum Corpore S. Pauli, ibique depositum jacuit usque ad tempora S. Cornelii PP., qui eadem Corpora suis antiquis sedibus restituisse narratur. Onuphrius Panvinus in additionibus ad Platinam, opinatus est, hanc translationem peractam fuisse a S. Callisto, eo quod Imperator Heliogabolus, ut aditum Circi Caji, seu Neronis ad ingressus Elephantorum ampliaret, plura sepulchra, quæ in ea parte Vaticani extabant, dirui fecerit, inter quæ demolitum fuit etiam Beati Petri sepulchrum, anno Christi 221. Sed hæc causa minime assignari potest, ut optime notat Blanchinius senior *To. 2. in Anastasium Biblioth. in Vita S. Cornelii*; nam revera Eliogabolus diruit nonnulla sepulchra Gentilium, quæ proxima erant Circo, non vero quæ in inferiori, & abscondita ab oculis Vaticani parte, ubi erat sepulchrum, & ædicula S. Petri, & aliorum Pontificum. At revera S. Callistus, timens, ne impius Imperator sepulchrum quoque Principis Apostolorum demoliretur, & ut absque timore, & periculo, alibi Pontificalia ministeria, & præcipue Ordinationes, quæ penes Corpus Sancti Petri fieri solebant, perageret, prudenter illud in locum tutiorem transferendum duxit, nempe ad Catacumbas, ibique tamquam in loco a Gentilium oculis remoto, & occulto collocandum.

Verum hæc translatio incerta, atque dubia fuit Baronio ad annum 221. §. 5. & Pagio ad eundem annum §. 3. & præfato Blanchinio pag. 205. to. 2. Nam de prima translatione Corporum SS. Apostolorum Petri, & Pauli irrefragabile testimonium reddit S. Gregorius Magnus in Epistola ad Constantiam Augustam, ubi sic ait: *Constat, quia eo tempore, quo passi sunt, ex Oriente venerunt fideles, qui eorum Corpora sicut civium suorum repeterent; quæ ducta usque ad secundum Urbis milliarium in loco, qui dicitur ad Catacumbas, collocata sunt: sed cum exinde levare omnis eorum multitudo conveniens niteretur, ita eos vis tonitrui, atque fulguris nimio metu terruit, atque dispersit, ut talia denuo nullatenus attentare properarent. Tunc autem exeuntes Romani, eorum corpora; qui ex Domini pietate meruerunt, levarunt, & in locis, in quibus nunc sunt condita, posuerunt.*

Cum igitur testimonio Sancti Gregorii Papæ, constet, Corpora SS. Petri, & Pauli, paulo post eorum triumphum, sublata fuisse ex eorum sepulchris, & translata ad Catacumbas, & inde a Romanis levata, & iterum primis suis sedibus restituta: necnon auctoritate Ecclesiæ certa quoque habeatur in Officio S. Cornelii PP. altera translatio eorundem sacrorum Corporum, admittenda videtur bina S. Petri in Vaticanum translatio. Rationes pro utraque parte refert etiam Severanus in Monumentis sacris, VII. Ecclesiarum Urbis a pag. 27. usque ad 35.

Quidquid fuerit de hac duplici translatione, certum est, Corpus S. Petri usque ad Constantini tempora in ipso Cœmeterio Vaticano, perstitisse, & ab eodem Imperatore post perceptum a S. Silvestro baptisma supra illud erectum fuisse toto Orbe celeberrimum Templum: Corpus vero teste Anastasio Bibl. in Vita S. Silvestri inclusit in loculo ex æra Cyprio, *quod est immobile, ad caput pedes quinque, ad pedes pedes quinque, ad latus dextrum pedes quinque, ad latus sinistrum pedes quinque, subtus pedes quinque, supra pedes quinque: sic inclusit corpus B. Petri Apostoli, & recondidit, & ornavit supra ex columnis &c.*

Aliqua traditione fertur, Constantinum mediam partem Corporis S. Petri, & alteram Sancti Pauli deposuisse in prædicta arca ex ære Cyprio in Confessione Vaticana, reliquam vero in simili loculo Confessionis Basilicæ Sancti Pauli, itaut pro medietate utrobique colatur Corpus Principis Apostolorum: sed hoc antiquiore nullo documento firmari potest, nam Anastasius Bibliothecarius, cæterique omnes antiqui, expresse indicant, Constantinum recondidisse *loculum cum corpore S. Petri in Basilica in Templo Apollinis in Vaticano; & in Basilica B. Pauli, cujus Corpus sanctum ita recondidit in ære, & conclusit, sicut B. Petri.* Ex quo nulla apparet facta divisio, & separatio.

Hujus tamen divisionis aliquod documentum conspicitur in ipsa Vaticana Basilica, ubi affixus est lapis porphyreticus ferrea crate conclusus, sub quo Gothico charactere in altero subjecto marmoreo lapide hæc inscriptio legitur.

✠ SVPER ISTO LAPIDE PORPHYRETICO FVERVNT DIVISA OSSA SS. APOSTOLOR. PETRI ET PAVLI ET PONDERATA PER B. SILVESTRVM PAPAM SVB ANNO DÑI C. C. C. XIX. QVANDO FACTA FVIT IS. ECCLA ✠.

Sed observandum est, hanc Inscriptionem antiquissimam minime esse, nec tempora viciniora Sancto Silvestro attingere, nam primo loco id astruunt characteres Gothici, qui suscepti sunt in Italia post invasionem Gothorum, & forma ipsorum characterum redolet Sæculum duodecimum. Secundo formula *sub anno Domini*, jam nec vetusta est, cum Epocha hujusmodi inventa fuerit ab Dionysio Exiguo, qui relicto usu annos numerandi per Consules, in-

incœpit eos ab anno Domini numerare. III. Epocha ipsa erectionis Basilicæ Vaticanæ Sancti Petri falsa prorsus redditur, nempe anni Christi cccxix. cum cœpta fuerit Basilica anno cccxxiv. Hinc mirum non est, eruditissimum Baronium, nec hujus monumenti, nec divisionis ossium Sanctorum Petri, & Pauli mentionem fecisse, nec in Annalibus, nec in annotat. ad M. Rom. sub die 18. Novembris, ubi agit de Dedicatione ambarum Basilicarum SS. Petri, & Pauli.

Minus etiam probabilis redditur hæc divisio sacrorum ossium SS. Apostolorum, si concedatur, quod Sanctus Cornelius Papa rogatu Beatæ Lucinæ e Catacumbis Corpora eorum sustulerit, teste Anastasio Bibl. & unumquodque in sua Ecclesia separatim deposuerit: *Corpus B. Pauli Beata Lucina posuit in prædio suo, via Ostiensi, ad latus, ubi decollatus est. Beatus vero Cornelius accepit Corpus B. Petri Apostoli, & posuit juxta locum, ubi crucifixus est ... in Vaticano*. Hinc refellenda sunt plura, quæ hoc super argumento tradiderunt Ciacconius, Torrigius, Panciroius, & alii innixi vulgari Traditione, & asserto etiam Joannis Belethi; necnon etiam relata a Jacobo de Voragine, & a Claudio Rota in legenda Longobardica primum edita a Voragine, postea ordinata ab ipso Rota, quæ omnia fabulosa, & apocryphis narrationibus aspersa noscuntur.

Hæc indivisio Corporum, & Ossium Sanctorum Apostolorum, & depositio singulorum in propria cujusque Basilica probatur ex relatis ab Anastasio Biblioth., in vitis S. Leonis PP. III., Leonis IV. S. Pauli I. Benedicti III., & Nicolai I. qui, ubicumque contigerit mentionem fieri de Corporibus utriusque, & specialiter ubi agitur de Basilica Vaticana, expresse dicant: *in qua Corpus ejus requiescit*, vel *ubi sacratissimum Corpus ejus requiescit*; idemque ubi de Basilica S. Pauli, nulla facta mentione Corporis alterius. Id etiam apparet ex Decreto Sancti Leonis Papæ IX. relato a Baronio ad annum 1049, in quo habentur plura dona ab eo oblata Altari S. Petri, *sub quo*, ait, *sacrum, & venerabile Corpus tuum requiescit*, nulla S. Pauli facta mentione.

Cum autem Corpora SS. Apostolorum Petri, & Pauli a S. Silvestro, & Constantino Imp., ut antea diximus, ex testimonio Anastasii inclusa fuerint in loculis ex ære Cyprio elaboratis, & ex alia parte ex eodem Anastasio nullibi appareat, hujusmodi loculos apertos fuisse, ac ab ullo Pontifice extracta fuisse eorum pignora, & alio translata, mirum videri debet, quod tot S. Petri Reliquiæ in Urbis Ecclesiis, atque in Ecclesiis aliarum regionum reperiantur.

Nos speciali olim diligentia scrutantes originem, & fontem, unde fluxerunt tot Reliquiæ ex ossibus S. Petri Apostoli, nihil reperire potuimus ex variis traditionibus, & antiquis documentis, ex quibus probari possit, quando post Constantinum reseratus fuerit loculus S. Petri, & exinde extracta fuerint sancti Apostoli ossa. Ex aliqua tamen conjectura id forsan contigisse putamus Sæculo Christi IX.

Sub finem namque Pontificatus Sergii PP. II, nempe anno Christi 846. cum ex Africa magna comparata classe Saraceni Romam deprædaturi venissent, nec ipsam Urbem ingredi potuissent, a Romanis strenue repulsi, Basilicas SS. Apostolorum Petri, & Pauli, utpote extra ejusdem mœnia tunc extantes, penitus, funditusque deprædati sunt, teste Anastasio Bibliothecario in Vita S. Leonis IV. qui in Pontificatu Sergio II. suffectus est: *Ex intimo cordis sui longa trahens suspirio, cum quotidie Beatissimi Apostolorum Principis Petri, & ad tantam inhonestatem a Saracenis perfidis, & vilitatem perductam &c. Ideo fretus Domini auxilio, atque consilio, & virtute munitus aureis, simulque argenteis tabulis, non tantum Confessionem sacram, verum etiam frontem supradicti Altaris satis decenter, & honorifice perornavit*. Idem quoque præstitisse circa Altare, & Confessionem S. Pauli via Ostiensi explicat, dicendo: *Nunc ea, quæ in Ecclesia Beatissimi Pauli Apostoli Doctoris Gentium, post impiam Agarenorum devastationem est operatus: Fecit autem super ejus sacratissimum Corpus Ciborium miræ pulchritudinis, ingenti argenti pondere cum columnis argenteis comptum pensan. libras nongentas, & quadraginta sex &c.*

Non incongrue itaque suspicari possumus; post devastationem Basilicarum, & expilationem omnium ornamentorum, quæ ibidem extabant, S. Leonem Papam IV., ut certior fieret, an a Saracenis violata fuissent sacra Apostolorum Corpora, vel ex his sublatæ, aut dispersæ illorum Reliquiæ, loculos aperuisse, eaque occasione ex eisdem Corporibus partes nonnullas desumpsisse, & in Sacrario Lateranensi collocasse, aliis elargiendas Ecclesiis; & præter hoc nullum aliud documentum, & lumen illucet, circa extractionem Reliquiarum hujusmodi, quam probabiliter a Sancto Leone IV. factam fuisse conjectari possumus; nam ante Leonem, nullum certum haberi potest documentum Reliquiarum ex Corpore S. Petri possideri, nisi post ipsum Leonem.

Sed antequam harum Reliquiarum indicem attexamus, exponenda est æquivocatio, seu falsus rumor de existentia Corporum SS. Petri, & Pauli extra Romam. Antonius Pauli Masini in sua Bononia perlustrata sub die 4. Aprilis pag. 185. agens de Basilica, & Sanctuario Sancti Stephani ejusdem Civitatis, hæc refert: *Hæc Ecclesia olim fuit Episcopalis, & in ea inaniter ibi adesse Corpora SS. Petri, & Pauli creditum est, affluentibus jugiter ex cunctis Orbis partibus innumerabilibus populis, quod patet ex concavitate graduum Aræ majoris, ubi flexis genibus osculabantur. At jussione Eugenii PP. IV. ad 72. annos muro januæ occlusæ fuerunt, quæ permissione Alexandri PP. VI. reseratæ fuerunt, imposita tamen Excommunicationis pæna affirmantibus, ibi adesse Corpora SS. Petri, & Pauli.*

Prima igitur quæstio de Reliquiis S. Petri, enucleari debet circa Caput ejus, quod una cum Sancti Pauli Capite in Basilica Lateranensi servatur. Neque de separatione Capitum eorum ullum adest documentum in Lib. Pontificali, seu apud Anastasium Bibl. in Vita S. Silvestri, sed tantum ex traditione antiquissima Romanæ Ecclesiæ, quod, instante ipso Constantino Imp. S. Silvester Apostolorum Capita, segregata a Cor-

Corporibus, deposuerit in ea Basilica, quam erexerat idem Imperator in honorem Salvatoris Mundi, quam & constituit omnium aliarum Ecclesiarum Urbis & Orbis Matrem, & Caput, Sedemque, & Cathedralem Romani Pontificis, eaque Capita incluserit intus Aram majorem in Altari ipso ligneo, ad quod S. Petrus, aliique usque ad istum Silvestrum successores Sacrificium offerre consueverant: quæ traditio confirmata fuit per successiva tempora a pluribus Romanis Pontificibus suis diplomatibus; quæ deinde Capita ob Ecclesiæ incendium, cum aliis Reliquiis ex Basilica ipsa translata fuerunt in Basilicam, seu Oratorium Pontificii Patriarchii ad Sancta Sanctorum appellatum; & exinde ab Urbano PP. V. iterum restituta in eandem Basilicam in duobus signis ad formam Capitum eorundem Apostolorum auro, pretiosisque lapidibus, ac gemmis exornatis. De quibus opusculum edidit Joseph Sorresinius, ubi plura de eorum Capitum historia affert.

Aliæ Reliquiæ ex Ossibus S. PETRI Apostoli Romæ,

Ex Scriptoribus, Ecclesiarum Catalogis, & antiquis Inscriptionibus eorundem,

In Basilica Vaticana præter Corpus separatim colitur digitus integer manus, necnon Costulæ pars.

In Lateranensi præter Caput, etiam unus ex dentibus,

In S. Mariæ Majoris aliquot fragmenta,

In S. Mariæ Transtyberim brachium unu cum dente.

In S. Crucis in Hierusalem dens cum parte lacerti,

In S. Sebastiani Via Appia unus dens, præter alias Reliquias adhibitas ab Honorio III. in Consecratione Altaris veteris S. Sebastiani.

In S. Laurentii extra Muros dens unus.

In S. Praxedis dens unus: & in Catalogo Nicolai Signorili sub Nicolao PP. V. confecto, enunciatur digitus pedis cum dente, ac parte Capitis,

In S. Clementis digitus unus cum dente ex Ugonio in libro Stationum.

In sequentibus Ecclesiis alii dentes. Nempe duo in S. Cæciliæ Transtyberim. Unus in S. Mariæ de Aracæli, in S. Mariæ de Campitello, SS. Vincentii, & Anastasii ad aquas Salvias, in Ecclesia S. Mariæ de Consalnae. Alius quoque dens adhibitus fuit a Paschali II. in Consecratione Altaris S. Pantaleonis in tribus Foris. Duo alii dentes S. Petri a Cælestino PP. III. anno 1144. reconditi fuere in Altari Columnarum veteris Ecclesiæ S. Mariæ de Transpontina: qui, postea translata ipsa Ecclesia in eum situm, in quo nunc est, ibidem coluntur,

Hæ sunt Reliquiæ S. Petri ab antiquo tempore repositæ in supradictis Ecclesiis Urbis. Verum nostra hac ætate vix ulla est Ecclesia Romæ, quæ aliquod fragmentum Ossis Sancti Petri Apostoli se non glorietur habere; de quarum Reliquiarum identitate, ac veritate fides sit penes Præsules illos, qui eas extractas ex authenticis locis in suis litteris testantur.

Reliquiæ ex Corpore S. PETRI Principis Apostolorum extra Urbem.

Lucæ in Hetruria in Ecclesia S. Mariæ Miraculorum colitur sanguis S. Petri Apostoli in ampulla effusus in passione ejus, quæ reperta fuit anno 1161. tempore Alexandri PP. III. ut refert Franciottus in lib. de Sanctis ejusdem Civitatis, ubi etiam ejusdem Apostoli alias servari Reliquias in decem aliis Ecclesiis scribit.

Florentiæ Unus dens, & ossium particulæ in Collegiata S. Laurentii, necnon Reliquiæ in aliis Ecclesiis ejusdem Urbis. *Giamboni in Diar. sacr. Florent.*

Senis in Hospitali majori SS. Annunciationis os pedis unum, ex Reliquiis sacelli Constantini Magni a Petro Torregiano anno 1359. Constantinopoli delatum. *Giglius Diar. Senensis 25. Martii.*

Coloniæ Agrippinæ, Duo digiti, Mandibula cum particula Capitis. *Vindeminus in Indice Reliq. ejusd. Civitatis.*

Tornaci in Hannonia Juncturam, seu nervum brachii, & alia ossa minutiora servari tradit *Cognatus in suo Tornacensi Diar.*

Goslariæ in Saxonia in Collegiata SS. Simonis, & Judæ magnam extitisse partem Reliquiarum SS. Apostolorum Petri & Pauli, dono datam a S. Leone PP. IX. Henrico II. Filio Conradi Imper. ab ipso fundata anno 1040. tradit *Chronicon ejusdem Ecclesiæ in Tom. 2. Scriptorum Brunsbereicensium pagina 532.*

Burgis in Hispania esse tradit digitum S. Petri Apostoli *Tamayus Salazar in M. R. suo Hispano* sub die 9. Aprilis: quin & sub 7. Maji ossa SS. Petri, & Pauli indicat esse in Ecclesia Valentina: & in Cœnobio Vallis Vinariæ duo capita costularum. Itemque sub die 29. Junii brachium S. Petri asservari in Cœnobio S. Petri de Tabernas in Regno Aragoniæ.

In Ecclesia S. Petri de Clnate Diœc. Mediolanensis, veneratione coli brachium S. Petri ab Adriano PP. I. dono missum cum parte Catenæ ejusdem Desiderio Longobardorum Regi circa annum 730. scribit *Morigia in libro de Nobilit. Mediolanen.*

Anagniæ in Latio duo dentes S. Petri Ap., & alia ejusdem ossicula, in Cathedrali, ut ex Indice Reliq. ejusdem.

Bononiæ in pluribus Ecclesiis veneratione haberi reliquias Principis Apostolorum tradit Masinius in sua *Bononia perlustrata* 29. Junii.

S. Severini in Piceno dens unus, & ossa in Cathedrali, necnon minutiora fragmenta in aliis Ecclesiis enunciatur in Catalogo Reliquiarum in Synodo Dionysii Pieragostini Episcopi de anno 1735.

Papiæ de Capite, & de aliis ossibus delatis anno 1499. ex Arce in ædem majorem mentionem habet *Gualla* in suo Sanctuario Papiensi.

Bu-

Bucellinus in suo Sanctuario Benedictino S. Petri Apost. has recenset Reliquias, nempe digitum in Ecclesia Epternacensi, juncturam integræ manus cum carne, & particulam Crucis in Lœriensi. Os brachii in Tergensi, ac Reliquias una cum capulo baculi in Weingartensi.

In Provincia Umbriæ hæc habentur S. Petri pignora, teste Jacobillo in Indice To. 3. de Sanctis Umbriæ, videlicet:

Assisii in Cathedrali de Capitibus SS. Petri & Pauli Apostolorum.

Ibidem in Ecclesia S. Francisci Minorum Conventualium digitus S. Petri.

In Civitate Castelli in Ecclesia Monialium Sanctæ Claræ, guttur integrum ejusdem, & pars digiti in Ecclesia Confraternitatis S. Catharinæ.

Fulginei in Ecclesia Ursulinarum costula cum alio osse.

Plura denique alia minutiora fragmenta, & ossicula indicat in multis aliis ejusdem Provinciæ Ecclesiis servari.

Ut tandem innumera alia loca prætereamus, in quibus servari pignora S. Petri dicantur, addam quod scribit Saussayus in suo M. R. Gallicano, sub die 29. Junii, ubi sic ait de Reliquiis Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli: *Plurimorum sacrorum ossium, atque ipsorum etiam suorum cinerum, quos dudum Cluniacum sub Sancto Majolo Abbate, Roma per Romanos Ascetas, permissu Pontificali advectos in arca pretiosa, in qua eosdem S. Cornelius P. & M. condiderat, inclusos, atque ab Hugone Ven. Archiepiscopo Bituricen. in Columna sub principe Ara repositos, Callistus II. Papa visitans Cluniacense Monasterium rite agnitos adoravit, oppignoratione se se ultro addixerat.*

Venetiis tandem in Ecclesia Ducali S. Marci servatur pars custulæ S. Petri a Clemente PP. VIII. Cardinali Delphino dono data cum aliis pluribus reliquiis. Alia quoque fragmenta, ac de sanguine ejusdem coluntur in Ecclesia S. Mariæ: necnon & ibidem in Ecclesia Patriarchali de Castello habetur Cathedra marmorea, in qua S. Petrus sedit Antiochiæ, a Michaele Paleologo Imp. Constantinopolitano dono missa Reipublicæ Venetæ: quæ omnia tradunt Joannes Stringa, in Hist. ejusdem Ecclesiæ Sancti Marci, atque Fidelis Onuphrius in Chronol. Veneta, aliique scriptores.

Nostrum vero negocium minime est disquirere, vel approbare, aut rejicere difficultates, quæ oriri possunt circa identitatem, seu veritatem hujusmodi S. Petri Reliquiarum. Gaudeat tamen unaquæque Ecclesia suis traditionibus, & documentis, & præcipue si ea sint antiqua, necnon & possessione, si suorum Antistitum approbatione fulciantur.

Plura essent addenda de aliis Principis Apostolorum Reliquiis, uti de Catenis ejus, de Gladio, & Cultro, de Clavis, quibus crucifixus est, de Cruce, de Baculis, de Aris, aliisque rebus, quibus usus est: sed cum hæc pignora per contactum sacra, minime spectent immediate ad Corpus ejusdem, ea consulto omittenda ducimus, ne tædio lectorem afficiamus, cum multa videri possint in Commentario Historico de S. Petro in Actis Bollandianis sub die 29. Junii.

§. I I.

De Corpore S. LINI *PP. & Martyris Successoris Principis Apostolorum.*

VEteres omnes Scriptores, & documenta testantur, Sancti hujus Pontificis Corpus, juxta Beatissimi Petri Sepulchrum in Basilica Vaticana fuisse depositum; & ibidem adhuc requiescere, ejusdem Basilicæ documenta proferunt. Pancirolus in suo Indice Reliquiarum Urbis indicat, S. Lini reliquias haberi in Oratorio S. Silvestri juxta Titulum SS. IV. Coronatorum in Monte Cœlio, & in alia Ecclesia S. Ludovici. Et alias indicat Masinius in sua Bononia perlustrata sub die 26. Septembris, præter quos Scriptores nullum reperi, qui de S. Lini Reliquiis mentionem fecerit, excepto Petro de Natalibus, qui, absque ullo documento, in Catalogo Sanctorum, libro 8. capite 109. ita scribit: *Et licet Corpus ejus primò in Vaticano sepultum, postea a Gregorio Episcopo Ostiensi Ostiam translatum est, & in Ecclesia majori S. Laurentii reconditum.* Hoc idem, iisdemque ferme verbis, referunt Platina, Razius, Illesca, & Ciacconius, ut observat Augustinus Oldoinus in novis suis Additionibus ad ipsum Ciacconium, ibique subdit: *Franciscus Maria Turrigius in Vaticano Corpus servari usque adhuc scribit.*

Et revera cum nullum aliud extet monumentum de hac Translatione peracta ab ipso Gregorio Episcopo, merito in dubium revocari potest: nec putandum est, sine auctoritate Summi Pontificis id peractum fuisse, quod si verum esset, aliquo documento certissimo firmatum extitisset.

Potuit igitur Gregorius Episcopus Ostiensis aliquod Corpus alterius Sancti Lini Martyris ex aliquo Cœmeterio Urbis extractum obtinuisse, quod Ostiam delatum, postea per æquivocationem creditum fuerit esse S. Lini Papæ, & M. Hoc etiam evidenter resultat ex documento relato a Papebrochio in Actis Bollandianis ad diem 4. Maji Inventionis Corporis S. Monicæ matris S. Augustini, id attestante Maphæjo Vejo Datario Martini PP. V. ab ipso Pontifice deputato ad recipiendas, & honorifice collocandas ejusdem S. Monicæ Reliquias. Ex quo constat, quod in eadem Crypta Ecclesiæ Ostiensis repertum quoque fuerit Corpus S. LINI MARTYRIS; nulla facta mentione Tituli PONTIFICIS, qui Titulus nullatenus prætermissus fuisset in antiquo ejus Corporis Epitaphio. Immo si unquam adfuisset, idem Corpus, curasset Pontifex Martinus V. Romam transferri, & condigne excipi, ac reponi in Basilica Vaticana.

Præter hæc Abbas Carolus Bartholomæus Piazza in sua Ephemeride Vaticana ad diem 23. Septembris, ubi de hoc S. Pontifice agit, post relatum testimonium Petri de Natalibus, ita subdit: *Hoc omnino improbabile existimamus, cum hujus Translationis nulla apud Scriptores Ecclesiasticos reperiatur memoria, neque ea Cathe-*

dralis unquam dedicata fuerit S. Laurentio, cum nullum vestigium rei hujus nobis occurrerit in nostra ejusdem Ecclesiæ visitatione; hinc constanter tenemus, ejusdem Sancti Pontificis cineres nunc etiam haberi in hac Sacrosancta Basilica, ut asserunt graviores, & accuratiores Rerum sacrarum Urbis Scriptores.

§. III.

De Corpore, & Reliquiis S. CLEMENTIS *Papæ, & Martyris.*

Corpus hujus sancti Pontificis, ex Insula Chersonæ, ubi Martyrium passus est sub Trajano Imp. Romam translatum fuisse, habetur in Martyrol. Rom. ad diem 23. Novembris, ubi legitur: *Cujus Corpus Nicolao I. Romam translatum, in Ecclesia, quæ ejus nomini antea fuerat extructa, honorifice conditum est.* Baronius vero in Notis hæc subdit: *De S. Clementis translatione firmius testimonium illud putamus, quod in Epistola Anastasii Bibliothecarii ad Carolum Regem accipitur data Kal. Aprilis Indict. 8., ubi hæc habentur: Vir magnus & Apostolicæ vitæ præceptor Constantinus Philosophus (ita vocabatur Cyrillus ante Episcopatum) Romam sub ven. memoriæ Adriano Juniore Papa venit. Hæc Anastasius oculatus testis.*

Ex hoc tamen argui non debet Martyrologium Romanum, quod tradat, translatum fuisse Romam Corpus S. Clementis sub Nicolao I. Nam in Annalibus Ecclesiasticis ad Ann. C. 867, qui fuit ultimus Sedis Nicolai, legitur, quod Cyrillus, & Methodius tunc Monachi Orientales ad Urbem accesserint cum sacris exuviis S. Clementis, interim defuncto Nicolao I. in Urbe commorantes usque ad creationem PP. Adriani, qui forsan Pontifex delata a sanctis Viris, Sancti Clementis pignora suæ Sedi restituit. Hoc clarius explicatur in Actis ipsorum, relatis a Bollando sub die 9. Martii, ubi legitur: *Post aliquot dies Romam applicuerunt: sed cum non ante multos dies supradictus Papa Nicolaus transisset ad Dominum, secundus Adrianus, qui illi in Romano Pontificatu successit, audiens, quod præfatus Philosophus,* (nempe Cyrillus) *Corpus B. Clementis, quod studio suo repererat, secum deferret, valde nimis exhilaratus est, & extra Urbem cum Clero, & populo procedens obviam illis, satis honorifice eos recepit.* Ab Adriano igitur Corpus S. Clementis collocatum fuit in Ecclesia olim ejus nomini dedicata. Sed si vera sunt, quæ afferuntur ab Ughellio in sua Italia Sacra, ubi agit de Monast. & Abbatia Casauriensi, & etiam a Bollandianis, aliisque Auctoribus recentioribus, parum quievisse sacrum pignus in ea Ecclesia, dici necesse est. Nam fertur, a Ludovico Augusto II. translatum fuisse ad Monasterium supradictum Casauriense, ut ex Tom. 3. Criticæ Baronianæ, scripsit Pagius Junior, ubi de Corpore Sancti Clementis ita habet: *Ejus Corpus, sedente Adriano II. Romam translatum est, & deinde petente Ludovico Augusto hujus nominis II. ad Monasterium Casæ aureæ ab ipso fundatum in Insula Piscaria ad Benacum lacum, hodie in ditione Venetorum, asportatum, eodem Adriano II. annuente, ut legere est Tom. 3. Criticæ Baronianæ.*

Verum hic notandum est, hanc Insulam Piscariam non esse ad lacum Benacum.

Hanc tamen translationem Roma ad Casauriense Monasterium rejicit ut fabulosam Rondininus in sua Historia de Basilica Sancti Clementis de Urbe.

Hoc super argumento nonnulla tradit Eruditus Dominicus Georgius in suis Notis ad Martyrologium Adonis sub die 23. Novembris, ubi animadvertit C. V. Mabillonium in Annalibus Benedictinis lib. 37. §. 43., in Notis Narrationis de Dedicatione Basilicæ Monasterii Casauriensis, ostendere, ac statuere, eam dedicationem factam fuisse, non præsente, sed absente ipso Ludovico Imperatore. Verum idem Mabillonius in præceptis ab eodem Imperatore pro Monasterio eodem datis anno 874, animadvertit, mentionem fieri de Corpore S. Clementis PP. & Martyris in ipsa Ecclesia, seu Monasterio.

Idem Georgius itaque subdit prudenter: *Sed quod sæpe alias dictum est, partem pro toto sumi, reliquias vocarunt Corpus: & Bollandiani, memorato loco, p. 15. putant, Reliquias S. Clementis tantummodo Romam per Cyrillum, & Methodium fuisse delatas, propter quod anno* 1048. *Henrico I. Galliæ Rege, miraculum Chersonæ per S. Clementis Reliquias editum feratur: & anno* 1040. *ejusdem Clementis caput Kioviam delatum fuisse, narretur.*

Ad hoc quoque probandum confert id quod tradit Saussayus in suo M. R. Gallicano ad diem 23. Novembris, videlicet quod S. Illidius Episcopus Arvernensis, cum ad sepulchrum S. Clementis, quod Chersonæ extabat, ivisset, ab eo Sancto obtinuerit Brachium ipsius dexterum, quod delatum ad Arvernos deposuit in Oratorio, quod Winebrandus illustris vir ad hoc extruxerat in Suburbio, quod postea ex antiquo Altaris situ in recentiori Ecclesia ipsi dicata depositum fuit circa annum Christi 995. Obiit S. Illidius circa annum Domini 385. & eximie laudatur a S. Gregorio Turonensi lib. 1. Hist. Francor. c. 45. & in Vit. SS. Patrum cap. 2. ut notat Baronius sub die 7. Julii, quo celebratur ejusdem S. Illidii festum.

Sed sive totum Corpus, sive partes ejusdem fuerint Romam delatæ a SS. Cyrillo & Methodio, ac ab Adriano II. depositæ in ejusdem S. Clementis Titulo, certum est, quod non obstante translatione, quæ facta fuit a Ludovico Imperatore ad Monasterium Casauriense, in Urbe semper, & constanti traditione creditum est, hoc sacrum Corpus requiescere in ejusdem Ecclesia sub Ara Majori. Præterea ibidem in Theca argentea formam brachii referente publico cultui exponitur brachium ejusdem, sive pars brachii, necnon pars Capitis, ut refert Ugonius in libro Stationum Urbis, qui etiam tradit, in eadem asservari partem Stolæ, atque baculi, ut etiam scribit Pancirolus in suo Indice Reliquiarum, qui addit, de ejus Capite particulam

culam

culam servari in Basilica S. Crucis in Hierusalem, & alias Reliquias in Vaticana, necnon in aliis Urbis Ecclesiis.

Verum quoad Corpus notandum est, quod, cum nostro hoc ævo renovaretur Altare majus ejusdem Ecclesiæ, cum spe illud sub eo reperiendi, frustra omnino laboratum fuit, nam intra illud, hujus S. Clementis Corpus minime inventum fuit, sed aliud alterius hujus nominis, videlicet S. Clementis exconsulis, & M., ut profert P. Vitry Soc. Jesu in suo Opusculo Urbini edito super ejusdem Inventione anno 1721.

Sed quoad possessionem hujus sancti Pontificis Reliquiarum in dissitis ab Urbe Ecclesiis, audiendi sunt Historici: & primo loco Andreas Saussayus in suo M. R. Gallicano sub die 23. Novembris, ubi post indicatum brachium a Sancto Illidio Episcopo Arvernorum, de quo superius egimus, ait: *Caput vero S. Clementis, a Francis capta Constantinopoli, ex Asceterio ipsius Clementis, ubi ad peculiarem cultum ab Imperatoribus Græcis sub Monachorum S. Basilii observantia jam pridem collocatum fuerat, sublatum, tandem ad Cluniacense Asceterium deductum per Dalmotium de Sorcajam militem, & Pontium de Basteira viros nobiles Abbati Hugoni V. oblatum, & in capsa argentea cum aliis sacris Lipsanis conclusum anno 1206. sexto Kal. Augusti fuit*. Quomodo vero id componi possit cum eo, quod supra retulimus ex Bollandianis, videlicet Caput S. Clementis PP. & M. Kioviam delatum fuisse anno 1040, aliorum judicio examinandum relinquimus.

Bucellinus in Sanctuario Benedictino, tradit, in Monasterio S. Benedicti Aquiscinthi servari magnam partem calvariæ S. Clementis PP. & M. necnon crus ejusdem in Monasterio Andecensi in Bavaria. In Indice tamen Reliquiarum hujus Monasterii, nulla fit mentio de crure, sed tantum de brachio.

Coloniæ Agrippinæ in Ecclesia S. Cuniberti haberi brachium ejusdem, affirmat Winhemius in Indice Reliquiarum ejusdem Urbis.

Tornaci in Flandria os hujus Pontificis haberi, tradit Cognatus.

Neapoli in Ecclesia S. Severini partem Capitis religiose asservari, indicat Celanus Diæta 2. Caput vero in Oratorio antiquissimo Disciplinæ de Cruce, addit Octavius Beltranus in additionibus ad Engenium.

Florentiæ in Ecclesia S. Clementis in via Galli, ejusdem Pontificis venerationi fidelium exponi Reliquias, sicut & in Metropolitana, & in aliis Ecclesiis, narrat Giabonius in Diar. Sacro Florentiæ.

§. IV.

De Corpore S. EVARISTI *PP. & M.*

DE die Natalis hujus sancti Pontificis non conveniunt inter se vetera Hagiologia, nam nonnulla eum referunt ad 26. Octobris, alia ad 23. Decembris. Martyrologium tamen Romanum ad diem 26. Octobris, sicuti etiam Vaticana Basilica ejus memoriam recolit ipsa die, qua & Officium celebrat; & Baronius ad annum Christi 121. n. 1. & 2. existimat, Evaristum passum esse eo anno die 26. Octobris. Pagius vero in Critica ad annum 119. Martyrium ejus figit ad annum 108. incerto die, & mense, ut animadvertit Dominicus Georgius in Notis ad M. R. Adonis ad 23. Decembris.

Certum porro est auctoritate Anastasii Bibliothecarii, aliorumque vetustissimorum Scriptorum, ejusdem Corpus sepultum fuisse in Vaticano, juxta pignora Principis Apostolorum; & ex documentis ejusdem Basilicæ nullibi apparet, unquam translatum fuisse, alibique depositum. Verum Carolus Celanus in Notitiis Urbis Neapolitanæ, absque ullo teste tradit to. 2. ubi agit de Ecclesia S. Mariæ Majoris ejusdem Civitatis, illud in ea requiescere. Optarem quidem, ut PP. Religionis Clericorum, qui *Minores* appellantur, & eandem Ecclesiam excolunt, aliquod certum documentum proferrent, quo hæc opinio firmari possit, & quomodo, a quibus, & qua occasione hoc sacrum Corpus S. Evaristi Papæ eò fuerit Roma delatum: cum de ejus translatione nihil prorsus habeatur in monumentis Vaticanæ Basilicæ, quæ sua possessione exturbari non debet, nisi evidentissimum appareat documentum aliquod in contrarium.

§. V.

De Corpore, & Reliquiis S. ALEXANDRI I. *PP. & M.*

CORpus S. Alexandri Papæ Martyrio affecti sub Adriano Imperatore, jam pluribus probavit Baronius in Annalibus, sub Aureliano Judice una cum sociis Eventio, ac Theodulo Presbyteris, sepultum fuisse a Severina Matrona ejusdem Judicis conjuge, in proprio prædio septimo ab Urbe lapide juxta viam Salariam, & Nomentanam; & quamvis in diversis sepulchris condita corpora ipsorum requieverint usque ad tempora S. Paschalis I. sub initium Sæculi IX. ab eodem tamen inde extracta, & in Urbem perducta, in Ecclesia S. Praxedis honorifice collocata fuerunt, ut testatur Tabula marmorea in eadem Basilica affixa, ubi post plurima alia indicata SS. MM. Corpora, legitur: *Et in Oratorio B. Virginis Agnetis, quod sursum est, in Monasterio ipse Pastor eximius posuit Corpora SS. MM. videlicet Alexandri Papæ, atque Eventii, & Theoduli Presbyterorum*.

Non diu tamen perstitere sacra illa pignora in prædicto Oratorio ejusdem Monasterii S. Praxedis, nam Eugenius Papa II. qui Paschali immediate successit in Pontificatu anno Christi 824. ea ipsa Corpora ad Ecclesiam Sanctæ Sabinæ in Aventino transtulit, ut apparet ex antiquissimis hujus Ædis documentis, & præcipue ex ingenti marmore, quod olim stratum erat in pavimento, in quo fere Gothico charactere hi versus leguntur:

Summa Papatus Eugenius arce locatus
Corpus Alexandri Præsulis egregii,
Necnon Theodoli simul, & Te martyr Eventi
Juxta Savinam, serophiamque piam

Ede sub hac posuit, quam Petrus Presbyter edit
Sub Cælestino Presule Roma tuo
Illis, & cunctis sacro baptismate lotis,
Vos sancti Dominum esse rogate pium.

Quoad possessionem Corporis S. Alexandri PP. & M. pro Ecclesia S. Sabinæ, militat documentum Sixti PP. V. ad Aram majorem ejusdem Ecclesiæ affixum.

Contendunt tamen plures aliæ Ecclesiæ extra Urbem, Corpus S. Alexandri se possidere. Et primo loco Lucensis in Etruria se illud habere asserit in ea ipsa Ecclesia, quæ ab ejus nomine celebratur, ut ex Inscriptione, quæ sic legitur: *Corpus Beatissimi Alexandri Primi Pontificis Maximi sub Adriano Imperatore coronati, una cum catena, qua vinctus custodiebatur, ab Alexandro II. in Ara hujus Templi subterranea conditum debita cum reverentia, fuit, in hoc Altare translatum anno MDLXXXIII. mense Decembris, curante Nobili Viro Joanne Arnolphino Ædi*; quæ Inscriptio a Cæsare Franciotti in sua Historia affertur.

Præterea adversatur id, quod asseritur in libro, seu indice omnium Sanctorum Pignorum, quæ in Regali Monasterio S. Dionysii extra Parisios asservantur, edito anno 1646. ubi agitur de septimo Sacello, in quo habetur, quod Carolus Magnus tempore S. Leonis Papæ III. a quo coronatus fuit Imperator circa annum Christi 800. ab eo Pontifice obtinuerit tria Corpora Sanctorum, nempe S. ALEXANDRI PAPÆ, S. CUCUPHATIS, ET S. HIPPOLYTI socii S. Laurentii, eaque in Germania detulerit, ac tribus in diversis Monasteriis in Valle de Labrada collocaverit, quæ erigebat in Prioratus, atque uniebat Abbatiæ S. Dionysii Parisiorum. Deinde, quod post tempora Caroli Magni Tuldardus Abbas S. Dionysii Corpora ipsa ex prædictis Cœnobiis amoverit, & in supradicto Sacello posuerit. Id quoque breviter innuit Bucellinus in suo Sanctuario Benedictino ad 3. Maji, ubi habet: *S. Alexandri PP. & M. Corpus colitur in S. Dionysii Parisiis: costarum partes aliquæ in Weingarten.*

Tamen hæc narratio, si certissimis documentis non probetur, suspecta omnino redditur ex testimonio allato S. Paschalis I. Nam Sanctus Leo III. qui S. Paschalem præcessit, obiit anno 816. eique in Pontificatu successit Paschalis I. qui nondum Corpus S. Alexandri ex Cœmeterio transtulerat in Oratorium S. Agnetis Monasterii S. Praxedis.

Rursus insurgit Parmensis Ecclesia, quæ S. Alexandri hujus Corpus se possidere gloriatur in sacra illi dicata Æde Sanctimonialium, a Gregorio IV. ut dicunt, dono datum Cunegundæ Uxori Bernardi Regis Italiæ anno Christi 827. quo anno, ut ajunt, obiit Romæ Eugenius Papa II.

Tandem Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ ad 27. Octobris hoc offert documentum: *De inventione Corporis S. Alexandri PP. & M. Justinopoli in Istria, ubi hac die inventum traditur: Verum cum illius Corpus Parmæ in propria Ecclesia, quæ Monialium S. Alexandri est, quiescere affirmatur, vel alterius Alexandri Martyris non Pontificis Justinopoli Corpus habetur, aut certe pars pro toto, ut usus de multis aliis obtinuit, accipitur.*

Quod vero ad Reliquias insignes S. Alexandri, in Ecclesia S. Laurentii in Lucina Romæ servatur Caput ejusdem, quod ab Anacleto II. Pseudopontifice anno 1120. sub Ara majori cum aliis Reliquiis depositum fuit in solemni consecratione ejusdem Ecclesiæ, ut ex monumento marmoreo ibidem apparet. Iterumque de eo fit mentio in alio lapide consecrationis statutæ a Cælestino Papa III. de anno 1196. die 26. Maji, qui illud deposuit in Ara majori una cum Corporibus sociorum ejus Sanctorum Eventii, atque Theodoli Martyrum. In consecratione Ecclesiæ S. Matthæi in Merulana peracta a Paschali Papa II. anno 1110. adhibitas fuisse Reliquias S. Alexandri, testatur lapis marmoreus in ipsa Ecclesia affixus.

Extra Urbem Chronicon Centulense Hariulphi Monachi lib. 3. cap. 12. in eo Monasterio haberi brachium ejusdem S. Alexandri, affirmat.

Ut quæstiones demum absolvamus de pluralitate Corporum S. Pontificis Alexandri, audiamus quid prudentissime judicet Cl. V. Franciscus Muratorius Florentinus in suis prælaudatis Notis ad vetustius Martyrologio Occidentalis Ecclesiæ sub prædicta die 3. Maji. Ait enim: *Non me latet Tiburi etiam Corpus Sancti Alexandri Pontificis venerari, sicut, & Romæ, litemque composuisse Cardulum in suo Tibure, plaudente Aringhio in Roma Subterranea, partem scilicet Sacri Corporis Romæ remansisse, partem fuisse Tiburi translatam: Sed & alia componenda esset cum Justinopolitana, & Parmensi Ecclesia, quarum alterutra penes se sacrum pignus retinere gloriatur, & adnotavit Ferrarius in Catalogo. Sed fortasse facile fuit, ex Sacris Ossibus S. Alexandri, & Eventii uni sepulchro via Nomentana servatis, binis nempe Corporibus, plures notabiles emersisse partes, quæ Corpus, aut insignis pars Corporis S. Alexandri, & venerari mereretur. Nec improbanda hæc populorum pietas, quando etiam Theodoreti ætate, non magna Reliquiarum pars pro Corpore Martyris venerabatur non sine populorum laude.*

§. VI.

De Corpore, & Reliquiis S. SIXTI *PP. I. & M.*

TEstantur Liber Pontificalis, & Anastasius Bibliothecarius, & monumenta Basilicæ Vaticanæ, Corpus S. Sixti Papæ I. in ea sepultum fuisse juxta Corpus Beatissimi Petri Principis Apostolorum. Immo & idem Bibliothecarius in Vita S. Paschalis I. tradit, ipsum Oratorium construxisse prope Aram majorem in dextera parte Basilicæ, ubi & hujus S. Pontificis pignus deposuit. Et quamvis alii scripserint, non hujus S. Pontificis primi, sed alterius Corpus ab eo translatum e Cœmeterio Callisti fuisse: nihilominus Petrus Mallius in descriptione hujus Basilicæ absolute probat, non secundi, sed primi Corpus sepultum ibi fuisse.

Eam

Eam tamen opinionem de primo Sixto sequutus est Oldoinus in Necrologio sub die 6. Aprilis, ubi ait, partem hujus Corporis requiescere in Titulo Tigridis, seu S. Sixti via Appia; nam certum est, ibidem haberi partem Corporis S. Sixti II. quod quiescebat in Cœmeterio Callisti, & cui illa dicata est Ecclesia.

Pro hujus S. Pontificis possessione decertant inter se duæ Civitates, nempe Alatrina in Hernicis, & Alifium in Samniis. Nicolaus Georgius Civis Alifanus in suo Libro posthumo Italice edito anno 1721. sub titulo: *Notizie Istoriche della Vita, Martirio, e Sepoltura di S. Sisto PP. I. e M. e del ritrovamento di esso nella Città di Alife*, Cap. 1. ait, Traditionem Aliphanorum esse, quod anno Christi 1131. Anacletus Pseudopontifex appellatus II. S. Sixti Corpus ex Basilica Vaticana extractum dono dederit Raynulpho Comiti Aliphano, qui Romam cum exercitu ad ejusdem Anacleti partes tuendas se se contulerat, a quo capsulæ inclusum, & mulæ dorso impositum Aliphas directum fuerit. Addit vero, quod anno 1716. die 8. Aprilis a Porphyrio Episcopo Aliphano detectum fuerit in Ara majori Confessionis Cathedralis in vase lapideo, ubi si non totum, saltem pars major juxta peritos Anathomates adesat. Cum Corpore etiam reperta fuit plumbea Lamina, sed ætate adeo corrosa, ut nomen legi minime potuerit, necnon duo numismata, argenteum unum, aliud æreum rubigine obducta; & hoc absque dubio habitum fuisse ait pro Corpore S. Sixti PP. & M. ex perenni devotione populi, ac traditione, necnon ex picturis antiquis adhuc extantibus in parietibus ipsius Confessionis. Ingenue tamen fatetur, nonnullas sacri Corporis partes etiam ex grandioribus deficere, quas sub nomine Corporis, se possidere gloriantur Alatrini.

Ex altera parte historiam admittunt Alatrini, & donationem factam ab Anacleto Raynulpho, necnon directionem factam ab eo Aliphas; sed subinferunt, quod cum mula in suum Territorium advenisset, nutu Dei divertendo a suo itinere Aliphano, non verberibus, nec vi adacta, veloci cursu Alatrium usque processerit ad Cathedralem Ecclesiam: quod Populus, & Episcopus, cernentes, sacrum Corpus in ea collocarunt Ecclesia, uno tantum ejusdem Sancti Corporis Alifanis osse concesso. Hæc vero omnino negant Alifani, atque esse merum Alatrinorum commentum dicunt.

Præterea Alatrini afferunt, idem sacrum Corpus detectum fuisse anno 1584. die 11. Martii sub Ara majori illius Cathedralis, ab Ignatio Dantes Episcopo Ord. Prædicatorum, in capsula plumbea cum hac Inscriptione in operculo: HIC RECONDITUM EST CORPUS S. SIXTI PP. I. ET MARTYRIS; & ab eodem, cum Episcopis Anagnino, Verulano, Aquinatensi, atque Signino, solemni pompa die 4. Aprilis translatum, & in eodem Altari depositum; id quod sic peractum fuisse, constat ex Relatione typis impressa Anagniæ 1703. & iterum Neapoli.

Hanc Inventionem non impugnat præfatus Scriptor Aliphanus, sed subinfert, minime decerni potuisse, an in ea capsula integrum adesset Corpus, cum constet ex Relatione, magnam Corporis partem visam fuisse in pulveres resolutam; cernebantur enim ossa crurum, brachiorum, ac pedum, & Caput in partes confractum, necnon maxilla inferior, cum aliquot dentibus, atque thorax. In Catalogo Reliquiarum, quæ in ea Cathedrali extra Altare coluntur, & venerationi ostenduntur, enumerantur Caput, brachium, & pedes hujus S. Sixti PP. I. & M.

R. P. Vincentius Maruccius Carthusiæ S. Bartholomæi de Trisulto in Territorio Alatrino olim Prior, & amicus noster ad favorem Alatrinensium scripsit volumen in folio, an vero secum detulerit, quando factus fuit Prior Charthusiæ S. Stephani de nemore in Calabris, ubi & pie in Domino obiit, penitus ignoro.

Hæc tamen traditio tum Alifanorum, tum Alatrinorum quamvis, nullo, quod sciam, certiori documento firmetur, astrui tamen potest, ex iis, quæ de eo Pseudopontifice narrantur in Historia Ecclesiastica. Nam hic antea *Petrus Leonis* dictus, in schismate contra Innocentium PP. II. electus sub nomine Anacleti II. sperans in multitudine, ex Baron. ad ann. 1130. & in potentia parentum, ad S. Petrum equitans, ipsam Basilicam violenter captam spoliavit, non contentus thesauro argenti, & auri, atque gemmis, Ciborium, quod super Altare erat, detruncavit, aureamque Crucifixi Imaginem confregit; indeque progressus est ad alias Urbis Ecclesias expilandas, ut cuncta erogaret in eos, qui parti suæ adhærerent, seque in Throno sedentem tuerentur. Cum igitur tam nefaria, & sacrilega egerit impius Anacletus, quid mirum, si etiam Corpus S. Sixti PP. I. ex eadem Basilica auferre potuerit, illudque Comiti Alifano tanquam suæ partis defensori donare voluerit.

Augustinus Oldoinus in additione ad Ciacconium ait: *Hujus Corporis pars altera concessa Alatro antiqui Latii Civitati, antistite Turrigis. Anno vero Christi 1132. sedente Innocentio II. Rainulpho Comiti de Alifio concessum, ut dictum est supra &c.* Sed loco Anacleti posuit Innocentium II. quia tunc vere sedebat Innocentius.

Gualla in Sanctuario Papiensi tradit, in Cathedrali Ecclesia asservari Caput, ac de Ossibus S. Sixti Papæ & M. inter Reliquias in Cathedralem translatas ex Arce de anno 1499. Non explicat tamen, num Reliquiæ Sixti primi, vel secundi fuerint; sed cum infra in eodem indice specialiter meminerit Reliquiarum S. Sixti PP. II. forsan, ubi de Capite mentionem fecit, dici potest, eum intellexisse de S. Sixto I.

Alibi etiam in pluribus Ecclesiis adesse minutiores hujus Sancti Pontificis Reliquias, comperimus. Fides vero sit apud scribentes.

§. VII.

De Corpore, & Reliquiis S. HYGINI *PP. & M.*

IN Basilica Vaticana prope Principis Apostolorum sepulchrum, fuisse conditum Corpus hujus S. Pontificis, testantur liber Pontificalis,

lis, Anastasius Bibliothecarius, aliique antiqui Scriptores, necnon monumenta Basilicæ ejusdem, nec de ejusdem translatione ulla reperiuntur documenta, nec de ejusdem corporis Reliquiis, quæ alibi notantur adesse, certa notitia haberi potest: unde merito existimatur, adhuc corpus S. Hygini servari in ipsa Basilica, quamvis locus ignoretur.

Nihilominus Pancirolus in Indice Reliquiarum Urbis, postquam enunciavit, Corpus ejusdem haberi in Basilica Vaticana, addit, Reliquias coli in Ecclesia S. Annæ de Funariis.

Morigia in libro de Nobilitate Mediolanensi tradit, duo crura S. Hygini PP. & M. esse in Ecclesia S. Hieronymi olim Ordinis Jesuatorum ejusdem urbis.

Florentiæ in Ecclesia S. Stephani ad Pontem veterem hujus Sancti Reliquias esse, refert Giambonius in Indice Reliquiarum illius urbis.

Antonius Paulus Masini in sua Bononia perlustrata sub die undecima Januarii notat, S. Hygini PP. servari Reliquias in Ecclesia S. Stephani ejusdem urbis.

Quibus autem documentis prædicti Scriptores istas reliquias probari valeant, ignoramus, cum de ejusdem sacri corporis elevatione, seu translatione, ac Reliquiis nullum proferri valeat certum documentum.

§. VIII.

De Corpore, & reliquiis S. ANICETI *PP. & M.*

SAncti Aniceti Pontificis Corpus tumulatum fuisse in Cœmeterio Callisti via Appia, constat ex libro Pontificali, Anastasio, & veteribus Martyrologiis, ubi requievit per plura sæcula ignotum: tandem sub PP. Clemente VIII. repertum, indeque extractum, concessum fuit Nobili viro Joanni Angelo Duci ab Altaemps, qui ejusdem Sancti collecta omnia monumenta typis vulgavit sub vitæ S. Aniceti titulo, de qua etiam Acta SS. Bollandiana, sub 17. Aprilis mentionem faciunt: & cap. 15. idem Auctor de ejusdem sacri Corporis inventione, extractione, ac donatione sibi facta hæc refert: *S. Aniceti, cum requievisset ejus Corpus in Cæmeterio Callisti* 1429. *annos, piæ recordationis Clemens VIII. Pont. Max. zelo, & pietate motus, curavit exhumari, ut decenti in loco collocaretur, majorique devotione a viris coli posset, & ut pluribus petentibus satisfaceret, fecit, ut diligenter inquireretur in eodem Cæmeterio Callisti, & tandem reperta sunt quadraginta quatuor corpora Sanctorum Martyrum, quæ quidem exhumata fuere a quodam Pictore nuncupato Jo. Angelo, vulgariter nominato,* Toccafondo: *& sciendum est, hunc Virum in hujuscemodi Cæmeteria, & cryptas descendendi, corporaque illic existentia indagandi fuisse peritissimum. Hæc SS. Martyrum Corpora in Palatii Apostolici Sacrarium delata fuere, & inde distributa pluribus reverenter expetentibus, ac inter cæteros alios, ego humiliter petii S. Aniceti Corpus, quod notum mihi erat inter ea esse, atque eo majus illud habendi desiderium me tenuit, quia in Officio Divino fit de eo commemoratio, ac in Pontificia dignitate se optime gessit. Prædictus vero felic. recordationis Clemens VIII. amoris ergo, petitionibus meis benigne annuens, Corpus S. Aniceti P. & M. mihi concessit, quod 28. die Octobris 1604. a Reverendissimo D. Angelo Rocca Augustiniano Tagastæ Episcopo, ejusdem sanctissimi Sacrarii Præfecto mihi allatum, in Confessione electis marmoribus contexta, in Sacello in meis ædibus a fundamentis ad hoc erecto, in thecis argentea, cupressina, & plumbea, ac in Labrum flavi marmoris, olim Alexandri Severi Imp. sepulchrum, via Appia, tertio ab urbe lapide repertum, hoc addito monumento pie reponi jussi.*

☧

MARTYRIS OSSA ANICETI PAPÆ
AB ARENARIO QUOD POSTEA CALLISTI
CŒMETERIUM APPELLATUM EST
AUCTORITATE CLEMENTIS VIII. TRANSLATA
JOANNES ANGELUS AB ALTAEMPS DUX
SACELLUM OBTULIT
CORPUS EJUSDEM MARTYRIS
IN LABRUM QUOD ALEXANDRI SEVERI IMP.
SEPULCHRUM FUIT, COLLOCAVIT. D.
ANNO DOMINI M. DC. XVII.

P. Henschenius in Appendice ad Acta Sanctorum To. 3. Aprilis pag. 982. hanc extractionem memorat signatam in publicis tabulis anni 1590. die 16. Aprilis. Caput vero S. Aniceti, refert, dono datum Serenissimo Duci Bavariæ, & corpus supradicto Jo. Angelo Duci ab Altaemps, ut etiam refert idem Henschenius to. 2. Aprilis pag. 478.

His minime obstantibus, refert Adrianus Bailleti in Vitis SS. ad 17. April. pag. 226. edit. Parisiensis anno 1704. Caput hujus sancti Pontificis multo antea extractum fuisse ex suo sepulchro in Cœmeterio Callisti, quod tamen certissimis documentis probari non potest.

Beyerlinck in Indice Reliquiarum apposito in Theatro Vitæ Humanæ, v. Reliquiæ, indicat, in Monasterio Andecensi Ord. S. Benedicti asservari brachium S. Aniceti PP., de quo tamen nihil agit Bucellinus in suo Sanctuario Benedictino; solummodo indicat, Corpus ejus servari in Monasterio S. Sebastiani via Appia Romæ.

Venetiis in Ecclesia S. Sebastiani pedem hujus Sancti Pontificis haberi, scribit Fidelis Onuphrius in Chronol. Veneta.

Camerini in Umbria duo ossa magna Sanctorum Aniceti, & Urbani Pontificum in Ecclesia S. Augustini servari, affirmat Jacobillus in suo Indice Reliquiarum Umbriæ.

Bononiæ in Ecclesiis S. Pauli Barnabitarum, S. Stephani, & S. Francisci de ejusdem Sancti Papæ Reliquiis servari particulas, habet Masinius in sua Bononia perlustrata sub die 17. Aprilis.

An vero indicatæ S. Aniceti Papæ Reliquiæ proveniant ex ipso Corpore extracto sub Clemente VIII. hoc divinare non possumus.

§. IX.

§. IX.

De Corpore, & Reliquiis S. SOTERIS *PP. & M.*

SOter in Ordine XIII. Pontifex, poſt acceptam Martyrii coronam, in Cœmeterio Viæ Appiæ, quod poſtea Calliſti dictum eſt, Corporis ſui quietem accepit. Pignora ejus, nonnulli putant, extracta fuiſſe a S. Paulo PP. I. ex eo quod in Titulo Tigridis, ſeu S. Sixti Via Appia monumentum Gothico charactere marmori ſculptum habeatur, in quo & corpus Sancti Soteris PP. legitur ibi adeſſe, una cum Corporibus SS. SIXTI II. FELICIS, ZEPHIRINI, ANTERI, ET LUCII. Cumque iſtorum quinque Sanctorum Corpora putentur extracta fuiſſe a Sancto Paolo I. ut alibi obſervatum eſt, etiam hoc Sancti Soteris Corpus ab eodem quoque Pontifice extractum aſſe, putant nonnulli. Sed credo aliter dicendum, nam in Tabula marmorea, quam Sergius II. Papa affixit in Titulo Equitii, ſeu in Eccleſia S. Martini in Montibus, inter cætera Sanctorum Corpora, quæ idem Pontifex illuc tranſtulit, legitur quoque, Corpus S. SOTHERIS PAPÆ adeſſe, proinde in eam ſententiam ferimur, ut Sergius Secundus revera hujus S. Pontificis Corpus ex prædicto Cœmeterio primus tranſtulerit ad titulum Equitii ſupra memoratum, ubi & requieſcere credimus, ut etiam putant Oldoinus, aliique Scriptores rerum ſacrarum Urbis.

Sed audiendi ſunt etiam exteri Auctores, qui indicant Corpus hujus Pontificis alibi requieſcere. Tamayus in ſuo M. R. Hiſpano ad diem 22. Aprilis tradit, Corpus S. Soteris PP. eſſe Toleti in Sacrario Toletanæ Archiepiſcopalis Eccleſiæ, ſed P. Quintanadvenas in hiſtoria SS. Toletanorum fol. 486., ingenue fatetur, ſe authographum de translatione hujus Corporis minime reperiſſe: Ipſe vero Tamayus ſic inquit: Ego in Catalogo Reliquiarum Sanctæ Toletanæ Eccleſiæ hæc verba reperi n. 31. *Adeſt theca argentea, qua corpus S. Eugenii abs Rege Galliarum translatum eſt: in ea reconditæ Reliquiæ ſunt, de cineribus S. Dionyſii, & Soc. ex oſſibus S. Eugenii, & de omnibus veſtibus. Et Corpus in pulvere S. SOTERIS PP. & M. Ex quibus periodis elicio, quod ſi hæc ſacra lypſana fuere in hac argentea arca repoſita tempore, quo translatum fuit Corpus S. Eugenii Pariſiis Toletum, a fortiori fateri compellimur, cineres S. Soteris noſtri ante annum* 1565. *Toletum deveniſſe*. Poſt hæc tamen ſe in dubium verſari hiſce verbis fatetur, *quid in re hac dubia dicam, ignoro*. Oldoinus tamen in Necrologio Romanorum Pontificum huic narrationi fidem aliquam aſtruere videtur, cum dicat: *Oſſa ejus* (ideſt S. Soteris) *ætate noſtra jacent in Titulis Tigridis, & Equitii, & in Eccleſia Toletana*.

Giambonius vero in ſuo Diario ſacro Civitatis Florentiæ, indicat, Corpus S. Soteris PP. quieſcere in Eccleſia ejuſdem Urbis S. Marco dicata Ordinis Prædicatorum. Sed cum nulla certa proferantur documenta, etiam hoc in dubium revocari poteſt.

Minutiores hujus S. PP. Reliquiæ memorantur adeſſe Romæ in Eccleſiis S. Salvatoris de Suburra, & SS. Sergii, & Bacchi a Pancirolo in ſuo Indice Reliquiarum.

Sic & Maſinius in ſua Bononia perlnſtrata haberi indicantur in Eccleſiis S. Joannis in Monte, S. Pauli Barnabitarum, ac etiam Scholarum Piarum.

§. X.

De Corpore, & Reliquiis S. ZEPHIRINI *PP. & M.*

IN Cœmeterio Viæ Appiæ, quod poſtea Calliſti appellatum fuit, extat quædam pars inſignita titulo *Cœmeterii Zephirini*, in quod in ipſa hujus S. Pontificis Corpus poſt ejus martyrium ſepulchro traditum fuit. De eo enim ſic tradunt Liber Pontificalis, ac Anaſtaſius Bibliothecarius: *Qui etiam ſepultus eſt in Cœmeterio ſuo juxta Cœmeterium Calliſti Via Appia*. Forſan per illud verbum *ſuo* indicari poteſt, quod ea pars Cœmeterii ab ipſo Zephyrino fuerit excavata, vel conſtructa.

Inde a S. Paulo Papa I. in Eccleſiam SS. Stephani, ac Silveſtri in Campo Martio a ſe conſtructam deportatum Corpus ipſum, teſtantur vetera monumenta, & marmora præ foribus illius Eccleſiæ affixa, & relatio in Hiſtoria ejuſdem Eccleſiæ, quam in Proluſione jam oſtendimus, ubi legitur de anno 1267. repertum ipſum Corpus fuiſſe ſub Altare S. Dionyſii, atque translatum ad Altare SS. Pauli, & Nicolai.

Aliud monumentum extat in Titulo Tygridis, ſeu Eccleſia S. Sixti Via Appia intra mœnia Urbis, in quo, charactere Gothico inter diverſa SS. Pontificum Corpora, quæ ibidem requieſcere enunciantur, etiam Corpus S. ZEPHIRINI PP. & M. legitur. Cum autem de hoc marmore nonnulla notaverimus in Proluſione, certe intelligendum eſſe ducimus de aliqua parte Corporis eo translata, ignoto quidem tempore.

Franciſcus Maria Torrigius in ſuis cryptis Vaticanis explicat lapidem, in quo enunciantur plurimorum Sanctorum Nomina, quorum Reliquiæ extabant forſan in Sacello vetuſtiſſimo Joannis PP. VIII. juxta ſepulchrum Otthonis II. Imperatoris; inter quas Reliquias legitur etiam S. ZEPHIRINI PAPÆ. Pancirolus etiam in ſuo Indice Reliquiarum Urbis tradit, hujus S. Pontificis Reliquias poſſidere Baſilicam Vaticanam, Eccleſias S. Sixti, ac Sanctorum Stephani, & Silveſtri in Campo Martio, aliaſque Urbis.

Paulus Morigia in ſuo Opere de Nobilitate Mediolanenſi tradit, partem Capitis S. Zephirini Romæ acceptam, a ſe fuiſſe collocatam in Eccleſia S. Hieronymi ſui Ordinis Jeſuatorum,

§. XI.

De Corpore, ac Reliquiis S. CALLISTI *PP. & M.*

Circa possessionem Corporis S. Callisti Papæ, & M. plures exoriuntur difficultates. Certum namque est, hujus S. Pontificis Corpus extractum e Puteo domus, in quem demersus fuerat, sepultum fuisse in Cœmeterio Calepodii, Via Aurelia, & ex antiquissimis documentis apparet, inde extractum, decentissime coli in sua Basilica S. Mariæ Transtyberim, quam Callistus ipse fundavit, ibique requiescere certum est.

Andreas Saussayus in suo Martyrologio Gallicano sub die 14. Octobris tradit, Corpus Sancti Callisti Papæ a Sergio Pontifice dono datum fuisse Notingo Episcopo Brixien., ac ab eo in sua Ecclesia honorifice depositum: & postea compulsum ipsum Episcopum precibus Everardi Marchionis de Italia benemeriti, ob bellum adversus Saracenus fortiter gestum, eidem pro eximio munere sacrum hoc pignus concessisse, a quo in Galliam translatum Cysonii, cujus Oppidi Dynasta erat, in Cœnobio, quod in tanti Martyris venerationem condiderat, deposuisse anno Christi 855. At paulo post, scilicet anno 896. cum Normanni Gallias devastarent, ne sacrum hoc Corpus ab infida illa gente diriperetur, Remos translatum, a Beato Fulcone Archiepiscopo, deinde Martyre cum sacris Sancti Gibriani, & Sociorum ossibus omni reverentia susceptum in Æde Metropolitana Sanctæ Mariæ reconditum fuisse juxta Corpus S. Nicasii, & B. Eutropiæ, ubi ad hæc usque tempora quiescit. Brachium tamen dexterum servari apud Bellovacenses in Cœnobio suburbicario S. Quintini. Hæc Saussayus.

Huic vero narrationi adversari videtur Sigebertus in Chronico ad annum Christi 884. sic scribens: *Hoc tempore Rodulphus quidam Corpus S. Callisti PP. & M. e Romana Urbe in Franciam transfert.*

Sed neque accomodari potest, quod narrat Frodoardus, teste Baronio ad annum 893. nempe Corpus hujus Pontificis a Sede Apostolica concessum fuisse Everardo Marchioni, & postea a Rodulpho Abbate ejusdem Marchionis Filio, relictum fuisse Ecclesiæ Rhemensi. Molanus quoque in Indiculo Sanctorum, sequutus Mejerum in Annalibus Francorum, ita scripsit: *Sancti Callisti Papæ Reliquiæ Cysonium ad Abbatialem Sancti Callisti Ecclesiam sunt allatæ per S. Everardum loci fundatorem: quod factum scribit Mejerus anno* 854. *Sed nunc hæ reliquiæ Rhemis habentur ad S. Mariam.*

Cum autem inter se pugnent hujusmodi narrationes, nullaque afferat authenticum documentum, merito rejiciendæ videntur tanquam apocryphæ. Quis enim sibi suadere poterit, Sergium Papam Secundum, qui sedit anno Christi 844., & tanto studio sacris Pontificum multorum corporibus, titulum Equitii, seu Sancti Martini in Montibus exornavit, ditavitque, si Corpus Sancti Callisti reperisset, atque ex Cœmeterio extruxisset, illud totum dono dare voluisset Notingo Episcopo Brixien. & aliquam saltem partem ejusdem in prædicto suo titulo non reposuisset, ac cunctis tanti Pontificis reliquiis Romam olim suam sedem spoliare, ac privare voluisset, ut exteras eisdem ditaret regiones.

Sed ut magis convellamus hujusmodi dubias narrationes, ad certiora argumenta procedamus. Teste Anastasio Bibliothecario in Vita Gregorii Papæ IV. qui creatus est anno Christi 827. videlicet decem, ac septem annis ante Sergium II. Corpus Sancti Callisti Papæ, una cum Corporibus SS. Cornelii pariter Pontificis, & Calepodii Presbyteri, & Mart. jam quiescebat in memorata Basilica S. Mariæ Transtyberim Urbis, & ea ipsa præfatus PP. Gregorius IV. è loco ubi jacebant honorificentius ibidem reposuit. En verba ipsa Anastasii: *Sed & sancta Corpora Beatorum Callisti, & Cornelii, & Calepodii in mediana plaga Ecclesiæ tumulata post tergum populi jacentia, non condigne honorificabantur: Quod religiosissimus idem Papa non leve tulit, sed solerti, solidoque studio, cum intima industria operam adhibens, mirificum opus inchoans optime consummavit. Nam effosso clandestino antro, summa cum reverentia præfata sancta Corpora elevans, in Occidentali plaga ejusdem Ecclesiæ, hoc est in ambitu absidæ, honorifice collocando occuluit, circa quæque maximæ molis aggravans aggerem, comptum ministris lapidibus tribunal erigens decoravit: Supraque Confessionem respicientem ad ortum solis miri odoris celaturas ornatas compagine coaptavit. Infra consurgentem siquidem basim Altaris miri metri, & ornatus modulo ex argento perspicue in honorem sanctæ Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ, e lata scilicet priori, erexit inter consurgentes pulchri operis gradus: antequam Presbyterium amplum operosi operis funditus construxit: Cui ex Septentrionali plaga lapidibus circa septum matroneum adposuit.*

Hoc opus quidem, ut describitur ab Anastasio Bibliothecario, adhuc fere integrum extat in ipsa Sanctæ Mariæ Basilica: Quis igitur sibi suadere poterit, Sergium Secundum, paucos post annos, firmissimam hanc molem aperuisse & Corpus S. Callisti inde extraxisse, Notingo Episcopo regionis exteræ dono illud daturum: cum præcipue totum hoc opus a Gregorio IV. laboriose consumatum, nostris etiam oculis pateat, atque subsistat, & nunquam intermissa traditione constet, ibidem esse Corpus S. Callisti, quod maxime etiam probatur ex musivis Imaginibus pictis in absida, seu hemicyclo Chori, tempore Innocentii II. vel paulo post ejus obitum circa annum Christi 1143. Et eodem argumento evanescunt, quæ supra retulimus, narrata a Sigeberto, atque a Frodoardo.

Cum tamen testimonio Anastasii indubitanter constet, Corpus S. Callisti PP. tempore Gregorii IV. repertum ab eo fuisse in ipsa Basilica Transtyberina, nullum habemus, quod sciam testimonium, quod nobis referat, quo tempore, seu a quo alio Pontifice illud extractum fuerit ex Cœmeterio Calepodii, in ipsamque translatum.

Sed id posse probabiliter assequi putamus ex non levi conjectura: videlicet, quod a Gregorio

gorio IV. ibidem una cum S. Calliſti repertum fuerit Corpus S. Cornelii. Narrat idem Anaſtaſius in Vita Adriani PP. I. qui ſedere cœpit anno 772. ante Gregorium annis 55. hunc Pontificem ædificaſse Eccleſiam S. Petri in Domo culta, quæ *Capracorum* appellabatur, in Territorio Vigentano ab Urbe milliario p. m. xv. qui erat fundus proprii Juris ex hæreditaria parentum ſuorum ſucceſſione: *In quam ſacratiſſimam Eccleſiam cum cuncto Clero ſuo, Senatuque Romano pergens, translatavit, atque introduxit Corpora SS. Martyrum, ſimulque Pontificum, videlicet Corpus S. CORNELII M. & Pont. ſucceſſoriſque ejus S. LUCII M. atque Pontificis &c. Sed cum Adrianus vixerit in Pontificatu annos xxIII. & ultra, potuit eſſe, quod vel ipſo vivente, ob aliquam cauſam, vel eo mortuo, Eccleſia S. Petri de Capracora, cum deſeriſſet, Corpus S. Cornelii ad Baſilicam Transtyberinam fuerit delatum, ſociatumque Corpori S. Calliſti, cum quo poſtea a Gregorio IV. repertum fuit. Nam ante Adrianum I. Paulus I. extrahendi Corpora SS. Pontificum è Cœmeteriis morem inſtituit. Certum quoque eſt ex ipſo Anaſtaſio, Adrianum eximio amore flagraſſe erga ipſam Baſilicam, atque a nova eam reſtauraſſe, imo & plura dona argentea ibidem obtuliſſe.*

Cum itaque 45. circiter poſt annos Adriani, habeatur mentio ab Anaſtaſio, Gregorium IV. reperiſſe in ſupradicta Baſilica Corpus S. Calliſti una ſimul cum Corpore S. Cornelii; ſuſpicari poſſumus, Corpus S. Calliſti, vel ab ipſo Adriano, vel ab aliquo ex ejuſdem ſucceſſoribus translatum fuiſſe e Cœmeterio, in eaque depoſitum: atque ex aliquo eventu deſolata Eccleſia Capracori, inde poſtea delatum Corpus S. Cornelii pariter Corpori S. Calliſti ſociatum fuiſſe.

De Reliquiis Corporis S. Calliſti PP. & M., quæ Romæ in diverſis coluntur Eccleſiis.

PRæter Corpus hujus Sancti Pontificis, quod ſub Ara Maxima Baſilicæ S. Mariæ Transtyberim colitur, etiam ſervatur lapis cum Catena, quibus idem in Puteum demerſus fuit.

Caput, ſive, ut credimus, pars aliqua notatur, extare in Baſilica S. Sebaſtiani Via Appia a Panvinio, Actilio Serrano, ac a Severano in Libro 7. Eccleſiarum Urbis.

Brachium S. Calliſti adhibitum fuiſſe a Calliſto PP. II. in Conſecratione Eccleſiæ Sanctæ Agnetis in Agone ab eo peracta anno Domini 1123. habetur ex lapide ejuſdem Conſecrationis apud Martinellum, ubi de illa Eccleſia mentionem facit.

Reliquias etiam hujus Pontificis adhibuit Cœleſtinus III. anno 1195. in Conſecratione Eccleſiæ S. Salvatoris de Cuppellis, ut ex lapide Conſecrationis ibidem affixo. Similiter Reliquiæ ejuſdem adhibitæ fuerunt in Conſecratione Eccleſiarum S. Matthæi in Merulana anno 1110. & S. Nicolai de Funariis anno 1180. ut ex Inſcriptionibus apparet.

Extra Urbem plures Eccleſiæ S. Calliſti PP. & M., ſe pignora etiam inſignia poſſidere, gloriantur.

In parvo Chronico Eccleſiæ SS. Simonis, & Judæ Goslariæ in Saxonia fundatæ ab Henrico II. Imperatore, partem Corporis hujus Sancti Pontificis in ipſa extitiſſe, legitur in Tom. II. Scriptorum Brunſuvicenſium pag. 532.

Valentiæ in Hiſpania in Cathedrali ſervari Caput hujus S. Pontificis, legitur in Catalogo Reliquiarum illius Eccleſiæ relato in Martyrologio Hiſpano ad diem 7. Maji.

Florentiæ quoque in Eccleſia Omnium Sanctorum haberi Caput S. Calliſti, ſcripſit Giambonius in ſuo Diario Sacro Florentino, nec non alias indicat Reliquias in Metropolitana, & in Eccleſiis S. Michaelis Viſdomini, & S. Joannini Societatis Jeſu.

Coloniæ Agrippinæ in Eccleſia Domini Canonicorum Mandibulam ejuſdem venerationi eſſe, habet Vinhemius.

In Oppido Buccerii Diœceſis Syracuſanæ in Sicilia haberi Brachium hujus Pontificis in Eccleſia S. Mariæ, tradit *Roccus Pirrus*.

Bononiæ in Eccleſiis S. Benedicti in Galiera S. Stephani, S. Dominici, & S. Joannis in Monte venerationi haberi S. Calliſti PP. pignora, indicat Maſinius in ſua Bononia perluſtrata 14. Octobris.

Sed cum de hujuſmodi fragmentis Oſſium S. Calliſti plurimæ tum in Italia, tum extra glorientur Eccleſiæ ſe habere particulas, ne in immenſum extendatur Catalogus iſte, id prætermittendum ducimus.

Recenſeamus tantum quid Rhabanus Maurus Abbas Fuldenſis Cœnobii in Germania dicat de Reliquiis S. Calliſti Papæ Roma acceptis anno Chriſti 836. ſcribit enim, ſe accepiſſe *de Corpore S. Calliſti PP. & M. oſſa decem, quæ attulit Roma laicus quidam Sebertus nomine.*

Quibus vero authenticis documentis hæc pignora S. Calliſti Papæ huc uſque recenſita roborata ſint, ignoramus.

§. XII.

De Corpore, ac Reliquiis S. URBANI *PP. & M.*

EX relatione Anaſtaſii Bibliothecarii in Vita S. Paſchalis PP. I. ubi agit de Inventione, ac Translatione Corporis S. Cæciliæ V. & M. ad Eccleſiam Sanctæ hujus Virginis ſitam in regione Transtyberina, certa quoque habetur Inventio, ac Translatio Corporis S. Urbani, ex Cœmeterio Prætextati, atque illud una cum corpore ejuſdem S. Cæciliæ ſub Altari prædictæ Eccleſiæ ab ipſo Paſchali fuiſſe collocatum: id quoque conſtat ex litteris Paſchalis ipſius, quas refert Baronius ad annum 821, necnon Antonius Boſius in hiſtoria S. Cæciliæ.

Cum vero in magna Tabula ipſius Paſchalis, affixa in Titulo S. Praxedis, inter cætera corpora Sanctorum plurimorum Pontificum, ab ipſo Pontifice ibidem collocata, primo loco lega-

tur Corpus S. URBANI PP., manifestum redditur, hujus sancti Pontificis Corpus, sicuti etiam aliorum, non integrum utrobique ipsum Paschalem depoluisse, sed partem ejus tantum illic titulo Corporis posito, ut tunc moris erat.

Difficultates tamen nobis ingerunt Scriptores, seu Historici nonnulli asserentes, Corpus S. Urbani, seu caput ejus, vel potiores partes extra Italiam fuisse translatas.

Andreas Saussayus auctor Martyrologii Gallicani sub die 25. Maji, narrat, Corpus S. Urbani, unà cum exuviis S. Tiburtii M. a Nicolao I. qui sedebat Pontifex anno Christi 858. dono elargitum fuisse Legatis Caroli Calvi Imperatoris, a quo honorifice collocatum fuit in Monasterio, in honorem ejus constructo in Catalaunensi Agro, ubi nunc usque quiescit.

Ultrajecti in Flandria olim extitisse hujus sancti Pontificis Corpus, habetur ex Indice Reliquiarum apud Beyerlinch in suo Theatro Vitæ humanæ, quod ferebatur, ex Italia eo delatum fuisse a Balderico Comite anno Christi 956, ut tradit Wilhelmus Heda in Historia Episcoporum Ultrajectensium, sub Friderico Badensi Marchione Trajectensi Episcopo: verum, unà cum pluribus aliorum Sanctorum exuviis a modernis hæreticis, incensis, ac direptis Templis, dispersum, ac dissipatum fuisse, notat idem Beyerlinchius.

Caput vero esse Fuldæ in Monasterio Ordinis S. Benedicti, indicat Bucellinus in suo Sanctuario Benedictino. Browerius autem in *Antiquit. Pulden. lib. 2. cap. 8.* ubi agit de Reliquiis ejusdem loci, ait: *S. URBANI PP. Caput seorsim spectatur in magni ponderis theca argentea; ejus Inventionis fama anno 1478. percrebuit, quando in Monasterio Montis S. Joannis, pridie Festi S. Simplicii, Caput hoc repertum fuit, plumbeo in scrinio, atque translatum ad Basilicam primariam.* In alio tamen suo Opere, tit. *Sydera 51. Germaniæ*, in addit. tit. *Relectio Antiquitatum Fulden.* Cap. VII. agens de SS. Reliquiis, sic habet de Capite S. Urbani: *S. Urbani Caput in Sacraria scripsi asservari, atque ita adhuc sentio; inspecto enim vetusto Reliquiarum Indice, quæ publicitus ostendi solent, non Fabiani, sed Urbani cum SS. Bonifacii, Simplicii, & Stramii Capitibus observavi propositum. Interim nescio, errore, an permutatione, jam thoracidæ argenteæ, quam descripsi, titulum video affixum FABIANI PONTIFICIS.*

Quibus autem documentis hæc enuncientur ab exteris Scriptoribus, scrutentur veritatis amatores.

Caput quoque nostri S. Urbani Papæ publicæ venerationi exponitur inclusum signo, seu capite argenteo conditum in Ecclesia B. Mariæ de Aracæli Romæ, nec quomodo illuc pervenerit, documentum reperi: tantum Pancirolus in Indice Reliquiarum Urbis de eo mentionem facit.

Florentiæ in Metropolitana non modicam partem Corporis S. Urbani servari, tradit *Giambonini* in suo Diario, necnon Reliquias in Ecclesia Sancti Florentii.

Bononiæ in Ecclesia S. Francisci, hujus sancti Pontificis esse partem Capitis, & Ossa, tradit *Masinius*.

Franciottus de SS. Lucensibus tradit, Caput S. Urbani servari in Ecclesia S. Salvatoris, dentem vero in S. Mariæ *de Corte Landini*.

Camerini in Umbria haberi in Ecclesia S. Augustini ossa magna SS. Urbani, & Aniceti, indicat Jacobillus.

In Monasterio Centulensi S. Richarii servari Brachium S. Urbani PP. legitur in Chronico Centulensi.

Et alibi pluribus in locis minutiora fragmenta indicantur.

Quæ omnia conciliari non possunt, si ubique pro Corpore, seu pro Capite, haud intelligatur pars etiam modica pro integro accepta.

§. XIII.

De Corpore, & Reliquiis S. PONTIANI *PP. & M.*

Martyrio coronatus est Pontianus XX. Pontifex in Insula Buccina in Corsica sita: inde Corpus ejus Romam translatum fuit a S. Fabiano postea Pontifice, cum triennio in loco Martyrii fuisset, ac depositum in Cœmeterio Callisti.

Inde postmodum extractum fuit a S. Paschali Papa I. atque translatum ab eo in Titulum S. Praxedis de Urbe, ut legitur in Tabula marmorea ibidem ab eo affixa cum Catalogo omnium Sacrorum Corporum, quæ ibidem deposuit, initio sæculi noni.

Sed auctor parvi Chronici Ecclesiæ Sanctorum Simonis, & Judæ Glossariensis in Saxonia erectæ ab Henrico II. Imperatore scribit, extitisse ibi totum Corpus S. Pontiani, verum ex errore typographi legitur: *Potentianus PP. & M. Totus*; nullus enim fuit Papa Potentiani nomine; ex Tomo 2. *Scriptorum Brunsuvicensium*.

Trojæ in Apulia in Cathedrali S. Pontiani PP. & M. Reliquias requiescere, tradit Octavius Beltranus in monumentis Regni Neapolitani.

Camerini in Ecclesia S. Dominici sancti hujus Pontificis partem brachii haberi, indicat Jacobillus in Indice Sanctorum Umbriæ.

Mediolani in Ecclesia S. Hieronymi olim Jesuatorum partem magnam Capitis S. Pontiani Roma delatum, ibique repositum a se, tradit Paulus Morigia in suo libro de Nobilitate Mediolanensi edito anno 1595.

In Præpositura Terræ Gadini Diœcesis Bergomensis servari Caput S. Pontiani, scribit Calvius in suis Ephemeridibus.

Sed tenenda certissima documenta S. Paschalis PP. I. ex quibus constat, Corpus S. Pontiani requiescere in Ecclesia S. Praxedis de Urbe.

§. XIV.

De Corpore, & Reliquiis S. ANTERI *PP. & M.*

Sancti hujusce Pontificis Corpus sepultum fuit in Cœmeterio Callisti, unde extractum fuit a S. Paulo PP. I. ut credimus, ac tran-

translatum in Ecclesiam Monasterii Sanctorum Stephani, & Silvestri in paternis suis ædibus a se constructis in Campo Martio. Quamvis in Bulla ejusdem Pauli, S. Anteri PP. nulla habeatur expressio, tamen in Tabulis marmoreis præforibus ejusdem Ecclesiæ adhuc extantibus, in quibus natalitia recensentur omnium Sanctorum, quorum Corpora illic requiescunt, in una ex ejusmodi tabulis sculptum legitur:

MENSE JANUARIO DIE III,
NAT. S. ANTERI PP,

Corpus vero ejusdem de anno 1260. repertum fuit cum aliis pluribus in Altari S. Dionysii, atque translatum ad Altare Sanctorum Pauli, & Nicolai, ut habetur ex Instrumento, & Inventario pergameno a nobis alias indicato.

Verum tamen est, S. Paschalem I. ut liquet ex Tabula marmorea, inter alia Sanctorum Pontificum Corpora, quæ ex Cœmeteriis extracta transtulit in Basilicam Sanctæ Praxedis indicare etiam Corpus *S. Anteri Papæ*. Sed cum in eadem Tabula mentio fiat Corporis S. Stephani PP. quod ex Bulla S. Pauli certissime apparet ab ipso Paulo extractum, atque translatum in suam Ecclesiam S. Silvestri in Campo Martio, potius credendum ducimus, partem Corporis S. Anteri accepisse ab eadem Ecclesia, & in Titulum S. Praxedis collocasse sub Corporis denominatione.

In Titulo quoque Tigridis, seu S. Sixti, in lapide legitur, adesse Corpus hujus Pontificis, quod tamen aliquam partem fuisse eo invectam sub ejusdem S. Papæ Corporis nomine, putandum est, sed quo tempore, omnino ignoramus.

Celanus in Notitiis Urbis Neapolitanæ, *Dieta 7.*, tradit, Corpus hujus Pontificis requiescere in Ecclesia S. Mariæ de Sanitate Ordinis Prædicatorum ejusdem Civitatis; nullum tamen affert documentum originis hujus possessionis.

Si fides vero habenda sit Paulo Morigiæ in suo libro, *De Nobilitate Mediolanensi*, brachium Sancti Anteri PP. Roma delatum a se, collocatum habetur in Ecclesia S. Hieronymi, tum Ordinis Jesuatorum ejusdem Civitatis. Magis tamen præstanda est fides documentis certioribus Ecclesiæ S. Silvestri in Capite de Urbe, quæ indicant Corpus S. Anteri PP. in ea requiescere.

§. XV.

De Corpore, & Reliquiis S. FABIANI *PP. & M.*

CORpus S. Fabiani PP. & M. primus e Cœmeterio Callisti, ubi depositum fuerat, extraxit S. Paschalis Papa Primus, & in Titulo S. Praxedis, una cum aliis pluribus Sanctorum Reliquiis collocavit, ut testatur monumentum marmoreum ab ipso Paschali in eadem Ecclesia affixum.

Tamen Anastasius Bibliothecarius in Vita Sergii Papæ II. qui post Paschalum I. sedit anno 844. ita scripsit de eo: *Et ad honorem Omnipotentis Dei, ejusdemque Beatissimi Silvestri Præsulis Corpus cum Beatissimo Fabiano, atque Stephano, & Sotere Martyribus, ac Pontificibus &c. una cum aliis multis, nempe in Titulum Equitii, seu S. Martini in Montibus sub sacro Altari dedicans collocavit.*

Cum etiam constet, S. Paulum I. antea transtulisse Corpus S. Silvestri Pontificis in Ecclesiam a se constructam in suis ædibus paternis, alio modo conciliari hæc minime possunt, nisi quod Sergius II. aliquam partem desumpserit Reliquiarum, tum S. Silvestri ex prædicta Ecclesia S. Silvestri in Campo Martio, & aliquam Corporis partem S. Fabiani ex Titulo S. Praxedis, & utramque, sub titulo Corporis deposuerit in Titulo Equitii, seu S. Martini in Montibus.

Verum tamen est, quod occasione ejusdem Translationis pars aliqua Corporis S. Fabiani relicta fuit in ipsa Ecclesia S. Sebastiani Via Appia sita supra Cœmeterium, ut ex monumentis ejusdem Ecclesiæ, quibus recensentur Caput, & Brachium ejusdem, quæ pridem servabantur in Altari Reliquiarum. At cum san. memor. Clemens Papa XI. a fundamentis construxit in ipsa Ecclesia magnificum sacellum in ejusdem S. Pontificis honorem, illius Reliquias in ipsum transtulit, ut ex Epigraphe ibidem posita hujus tenoris apparet; *In honorem Sancti Fabiani Papæ, & Mart. Cujus Sacrum Caput cum aliis Reliquiis in Altari asservatur, Clemens XI. Pont. Maxim. Sacell. extruxit An. salutis M. DCCXI. Pont. XII.*

De particula forsan aliqua Capitis intelligendus est Bucellinus in suo Sanctuario Benedictino, ubi Fuldæ tradit, servari Caput S. Fabiani PP. & Mart. Nutare tamen hocce testimonium videtur ex his, quæ scripsit Browerius, qui in Libro 2. *De Antiquit. Fulden.* cap. 8. ita ait de Capite S. Fabiani: *Caput, aut certe Capitis verticem in Montis B. M. V. monasterio venerationi olim fuisse & spectaculo, produnt ejus loci monumenta. Asservari jam id in Areis nova Sacello sine Inscriptionis ulla nota, spinari cœpor. Spectatur argenteo thorace a pectore ad summum verticem, opere fusili, Pontificia Mitra, habituque*, Postmodum in Libro, cui titulus: *Sydera Sanctorum Germaniæ*, in Relatione Antiquitatum Fulden., ingenue fatetur, se putare Caput hujusmodi esse S. Urbani PP. & M. ex Indice antiquo, ac nescire tamen, an errore potius, vel permutatione in thorace argentea affixum fuerit S. FABIANI PONT. nomen.

Ceterum quoad Corpus S. Fabiani, nonnulli opinantur, partem ejusdem a Paschali I. depositam fuisse in Oratorio ab ipso erecto in Basilica S. Petri, in quo deposuerat Corpus Sancti Sixti Papæ I. in quo etiam sepultus est Sergius Papæ II. anno 847. & id astruunt ex Epitaphio ejusdem Sergii II. in eo ipso loco reperto, & recitatur a Baronio Tomo x. ad annum prædictum. In quo duo ultimi versus habentur hujusmodi.

Nectitur ecce piis Fabiano, & compare Xisto
Præsulibus, quorum spiritus astra tenet.

Potuit igitur S. Paschalis Papa in Translatione Corporis S. Fabiani aliquot Reliquias ejusdem S. Papæ in prædicto Oratorio collocasse. De iis tamen Panvinius mentionem facit in Lib. 7. Ecclesiarum Urbis, tanquam de minutioribus

Reliquiis : Attilius vero Serranus in suo pariter de 7. Urbis Eccles. Opusculo habet, ibidem Corpus laudati Pontificis haberi unà cum Corpore Sancti Sixti pariter Pontificis . Nihil vero habet Severanus .

Ferrarius in Indice ante Catalogum Sanctorum Italiæ, Corpus S. Fabiani tradit etiam extare *Placentiæ* in Ecclesia S. Sixti . de Ecclesia quoque S. Sixti Placentiæ memorat Bucellinus in Sanctuario Benedictino : nihil tamen hujus reperi apud Ubertum Locatum , ubi de Reliquiis ejusdem Urbis agit .

Panvinius Lib. VII. Eccles. Urbis scribit , in supradicta S. Sebastiani Ecclesia haberi præter Caput, etiam brachium , atque Calicem plumbeum cum eisdem S. Fabiani PP. Cineribus , & Ossibus .

Pancirolus Cranium hujus S. Pontificis tradit servari in Ecclesia S. Andreæ de Valle : forsan est aliqua particula .

Florentiæ haberi Reliquias Sancti Fabiani PP. notat Giambonius, nempe in Ecclesia Sancti Jacobi supra Arnum, Brachium : & alias in SS. Annunciatæ , S. M. Novellæ , & S. Joannis Ecclesiis .

Jacobillus de Sanctis Umbriæ partem Capitis assignat Tudertinæ Cathedrali : & ossa duo brachii in Ecclesia S. Dominici Fulginei .

Constat itaque, Corpus hujus S. Pontificis divisum fuisse, atque pluribus, ac diversis Ecclesiis concessum .

§. XVI.

De Corpore , & Reliquiis S. CORNELII *PP. & M.*

F

CORpus hujus S. Pontificis , post Martyrium , a B. Lucina collectum honorifice sepultum fuit in crypta juxta Cœmeterium Callisti Via Appia . Deinde supra ejus sepulchrum S. Leo I. PP. Sæculo Christi V. teste Anastasio Bibliothecario , *fecit Basilicam Beato Cornelio Episcopo , & Martyri juxta Cœmeterium Callisti Via Appia* .

A quo vero alio Pontifice , aut quo tempore , ex suo antiquo Sepulchro extractum aliove translatum fuerit hujus S. Pontificis Corpus, prò certo habere non possumus . Nihilominus, ex Anastasio Bibliothecario , fuisse videtur Adrianus, PP. hujus nominis primus , qui sedit anno Christi 772. haud obscure indicatur . Narrat enim in ejus Vita, quod Adrianus, inter alias, constituit Domum cultam , quæ appellabatur *Capracorum* , positam in Territorio Vegentano milliario ab Urbe plus minus XV. fundo sui Juris, eamque domum cultam cum suis Massis , Fundis , Casalibus, Vineis, Olivetis, ejusque pertinentiis , Apostolico privilegio, ad alimentum pauperum Christi B. Petro Apostolorum Principe perpetuo donavit : ibique Deo fundavit Ecclesiam : *In quam* (subdit Anastasius) *cum cunctis Clero suo , Senatuque Romano pergens , cum nimia gloria, seu exultatione pariter ovantes , & in pauperes Christi ibidem magnam consuetam eleemosynam faciens , translatavit , atque introduxit in ea Corpora SS. Martyrum , simulque Pontificum , videlicet Corpus S. CORNELII PP. & M. & Pontificis, successorisque ejus S. LUCII M. atque Pontificis, & Corpus S. FELICIS simili modo M. , seu Pontificis, simili pariterque Corpus S. INNOCENTII Confessoris, atque Pontificis &c.*

Quo anno autem id egerit Adrianus , incompertum est , cum sederit ultra annos XXIII. , nempe ab anno Christi 772. usque ad 795. (Capracorum extitisse ad dexteram Viæ Cassiæ , juxta Formellum, nunc nobilis Familiæ Chisiæ , indicat Pater Eschinardi in suo Agro Romano pag. 306. fuisse autem Juris Basilicæ Sancti Petri usque de anno 1053. legitur in Bulla S. Leonis PP. IX. directa Joanni Archipresbytero ejusdem Basilicæ , data anno quinto sui Pontificatus , qua confirmatur possessio hisce verbis : *Castrum Capracorum cum Terris , Vineis , Fundis , Casalibus , Montibus &c. posit in Territorio Vegentano &c.*) ex Mon. Basil. Vatin.

At cum Gregorius PP. IV. ut indicavimus, se etiam supra in §. de Corpore S. Callisti egimus , qui sedit anno 827. Corpus Sancti Cornelii repererit in Basilica S. Mariæ Transtyberim, & unà cum aliis ex mediana plaga illius transtulerit, necesse est inferri , quod , aliqua emergente causa, necesse fuerit Corpus Sancti Cornelii ex Ecclesia Capracori elevari , in Urbemque transferri , ac reponi in supradicta Basilica S. Mariæ , nondum forsan exactis annis 50.

Tamen refert idem P. Eschinardus loco citato ; annexam esse Formello Villam Versagliam dictam , noviter constructam a Cardinali Chisio, in qua extat Ager , seu Territorium S. Cornelii cum sua antiqua Ecclesia , ex qua Caput S. CORNELII translatum fuit ad Ecclesiam Formelli : ex quo conjici potest, saltem aliquam partem ejusdem in antiquissima ea Ecclesia relictam fuisse .

Nunc autem audiendus est Saussayus Auctor Martyrologii Gallicani, qui ad diem 14. Septembris de Corpore S. Cornelii PP. ita scripsit : *Cornelius PP. & M. cujus Corpus Carolus Calvus Imperator Rex Christianissimus Romà e Cœmeterio Callisti, in Galliam transferens , una cum S. Cypriani Episcopi Carthaginensis, hac ipsa die in Africa extremo quoque Agone coronati , pretiosis exuviis , quas ex Africa , dono Aaron Ammiræ Caroli Magni Legati, Lugdunum advexerant , in Cœnobio a se sub B.V. eorumque Pontificum patrocinio constructo , apud Compendium in Suessionen. præsulatu collocavit . Ex cujus Monasterio decerpta aliqua ossium eorumdem Martyrum portio , Rotnacum in Territorio Tornacensi illata, in Æde loci illius insigni recondita , ubi , & hodie colitur .*

Sed , stante certissimo testimonio Anastasii Bibliothecarii in Vita Adriani I. in dubium revocatur narratio ejusmodi Martyrologii Gallicani : nam primo loco ibi enunciatur, Corpus S. Cornelii ex Cœmeterio Callisti translatum fuisse in Galliam a Carolo Calvo, sed Carolus Calvus coronatus est Imperator anno 875. & Romam venit (juxta Baronium) an. 877. Cum autem Adrianus I. illud deposuerit in Ecclesia Capracori , & postmodum Gregorius IV. illud invenerit

nerit in Basilica Transtyberina, atque transtulerit sub ara majori, & superexstruxerit maximam molem, improbabile redditur, tam facile potuisse inde extrahi sacrum Corpus, ut concederetur post quinquaginta annos Carolo Calvo. Hinc Augustinus Oldoinus in Additionibus ad Ciacconium, post bene librata verba supradicta Martyrologii Gallicani, ita concludit: *At cum constans opinio semper fuerit, hujusce Pontificis Corpus esse Romæ in Basilica Sanctæ Mariæ Transtyberim, ut ejusdem lapides antiqui, & mss. testantur, affirmare cogor, partem tantum aliquam insignem ad Gallias deductam, vel alterius Cornelii Mart. Cinarii, Carolum Calvum Româ ad suas transmisisse.*

Browerius *de Annal. Trevirensibus lib.* 1. *c.* 1. tradit, Caput, S. Cornelii Papæ a Sancta Helena Constantini Imperatoris matre, Romæ dono datum fuisse cum aliis pignoribus S. Agritio primo Trevirorum Episcopo, illa suadente, constituto a S. Silvestro I. Pontifice.

Idem Browerius *lib.* 3. *cap.* 14. *de Antiquit. Fuldens.*, exhibet librum Rhabani Mauri de Reliquiis ibidem collectis, inter quæ tradit se anno 836. accepisse a Laico quodam, Sabbatino nomine, Roma veniente, de Corpore S. Callisti PP. Ossa x. De Corpore vero Sancti CORNELII PP. Ossa XIII.

Gualla *in Sanctuario Papiensi*, tradit, ibidem in Ecclesia S. Joannis in Burgo servari Caput S. Cornelii PP. quam Ecclesiam condidit Rotarius Longobardorum Rex: qui dicitur, ex concessione Sedis Apostolicæ dono accepisse Corpora Sanctorum Felicitatis, & Filiorum ejus, Job patientissimi, Tobiæ Patris, & Filii, & Saræ, eaque in Ecclesia collocasse. Hic Rex obiisse fertur anno Christi 637. Quomodo hæc componi possint, studeat lector.

Bucellinus in Sanctuario Benedictino ad 14. Septembris, Compendii in Germania potissimam Corporis S. Cornelii partem haberi, tradit.

Neapoli in Ecclesia Conceptionis Soc. Jesu, servari caput hujus S. Pontificis, narrant Engenius, & Beltranus in Notitiis Civitatis illius.

Florentiæ in Ecclesia Sanctissimæ Annunciatæ haberi Brachium, & alias Reliquias ejusdem, indicat Giambonius in suo Diario Sacro Florentino.

Cæsii in Diœcesi Spoletana, Costulam ejusdem coli apud Moniales S. Agnetis Ordinis S. Benedicti, scribit Jacobillus de Sanctis Umbriæ. Romæ vero, Sancti Cornelii PP. Reliquias adhibitas fuisse in Consecratione nonnullarum Ecclesiarum educitur ex lapidibus ipsarum Consecratis: nempe Ecclesiæ S. Mariæ in Cappella, de anno 1090, S. Salvatoris de Cupellis, anno 1195. & Sanctorum Petri, & Marcellini anno 1296.

Hæc omnia autem judicio sapientis lectoris discutienda relinquimus.

§. XVII.

De Corpore, & Reliquiis S. LUCII *PP. & M.*

PRimum documentum de Translatione Corporis hujus sancti Pontificis nobis occurrit ex Textu Anastasii Bibliothecarii in Vita Adriani PP. I., qui sedit anno 772., a quo translatum fuisse, tradit ipse Anastasius, in Ecclesiam S. Petri in domo culta Capracori, in Territorio Vegentano, xv. ab Urbe lapide, ut paulo ante explicavimus §. XVII.

Cum verò in monumentis Ecclesiæ S. Silvestri in Capite reperiatur etiam Corpus S. Lucii PP., ut creditur, cò delatum a S. Paulo PP. I. & hoc etiam in lapide Natalitiorum SS. ejusdem Ecclesiæ signatum legatur; *Mense Majo die* a. necnon ex documentis relatis ab eodem Anastasio Bibliothecario in Vita S. Paschalis I. constet, hunc Pontificem, illud ipsum Corpus transtulisse in Basilicam S. Cæciliæ, ac etiam aliud documentum ipsius Paschalis extet in Ecclesia S. Praxedis: inferri potest, Corpus S. Lucii pluries fuisse translatum, & in partes divisum, easdemque variis in locis depositas, Titulo Corporis fuisse appellatas.

In Ecclesia quoque S. Sixti via Appia enunciatur, inter alia Corpora SS. Pontificum, quiescere ibidem Corpus S. Lucii PP. & M. sed hoc quoque est intelligendum de aliqua parte ejusdem Corporis.

Oldoinus in additionibus ad Ciacconium ait, *Corpus a Cœmeterio ad Basilicam Vaticanam translatum, ex Torrigio*. Et in Necrol. sub die 4. Martii: *Corpus Arenariæ Viæ Appiæ traditum, ex qua ad Vaticanum translatum dicunt*. At hic error de Translatione ad Vaticanum, error fuit solius Torrigii, qui referens lapidem quendam antiquum repertum, in quo leguntur nomina plurium Reliquiarum, quæ ibidem olim reperiebantur in quodam Sacello ejusdem Basilicæ, prope sepulchrum Otthonis Imperatoris II. cum lapis mutilus esset in principio, & nomen primum inciperet LUCII PP. &c. ex hoc Torrigius putavit, per hoc nomen intelligendum esse, Corpus ibidem fuisse sancti hujus Pontificis.

Constat itaque, Corpus S. Lucii PP. & M. pluries translatum, & per partes distributum fuisse diversis Urbis Ecclesiis, in quarum singulis sub Corporis denominatione colitur.

§. XVIII.

De Corpore, & Reliquiis S. SIXTI *PP. II. & M.*

EO quod in Titulo Tygridis, seu S. Sixti II. sito in via Appia, intra mœnia urbis Romæ, in tabula marmorea, inter alia Sanctorum nomina, quorum ibidem requiescere eorum Corpora indicantur, etiam S. Sixti legatur nomen, nonnulli in hanc opinionem feruntur, ut sibi suadeant, hujus sancti Pontificis Corpus ab eadem Matrona Tygride, ejusdem Ecclesiæ fun-

fundatrice extractum fuisse a Cœmeterio Viæ Appiæ, & in eamdem translatum, ejus nomini dicatam.

At hæc opinio meritò exploditur; nam hic Titulus Tygridis antiquissimus est, enim expressus habetur inter alios 28. Titulos Urbis in Concilio celebrato Romæ de anno Christi 499. sub Symmacho Papa: Cum itaque nec ante hunc Pontificem, nec per plura subsequentia sæcula, adhuc usus incœperit extrahendi sacra Corpora Sanctorum e Cœmeteriis, eaque collocandi in Urbis Ecclesiis, ut alibi adnotavimus, nunquam dici potest, S. Sixti II. Corpus ab ipsa Tygride extractum fuisse a Cœmeterio, atque illic depositum. Hoc etiam probatur ex ipsa Inscriptione ibidem affixa, quæ characteribus Gothicis conscripta apparet, cum hujusmodi characteres, nonnisi Romæ in usu esse cœperint, post invasionem Gothorum Italiæ, ac Urbis, idest post sæculum Christi sextum, & ipsa forma characterum, ut alibi notavimus, potius ad sæculum XI, vel XII. referri debet.

Sed ad hunc Sixtum II. referri debet omnino nomen expressum in ea Inscriptione, cum S. Sixti I. Corpus, constet, sepultum fuisse in Vaticano. Igitur cum Tabula S. Paschalis PP. I. ab eo affixa in Titulo S. Praxedis, in qua recenset nomina aliorum sanctorum Pontificum, quorum corpora ab illo extracta ex Cœmeteriis, & ibidem reposita, habeatur etiam S. Sixti nomen, certum est cum alio, nempe primo confundi non posse.

S. Paschalem igitur primum, S. Sixti II. Corpus ex Cœmeterio Viæ Appiæ, post annum Christi 817. quo sedere cœpit, in Titulum S. Praxedis transtulisse, certum est. Ea tamen occasione forsan nonnullas ejusdem Reliquias potuit Paschalis reliquisse in Titulo Tigridis, eò quod illius nomini esset dicatus, ac subinde, Titulo Corporis, fuerunt illæ Reliquiæ appellatæ.

Ubertus tamen Locatus in libro de Origine Placentinæ Civitatis narrat, quod anno Christi 815. Ludovicus Imperator Italiæ Regnum obtinuit, & quòd uxor illius Engelberta, infra mœnia Placentiæ SS. Sixto Papæ II. & Agapito Cœnobium extruxit, Corpusque hujus sancti Pontificis a Paschali Papa I. dono acceptum anno 822. unà cum S. Agapiti Corpore, deposuit in eodem Monasterio, quod tamen forsan intelligi potest de aliqua parte, non de toto Corpore, accepta a Romano Pontifice. Hinc Ferrarius quoque in Indice Sanctorum, quorum corpora assignata sunt diversis locis, ita scripsit. *S. Xysti PP. & M. Romæ in propria Ecclesia, Placentiæ, atque Dertbonæ in Ecclesia Catbedrali*: & hic quoque putamus aliquam partem adesse; quamvis tales Scriptores nullum afferant suorum dictorum certum documentum.

Andreas Saussayus in M. R. Gallicano ad 6. Augusti tradit, Caput hujus Pontificis, & duo brachia ejusdem, Romà allata in Gallias, ac deposita in Cœnobio Chartusianorum Rutileni ad Ripam Mosæ, ubi uti Patronus colitur: & hoc nullo allato documento asserit.

Franciottus in libro *de Sanctis Lucæ*, indicat, Caput haberi in Ecclesia S. Pontiani.

In Ecclesia S. Laurentii in Agro Verano extra Urbem aliqua pars Capitis hujus sancti Pontificis exponitur collocata in pede statuæ ejusdem argenteæ.

Jo. Tamayus Salazar *in Martyrologio Hispano*, sub die 6. Augusti hæc habet de Reliquiis S. Sixti: *Hujus sancti Pontificis aliquot pignora possidet Regale Hortense Monasterium Cœnobium prope Lorcam, ut refert P. Vargas in Historia Hortan. tit. de Reliquiis, ubi asserit, ipsum eas e Roma Apostolica auctoritate extraxisse, & in Altari majori illius Ecclesiæ collocasse.*

Fuldæ in Germania, haberi S. Sixti Reliquias tradit *Brovverius libro* II. *Antiquitatum Fuldensium* in Ecclesia B. V. Mariæ in Cripta Orientali, teste Rhabano Mauro his verbis.

Hic Sixtus Papa, Magnus, atque Januarius &c.

Aliæ quoque particulæ Reliquiarum hujus sancti Pontificis indicantur a pluribus Scriptoribus, ut Bononiæ ex Masinio, & aliis, quos brevitatis causa omittimus, cum tales Scriptores nullo documento fulti hæc asserant.

Testimonio igitur S. Paschalis PP. I. certum est, Corpus S. Sixti II. ab eo translatum fuisse in Titulum S. Praxedis de Urbe, cujus forsan occasione, ejusdem partes aliquot aliis Ecclesiis distributæ fuerunt.

§. XIX.

De Corpore, & Reliquiis S. DIONYSII *PP.*

CORpus hujus sancti Pontificis, juxta librum Pontificalem, necnon & Anastasium Bibliothecarium tumulatum fuit in Cœmeterio Callisti via Appia. Inde vero translatum in Ecclesiam S. Silvestri in Capite, ejusdem documenta indicant, a S. Paulo PP. I., ibique etiam requiescere indicant lapides antiqui præ foribus illius; nam ibi legitur: *Mense Decembris die 27. Natale Sancti Dionysii PP.* Giacchettus in historia istius Ecclesiæ producens Instrumentum, atque Inventarium pergamenum de anno 1267, narrat, quod, ipso anno, inter alia Corpora repertum quoque fuerit Corpus ipsius S. Dionysii intra ejus Altare, indeque translatum ad Altare SS. Pauli & Nicolai. Idem Scriptor etiam tradit, hoc S. Dionysii Corpus, sedente PP. Clemente VIII, iterum detectum fuisse, ac depositum fuisse sub Ara majore.

Apud exteros Scriptores, quod sciam, nulla alia translatio ejus corporis, nec ejusdem partium insignium reperitur. Ejus Reliquiæ olim extitisse in Basilica S. Petri in Vaticano, apparet ex quodam marmoreo indice, qui repertus fuit in Sacello prope sepulchrum Otthonis II. Imperatoris, in quo solum habentur nomina plurimorum Sanctorum, quæ olim, forsan, ibi aderant; ex quo Torrigius in suis Cryptis Vaticanis opinatus est, in eo marmore adnotata fuisse corpora: sed revera lapis, cum in prima linea sit mutilus, id ex eo non apparet, & ex Reliquiis in eo indicatis, clare constat, id minime accipiendum pro corporibus eorundem Sanctorum, sed tantum de particulis ossium.

Præterea ex lapide Consecrationis Aræ Majoris S. Laurentii in Lucina, peractæ a Leone

Car-

Cardinali Ostiensi de anno 1118, adhibitas fuisse apparet inter alias, etiam Reliquias sancti hujus Pontificis Dionysii.

§. XX.

De Corpore, & Reliquiis S. FELICIS *PP. I. & M.*

SAnctum Felicem hujus nominis Primum Pontificem tradunt liber Pontificalis, & Anastasius Bibliothecarius sepultum fuisse via Aurelia in Basilica, quam ipse vivens erexerat supra Cœmeterium Calepodii, ubi ita scribunt: *Hic fecit Basilicam in via Aurelia, ubi & sepultus est miliario secundo ab Urbe Roma*. Locus, ubi hanc Basilicam construxit, S. Felix, quæ parvula, & forsan subterranea putanda est, qualis poterat construi, sæviente persecutione, respondet, ubi nunc cernitur Titulus S. Pancratii M. sub quo adest Cœmeterium SS. Martyrum Calepodii appellatum.

Primo loco ex textu Anastasii Bibliothecarii in vita Adriani PP. I. videtur ejusdem Corporis translatio peracta fuisse ab ipso Pontifice, qui sedere cœpit anno Christi 772. Hic enim, constructa Ecclesia S. Petri Apostoli in *Domo culta*, quam Capracorum vocant, in Territorio Vejentano, 15. ab Urbe lapide, sollemni pompa in illam transtulit: *Corpora SS. MM. simulque Pontificum, videlicet Corpus Sancti Cornelii Martyris, atque Pontificis, Successorisque ejus S. Lucii M. atque Pontificis, & Corpus SANCTI FELICIS simili modo Martyris, seu Pontificis, pariterque Corpus S. Innocentii Confessoris atque Pontificis*. Cum ergo, excepto Sancto Felice II. nullus alius ex sanctis Pontificibus hujus nominis, martyrio coronatus fuerit, clare patet, Corpus hujus sancti Felicis Primi, & Martyris, esse translatum ab Adriano PP. I. Sed insurgit tamen difficultas; inter corpora Sanctorum Pontificum, quæ S. Paschalis &c. deposuit in Titulo S. Praxedis, adnotata in Tabula marmorea ibidem affixa, loco undecimo adnotatum legitur etiam FELIX. Sed evacuari potest hæc difficultas ex eo, quod notavimus in §. de Corpore S. Cornelii, quod non diu hæc pignora, utpote exposita extra orbem in Agro Romano rapacitati exterorum, ibidem perstitissent. Hinc forsan potuit S. Paschalis accepisse Corpora tum Sancti LUCII, atque FELICIS, & transtulisse ad Titulum S. Praxedis; qua forsan occasione pignora tum Sancti Lucii, atque S. Felicis fuerunt deposita cum titulo Corporum in Ecclesia S. Sixti, seu Tigridis via Appia, ut legitur in lapide alias indicato.

§. XXI.

De Corpore, & Reliquiis S. EUTYCHIANI *PP. & M.*

POst gloriosum Martyrii triumphum conditum fuit hujus sancti Pontificis Corpus in Cœmeterio Callisti, via Appia, ut tradunt omnes antiqui Scriptores. De ejusdem tamen Corporis translatione nullum nobis documentum usque modo occurrit: ac propterea Pancirolus scripsit in Indice Reliquiarum ad calcem Thesaur. Abditorum Urbis, nunc etiam quiescere in Ecclesia S. Sebastiani extra Urbem, & porro indicare voluit in Cœmeterio Callisti ibidem subjecto, cum revera in eadem Ecclesia nullum appareat documentum.

P. Philippus Ferrarius in Indice Topographico SS. Italiæ, verbo *Luna in Tuscia*, huic olim Civitati, ex qua dicitur natus hic sanctus Pontifex, illi Corpus ejus adscribit. At clarius id explicat Franciscus Pagius in Breviario in Notis ad ejus Vitam, Corpus ejusdem S. Eutychiani narrat, delatum fuisse in Patriam suam Lunam; eaque penitus excisa, ac desolata, translatum fuisse in urbem Sarzanam ditionis Januensis, quæ illi in honore Cathedralis successit, in qua honorifico cultu servatur. De tempore vero hujus translationis, ac etiam de ejusdem Reliquiis nihil aliud usque modo nobis occurrit.

§. XXII.

De Corpore, & Reliquiis S. CAJI *PP. & M.*

COrpus hujus S. Pontificis e Cœmeterio extractum fuisse a S. Paulo Papa I. docent monumenta Ecclesiæ S. Silvestri in Campo Martio, relata a Giacchetti in Historia illius Ecclesiæ; & quamvis in Bulla ejusdem S. Pauli particulariter mentio non habeatur de S. Cajo, tamen in Instrumento confecto de anno 1267. in quo recensentur Corpora Sanctorum, quæ inventa fuerunt in Altari S. Dionysii, & postea translata fuerunt ad Altare B. Pauli, & Nicolai, octavo loco legitur S. CAJI PP. & M.

Hanc antiquissimam translationem astruere videntur Reliquiæ S. Caji PP. quæ a priscis temporibus enunciatæ reperiuntur. Nam in Basilica Vaticana, in quadam Tabula marmorea, relata a Francisco Maria Torrigio in suis cryptis Vaticanis, in qua recensentur plurimorum Sanctorum Reliquiæ asservatæ in Sacello prope sepulchrum Otthonis Imperatoris II. inter eas legitur etiam S. CAJI PP. Harum quoque S. Caji Reliquiarum meminerunt in suis Libris de 7. Urbis Ecclesiis Panvinius, Attilius Serranus, atque Severanus. Verum ipse Torrigius ex eo lapide non recte putavit, non simpliciter indicatas fuisse Reliquias, sed Corpus adesse S. Caji, & ex eo idem tradidit Pancirolus in suis Romanæ Urbis Thesauris abditis, qui tamen partem tantum Corporis ibidem esse, aliam vero partem haberi in S. Silvestri in Capite, & Reliquias ejusdem in Ecclesiis S. Salvatoris de Suburra, ac S. Annæ de Funariis, indicat.

Præter hæc antiqua documenta adnotatum reperio in calce ad Martyrologium Romanum Maurolici editum anno 1572. in Indice locorum, ubi servantur Reliquiæ Sanctorum, *Bambergæ* in Germania assignatum esse Corpus Sancti Caji PP. & M. nullo addito testimonio. Pariter ejusdem Reliquias servari in Monasterio Andecensi in Bavaria, habetur ex Indice Reliquia-

quiarum apud Beyarlinchium in Theatro vitæ humanæ; necnon Brachium relatum fuisse, ac depositum Mediolani in Ecclesia Jesuatorum a se Roma acceptum, scripsit Paulus Morigia in suo libro de Nobilitate Mediolanensi. Aliæ forsan reperiuntur hujus Pontificis Reliquiæ apud varios Scriptores indicatæ.

Non obstantibus tamen huc usque relatis documentis, Cæsar Becillus Congregationis Oratorii de Urbe Presbyter anno 1628. edidit Romæ *Acta S. Caji PP. & M.* una cum relatione Inventionis ejusdem Corporis, atque extractionis e Cœmeterio Callisti. Cujus etiam meminerunt Bollandiani *in Actis Sanctorum* in Notis ad Vitam ejusdem S. Caji sub die 22. Aprilis, ac etiam Aringhius in Roma Subterranea lib. 3. cap. 4. atque M. Antonius Buldethus in suis Observationibus ad Cœmet. lib. 1. cap. 22. Narrat itaque Becillus, Corpus S. Caji PP. repertum fuisse, sedente Gregorio Papa XV. die 21. Aprilis in eodem Cœmeterio Callisti, in loculo suo lateritio, lapide clausum, cui aderat sculptum: CAJOPP. cum Monogrammate ☧, & Palma. Corpus vero in ossa redactum integrum apparuisse sine ulla diminutione, & inter ossa, reperta fuisse duo numismata Diocletiani Imperatoris, necnon & Annulum. Mox subdit, hoc Corpus dono datum fuisse, videlicet partem ejus Alphonso Gonzagæ Archiepiscopo Rhodiensi, quæ transmissa fuit Novariam, aliam vero partem sub Urbano Papa VIII. repositam fuisse in ejusdem S. Caji Ecclesia a se renovata in Monte Quirinali haud procul a S. Susannæ Templo.

Augustinus Oldoinus in Notis ad Necrologium Pontificum Romanorum, antiqua recentioribus miscens, hæc habet sub die 22. Aprilis: *Hujus cineres jacent Novellariæ ex dono Gregorii XV. seu in Vaticano, vel Bambergæ in Germania, ut in ipsa Urbe apud Ædem Sancto Cajo sacram, Unaquæque harum Ecclesiarum gloriatur habere hujus Sancti Corpus, seu partem illius*. Idem quoque repetit in novis Additionibus ad Ciacconium in Vita S. Caji.

Multa nobis essent observanda circa ultimam inventionem, & extractionem Corporis S. Caji peractam tempore Gregorii XV. quæ consulto aliis peritioribus relinquimus.

§. XXIII.

De Corpore, & Reliquiis S. MARCELLINI PP. *& M.*

EX textu Anastasii Bibliothecarii in Vita hujus S. Pontificis, extra dubium est, ejusdem Corpus sepultum fuisse, a Marcello Presbytero, postea illius successore, in Cœmeterio Priscillæ, in Cubiculo Claro, & in crypta juxta Corpus S. Crescentonis. Unde patet error Petri de Natalibus, qui in suo Catalogo Sanctorum lib. 4. cap. 89. illud sepultum fuisse a Marcello in Vaticano ait.

Hunc errorem putamus ex eodem Petro hausisse Jacobum a Voragine ad diem 26. Aprilis adversus omnes Scriptores, immo addit ex Vaticano deductum fuisse ad Ecclesiam Sanctorum Martyrum Petri & Marcellini. Caput tamen veneramur in Templo Vaticano, quod annotavit Augustinus Oldoinus in novis Additionibus ad Ciacconium. In Notis vero ad Necrologium Romanorum Pontificum sic habet; *Hujus Pontificis cineres e Cœmeterio ad Vaticanum, e Vaticano ad Ecclesiam SS. Petri, & Marcellini deducti. Caput asservatur in Basilica Liberiana. Rothomagi in Cœmeterio S. Audoeni fideles venerantur ossium aliquas ex Martyrologio Gallicano*. Sed Caput veneramur in Basilica Vaticana.

Verum de hac translatione ex Cœmeterio ad Vaticanum, & de Vaticano ad Ecclesiam SS. Petri, & Marcellini vestigium nullum nobis occurrit penes cunctos auctores, qui de Urbis Ecclesiis scripserunt, nec apud alios. Unde forsan Jacobus a Voragine hoc scripsit ex similitudine nominis.

Franciscus Blanchinus, notæ eruditionis Vir, in suis Notis ad Vitam Sancti hujus Pontificis, Tom. 2. Anastasii Bibliothecarii: hæc habet, *Ex hoc Cœmeterio* (vid. Priscillæ) *Corpus Beati Marcellini P. & Mart. cum Marcelli, Priscillæ, Praxedis, & Pudentianæ S. Leo PP. IV.* (an. 847.) *in Urbem transtulit, primum ad Titulum SS. IV. Coronatorum, unde postmodum inter alias Urbis Ecclesias divisa sunt sacra pignora, atque nostræ Liberianæ Basilicæ contigit Ven. Caput S. Marcellini, & brachium obtinere, quæ ibi religiose asservantur*. Hæc Blanchinus.

Sed ex veteri Inscriptione S. Leonis PP. IV. quæ lateri dextero Altaris majoris Ecclesiæ Sanctorum IV. affixa est, quæ incipit ✠ *BEATUS LEO IV. PP. pariter sub sacro Altari recondens collocavit Corpora Sanctorum Martyrum Claudii, Nicostrati &c. vigesimo secunda loco collocantur MARCELLINI*. Sed nullo modo additur Papæ, seu Pontificis. Sicuti etiam in lapide S. Paschalis PP. I. ubi recensentur nomina Sanctorum Pontificum, & aliorum Sanctorum quorum Corpora, & Reliquiæ ab eodem translata in Titulum S. Praxedis, etiam memorantur Reliquiæ Sancti MARCELLINI. Sed extra numerum Pontificum inter alia nomina tantum Martyrum. Unde merito suspicari possumus, hoc Marcellini Corpus, Martyris quidem, non Pontificis extitisse, ut etiam opinatur Blanchinius. Præterea cum anno 1624. sub S. R. E. Cardinale Millino Titulari hujus Ecclesiæ Sanctorum IV. Coronatorum, recensitæ fuissent omnes Sanctorum Reliquiæ indicatæ in Tabula Leonis IV. & in alia Inscriptione Paschalis PP. II. de Corpore Sancti Marcellini Papæ vestigium nullum quidem apparuit, ut videri potest ex *Historia Decii Memoli de ejusdem Inventionis, & Recognitione*.

Cæterum Panvinius, ac Severanus in Libro VII. Urbis Ecclesiarum, ubi de Basilicæ S. Mariæ Majoris Reliquiis tractant, inter cæteras agunt de Capite S. Marcellini Papæ & Mart. prout etiam Brachium ejusdem servari in Sacello B. V. a Paulo V. erecto, legitur in Catalogo Reliquiarum, quæ eidem Sacello elargitus est idem Pontifex.

Ro-

Rothomagi in Monasterio S. Audoeni Corpus S. Marcellini PP. requiescere, tradit Bucellinus in suo *Sanctuario Benedictino* sub die 26. Aprilis, Saussayus tamen in suo Martyrologio Gallicano venerationem tantum Reliquiarum ejusdem indicat.

Paulus Morigia in suo Libro de Nobilitate Mediolanensi tradit, in Ecclesia S. Petri de Chivate ejusdem Diœcesis servari Linguam S. Marcellini Papæ & Mart, una cum brachio S. Petri Apostoli, ac Reliquiam S. Pauli Apostoli dono data Desiderio ultimo Longobardorum Regi, circa annum 770. ab Adriano Papa I. Pontifice. Hoc tamen suspicor commentum esse.

Cum itaque ex Inscriptionibus tum S. Leonis IV. in Ecclesia Sanctorum IV. Coronatorum, tum S. Paschalis I. in Titulo S. Praxedis appareat, Corpus Sancti Marcellini non recenseri tanquam Summorum Pontificum, tamen nullus habemus documentum, quo statui possit ejus translatio, ac ubi requiescat ejusdem Pontificis Corpus.

§. XXIV.

De S. Marcelli PP. & Mart. Corpore.

A Beata Lucina Matrona Romana in Cœmeterio Priscillæ sepultum fuisse Corpus S. Pontificis Marcelli, testantur Anastasius Bibliothecarius, & omnia vetera monumenta; servari tamen modo, sub Ara majori in Ecclesia, sui nominis, in via lata referunt Pancirolus, Ferrarius, aliique Scriptores, necnon monumenta ejusdem Ecclesiæ, seu Tituli S. Marcelli, & deductum ajunt in Urbem sedente S. Paschali Papa I. id etiam testatur Augustinus Oldoinus in novis Additionibus ad Ciacconium.

In quodam Instrumento, seu Indice Reliquiarum, quæ de anno 1267. adhibitæ fuerunt in Consecratione Altaris B. Pauli Apostoli, & B. Nicolai Confessoris in Ecclesia S. Silvestri in Capite relato a Giacchetto in Historia illius Ecclesiæ, legitur etiam de S. MARCELLO Papa & Mart. Verum de aliqua parte, seu Reliquiis tantum intelligendum est. Idem Oldoinus colligit opiniones aliorum asserentium, hujus S. Pontificis Corpus, seu pignora haberi extra Urbem in aliis Provinciis.

Nam primo loco Tamayus Salazar in Mart. Hispano ad 17. Januarii ex Antonio Vincentio Domenec, de Sanctis Cataloniæ, tradit, sacra Lipsana hujus Sancti Pontificis haberi in Ecclesia Arelatensi Vallisperiensis Comitatus in Diœcesi Halenensi in Hispania. Oldoinus vero loco citato, ipsum Domenec sic habere ait: *In Parochiali Ecclesia juxta Monasterium, quod Ariis vocant Diœcesis Halensis extat Corpus, sed non integrum S. Marcelli Papæ*. Observat autem idem Oldoinus: *Quo tamen tempore illuc cineres allati fuerint, nec ex Domenec, nec ex aliis deducere potui; credibile tamen est, aliquo fulciri illius Ecclesiæ Patres nixu, cum populis illos exhiberi permittant.*

Bucellinus in suo *Sanctuario Benedictino sub die 16. Januarii*, magnam inquit, Corporis hujus S. Pontificis partem haberi in Monasterio *Altimontensi*, aliam in *Laetiensi*, aliam in *Cluniacensi*; & sub die 9. Septembris, S. Marcelli PP. & M. recolit Inventionem in Altimontensi. Præfatus Oldoinus in novis Additionibus subdit: *Ascetas Altimontensis Cœnobii juxta Malbodium oppidum ad Sabin fluvium in Belgio, gloriari se Corpus hujus Pontificis a mille annis circiter possidere*, ut referant Martyrologium Gallobelgicum, Aubertus Miræus in Fastis Belgicis, Guillelmus Gazæus in Historia Ecclesiastica Belgii, & Molanus in additione ad Usuardum, & in Natalibus Sanctorum Belgii, qui & hæc habet: *Hujus Martyris Corpus habetur in Altomonte Hannoniæ, juxta Malbodium Monasterio, quod tempore Vastationis Hungaricæ reconditum fuerat in terris, eo loci, ubi nunc jacet vetustissimum saxum cum Inscriptione URSIO. ABBS. At sub dicto Ursone I. Abbate post Hungarorum vastationem, tempore bellorum inter Henricum Imperatorem, & Balduinum Comitem, est manifestatum, & inventum, circa annum millesimum quinquagesimum quartum quinto Idus Septembris.*

Notat vero idem Oldoinus ex Martyrologio Gallicano die 16. Januarii, Corpus S. Marcelli *in Cœmeterio Priscillæ fuisse tumulatum, cujus magna pars in Gallias, S. Martini Papæ & Martyris jussione translata, ad Montes Hannoniæ in Altomonte Benedictini Instituti Cœnobio per S. Vincentium Comitem Dagoberto Regi charissimum collocata est*. Eadem fere ex mss. antiquis deprompsit Bollandus, & cum Dagobertus Rex mortuus fuerit an. salutis 644. cum sederet Theodorus PP. cui Martinus in Pontificatu successit, *nonnullam causant suspicionem de veritate historiæ*: nisi velimus cum laudato Bollando asserere, sub Dagoberto inchoatum Altimontense Cœnobium, & deinde sub Martino an. 651. his Reliquiis ornatum.

At suspicionem mihi auget, quod improbabile videatur S. Martinum jussisse magnam partem Corporis S. Marcelli extrahendam ex Cœmeterio, cum nullum adhuc præcessisset exemplum extractionis Corporum alicujus ex Pontificibus Romanis ex proprio loculo, illudque extra Urbem, & in tam dissitas regiones transferendi; immo nec credendum est, quod, ablata parte Corporis ex loculo, reliquum Corporis in eo ipso loculo jam aperto remanserit. Referont supradicti Scriptores Reliquias S. Marcelli ex Altomonte Namurcum translatas, miraculis illustratas fuisse: ac etiam haberi in Monasterio Windebergensi, & alibi.

Florentiæ in Collegio S. Laurentii Brachium, atque Cerebrum S. Marcelli PP. asservari, tradit *Giambonius in Diario Sacro Florentiæ*.

Masinius *in sua Bononia perlustrata ad 16. Junii*, indicat ejusdem S. Pontificis Reliquias haberi in Ecclesia B. V. Servorum.

Cum itaque nulla certa documenta producantur ab exteris Scriptoribus de translationibus Corporis S. Marcelli PP. & ex immemorabili tempore traditio vigeat, illud quiescere Romæ in sua Titulari Ecclesia, ibique coli a fidelibus, tenendum est, aliquot parva tantum

fragmenta in indicatis extra Urbem Ecclesiis veneratione exposita fuisse, vel esse aliorum Martyrum ejusdem nominis, non vero tam celeberrimi Pontificis pignora.

§. XXV.

De Corpore, & Reliquiis S. EUSEBII PP.

ANastasius Bibliothecarius, aliique Scriptores antiqui referunt, hujus sancti Pontificis Corpus sepultum fuisse in Crypta Cœmeterii Callisti. Verùm Petrus de Natalibus in *Catalogo SS. lib. 8. cap. 122.* tradit, tumulatum in Vaticano, juxta S. Petrum; & hunc errorem amplexi sunt Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ ad 26. Septembris, cum nulla hujus Pontificis in ea Basilica habeatur memoria & aliis. Oldoinus in Necrolog. forsan dubius de veritate ait; *Sepultus in Vaticano, seu in Cœmeteris Callisti*, tamen tutiorem sequutus opinionem, subdit; *Nostra ætate Corpus custoditur in Ecclesia Sancti Sebastiani, extra muros*; sed in Catalogo Reliquiarum ejusdem Ecclesiæ nulla mentio habetur de S. Eusebii Reliquiis: Idem scribit Pancirolus in suo Indice Reliquiarum Urbis, & forsan uterque Ecclesiam S. Sebastiani accepit pro Cœmeterio eidem subjecto, ubi putarunt, adhuc esse hujus Pontificis Corpus: Pancirolus tamen ait, S. Eusebii PP. Reliquias adesse in Ecclesia S. Laurentii in pane, & perna.

Alias ejusdem Reliquias adhibitas fuisse in Consecratione Altaris B. Pauli Apostoli, & B. Nicolai Confessoris in Ecclesia S. Silvestri in Capite, docet Instrumentum peractum de anno 1567. relatum a Giacchetto in Historia ejusdem Ecclesiæ.

Certum itaque documentum Extractionis, ac Translationis Corporis ejusdem Pontificis usque modo nobis minime occurrit. Solum Tamayus Salazar in M. R. Hispano ad 26. Septembris tradit, depositionem sacrarum exuviarum S. Eusebii PP. in Monasterio Montis Cœlii in Carpentania, & monet, videndam esse Historiam Salzedensem lib. 4. cap. 11. fol. 838. ubi ejus auctor D. Petrus Gonsalez de Mendoza Archiepiscopus Granatensis Acta, & testimonium Translationis refert: Hæc Historia meas adhuc ad manus non pervenit. Mirum tamen esset, si sacrum hoc S. Eusebii PP. Corpus ex Cœmeterio fuisset extractum, & Scriptores rerum sacrarum Urbis id ignorasse, vel silentio præteriisse; hinc Pancirolus putat, adhuc quiescere in ipso Cœmeterio Callisti, quamvis indicet, ejusdem Reliquias coli in Ecclesia S. Laurentii in pane, & perna.

§. XXVI.

De Corpore, & reliquiis S. MELCHIADIS PP. *& Conf.*

EX monumentis Ecclesiæ S. Silvestri in Capite apparet, hujus sancti Pontificis Corpus ex Cœmeterio Callisti, ubi primum fuerat sepultum, a Sancto Paulo PP. I. extractum in eam Ecclesiam translatum fuisse. In Tabulis namque marmoreis, præ foribus illius sacræ ædis affixis, in quibus adnotata leguntur Natalitia Sanctorum, quorum Corpora ibidem fuerunt collocata, legitur: *Januarii die X. Natale S. Melchiadis PP.* Id etiam firmatur ex Instrumento de anno 1567, in quo recensentur Corpora Sanctorum reperta sub Altari S. Dionysii, quæ subinde reposita fuerunt in Altari SS. Pauli, & Nicolai, quæ omnia a S. Paolo ex Cœmeterio translata fuerunt, ubi legitur: *Corpus S. MELCHIADIS PP.*

Cum vero in Ecclesia S. Praxedis Tabula marmorea conspiciatur, in qua enunciantur sacra Corpora Sanctorum, quæ S. Paschalis PP. I. in eam transtulerat, & in ea quoque legatur (in serie Pontificum) *MILTIADES PP.*, inferendum esse videtur, quòd Paschalis aliquam partem Corporis ejusdem ex Ecclesia S. Silvestri desumptam, sub titulo Corporis, in S. Praxedis ædem deposuerit, sive transtulerit.

Caput autem hujus sancti Pontificis servatur in Sacrario Templi Soc. Jesu de Urbe etiam indicatur a Pancirolo in Indice Reliquiarum ad calcem Operis, *De Thesauris abditis Urbis Romæ*. Cum vero anno 1737. de mandato Eminentissimi Cardinalis Vicarii, unà cum Canonico Buldetto, tunc Custode sacrarum Reliquiarum, interessem recognitioni sacrorum pignorum ejusdem Ecclesiæ, inter cætera a R. P. Senapa Sacrista majore illius Templi exhibitum nobis fuit quoddam Instrumentum pergamenum, rogatum a Niculao Forlaoi Notario, de anno 1593, in quo recensita leguntur cuncta sacra pignora Sanctorum, quæ reperta fuerunt a RR. PP. Societatis Jesu in Ecclesia S. Mariæ de Strada, olim nobilis familiæ de Astallis, quæ in situ istius amplissimi Templi comprehensa fuit, & inclusa. In hoc Instrumento, inter cæteras Reliquias, legitur etiam *CAPUT S. MELCHIADIS PP.* Non tamen integrum est Caput, sed bona pars Cranii, in capite inaurato condita, pectore tenus extensa. Hujus quoque fit memoria in Elencho Omnium Sanctorum, quorum Officia in ipsa Ecclesia celebrantur per annum, typis impresso, sub die 14. Decembris, ubi legitur *S. Melchiadis PP. Caput in Sacrario: fuit 12. hujus*. De eadem Reliquia mentionem facit M. R. Hispanum, sub die 10. Decembris. Hujus sancti Pontificis Reliquias, esse in Basilica Vaticana, sub die 10. Decembris in ex Mallio, indicat Bartholomæus Piazza, esse Ephemer. Vaticana.

In parvo Chronico Ecclesiæ SS. Simonis, & Judæ, Goslariæ in Saxonia fundatæ ab Henrico Imperatore II. habetur, in ea depositam fuisse magnam partem Corporis hujus sancti Pontificis, (legitur in *To. 2. Scriptorum Brunsvicensium pag. 538.*) sed hujus Chronici fides plurimum nutat, cum nullum de Pignoribus ejusdem recenseatur documentum.

Quiescit itaque Corpus hujus sancti Pontificis, partim in memorata Ecclesia S. Silvestri in Capite, partim vero in Titulo S. Praxedis, pars vero Capitis ejus in Sacrario Templi Sanctissimi Nominis Jesus illius Societatis dicati.

§. XXVII.

§. XXVII.

De Corpore, & Reliquiis S. Silvestri PP. & Conf.

Corpus S. Silvestri Papæ, & Confessoris tumulatum fuisse in Cœmeterio Priscillæ via Salaria, milliario ab Urbe Roma tertio, testantur antiqui Scriptores cum Anastasio Bibliothecario. Cum vero S. Paulus Primus, qui sedit anno Christi 758. in paternis suis ædibus, in Campo Martio, Ecclesiam unà cum Monasterio construxisset, inter plurima Sanctorum pignora extracta e Cœmeteriis, in eamdem solemni pompa transtulit etiam Corpora S. SILVESTRI Pontificis & Confessoris, atque S. STEPHANI PP. & M., iisdemque dicavit, ut apparet ex ejusdem Bulla edita in Concilio Episcoporum, atque S. R. E. Presbyterorum Cardinalium, cui omnes se subscripserunt: quæ affertur a Baronio ad annum Christi 761. eamque nos, per extensum, adduximus in nostra Prolusione pag. 132. In hac igitur Bulla Pauli I. indicatur Translatio peracta sacrorum Corporum ad dictam Ecclesiam Indictione XIV. idest anno DCCLXI, S. Silvestri quidem die XIX. Junii, S. Stephani vero XVII. Augusti.

Contra tamen hoc insigne documentum militare videntur, & evertere illud conantur monumenta Insignis Abbatiæ Nonantulanæ, sitæ in Agro Mutinensi, quæ ibidem Corpus S. Silvestri PP. quiescere affirmant, ubi detectum fuisse ostendunt anno MCDLXXVI, cum illi Ecclesiæ præesset Guronus Estensis Abbas, cum hac Inscriptione, quam ex Hieronymo Briano p. 1. suæ Hist. refert Oldoinus in novis additionibus ad Ciacconium, hujus tenoris.

Hic requiescit Corpus S. Silvestri Pont. Des Constantinus Imperator Magnus delatum ab Anselmo Abbate, & Aistulpho Rege Anno D. N. Jesu Christi DCCLIII. Sed falsitas quoque satis indicatur, non solum Inventionis hujus Corporis post sæcula quatuor ab ejusdem donatione, necnon ex tenore tam ineptæ Inscriptionis.

Anonymus auctor Vitæ S. Anselmi Abbatis Nonantulani, quem refert P. Mabillonius Seculo IV. Benedictino p. 1. ostendit, disertis verbis, Stephanum Papam, ad petitionem Aistulphi Longobardorum Regis concessisse Sancto Anselmo Corpus S. Silvestri PP., quod translatum est ad prædictum Nonantulanum Monasterium, & litteras refert ejusdem Pontificis, quibus donationes eidem Cœnobio factas, ac Corpus S. Silvestri Anselmo confirmat, datas mense Januarii, Indict. 6. Pontificatus ejus anno primo, ideoque anno 753. Eadem prorsus monumenta afferuntur ab Ughellio in To. 2. Italiæ Sacræ, ubi de Episcopia Mutinensibus agit, ex Anonymo Nonantulano. Si igitur litteræ Stephani datæ sunt de mense Januarii anni 753. oportet inferre, Aistulphum Romam venisse de anno 752. vel circa initium Januarii sequentis: sed utrumque falsum fuisse, convincitur ex testimonio Anastasii Bibliothecarii, & Baronii Annalibus: nam idem Anastasius refert, quod Papa Stephanus ipse, tertio mense post Ordinationem suam, (ordinatus enim fuit die 25, vel 26, aut 27. Martii dicti anni 752.) *Inter hæc, dum magna persecutio a Longobardorum Rege Aistulpho in hac Romana Urbe, & subjacentibus Civitatibus extitisset, & vehemens ejusdem Regis sævitia immineret, illico idem Beatissimus Papa, tertia Apostolatus sui mense, disponens suum germanum sanctissimum, scilicet Paulum Diaconum, atque Ambrosium Primicerium, plurimis cum muneribus ad eumdem Regem Aistulphum ad pacis confirmandam, fœdera misit.* Ex his itaque constat, Aistulphum de eo anno Romam non venisse, sed ad eam missos a Pontifice Legatos supradictos, cum muneribus: nec suspicari possumus, quod sanctissimus Pontifex eidem dono miserit Corpus Sancti Silvestri, quem sciret esse eo tanto munere indignissimum, nihilque de rebus sacris curantem; sed putandum est, ea munera alterius fuisse generis, nempe temporalia, non sacra. Revera Apostolici Nuncii opus, ad quod missi fuerant, compleverunt, obtinentes a Rege fœdus ad annos 40. At Fœdifragus Rex, post quatuor menses illud disrupit, & onerosum tributum Romanæ Urbis habitatoribus imposuit, nempe, ut unumquodque Caput, singulos auri solidos ipsi solveret, ac indignanter suæ subjectioni Urbem ipsam, & subjacentia loca subdere asserebat.

Pontifex igitur cernens præfati Regis valde perniciosam imminere sævitiam, duos alios Legatos direxit, nempe Abbates SS. Vincentii, & Benedicti, quos tamen impius Rex contemptui habuit: & paulo post jussionem, Pontifici misit, ut Reipublicæ loca suo dominio restitueret. Pontifex autem ad eumdem Ravennam iterum direxit Paulum Diaconum germanum suum; sed is ab eo repulsus, Romam reversus est. Cum vero minima spes esset, ut Imperator Constantinopolitanus Romam defenderet, Pontifex ad Pipinum Francorum Regem, clam missis litteris, ab eo petiit, ut viros ad se dirigeret, qui se in Gallias deducerent. Pipinus vero sollicite misit Rodegandum Episcopum, & Auctharium Ducem. Cum his itaque Pontifex egressus est Roma, die 14. mensis Octobris, & Regem ipsum Papiæ commorantem convenit, sed nihil precibus, & lacrymis ab eo impetrare potuit. Die vero 6. Januarii anni sequentis 753. ad Pipinum pervenit, a quo impetravit contra Longobardos auxilium, itaut Rex adactus fuerit a Pipino, Sacramento firmare promissionem restituendi Ecclesiæ Civitatem Ravennatium, & alia loca. At paulo post, cum Romam esset reversus Pontifex, Fœdifragus Aistulphus, Urbem ipsam obsedit, omnique ex parte circumdatam, per tres menses fortiter expugnabat.

Hæc omnia tamen in Annalibus Baronii indistincte explicantur, ab anno Christi 752. usque ad annum 755. variis sub Indictionibus, videlicet quinta anni 752. sexta anni 753. septima anni 754. & octava anni 755. Utcumque tamen fuerit, quoad Indictiones relatas, certum tamen est, hæc omnia contigisse ab anno primo Sedis Stephani III, idest anno 752. ac subsequentibus; atque ex omnibus huc usque explicatis, manifeste apparet, Aistulphum nunquam Romam accessisse, nec a laudato Papa impetrare potuisse Corpus S. Silvestri Pontificis, uti jactant monu-

menta Nonantulana; sed suppostitia, & fabulosa ea esse, demonstrant illæ diplomatum Stephani Indictiones, quæ in illis habentur annotatæ: nam in prima habetur, Indictio XIV, & in subscriptione alterius legitur *scriptum per manus Sergii S.R.E. Scriniarii Indictione VI, mense Januarii. Data idibus Januarii anno Deo propitio* (sic habetur) *Pontificatus D. Stephani Summi Pontificis*. Sed Indictio XIV, pertinebat ad annum Christi 747. sub Zacharia Papa. Indictio vero *sexta* ad annum 753. quæ simul convenire nullatenus poterant: non explicatur præterea annus Pontificatus Stephani, per illa verba *anno Deo propitio* (nisi sit error typographi,) cum apponi debuisset, anno primo,

Sed hæc omnia rursus suppostitia esse, declarant, primo loco, Bulla Pauli Primi, pro Monasterio ab eo constructo, & Ecclesia S. Silvestri Urbis ab ipso erectis in Campo Martio, subscripta ab ipso Paulo, ac a xx. Episcopis, necnon a xix. S. R. E. Cardinalibus, in Synodo ad hoc coacta, in qua, duplici loco habetur indicata Indictio xiv. quæ incidit anno Christi 761. Pontificatus vero Pauli anno 5. necnon etiam annis Imperii Constantini Copronymi, ac Pipini Regis Francorum: & quamvis Papebrochius suspicatus sit, hanc Bullam Pauli suppostitiam, eo quod putaverit, notas temporum, quibus hæc insignitur, inter se non convenire, quod tamen verum non est, id potius asserendum esse videtur de Diplomatibus Nonantulanis, ut liquido patet ex jam observatis paulo ante. Minus quoque auget suspicionem id quod notat Pagius in Breviario, nempe quod translationes Sanctorum sæculo viii. diebus Dominicis, vel Festis solemnioribus ficrent, idque servatum non fuerit his annis 761. & 762. dies 17. Augusti, & dies 18. vel 19. Junii, cum Dominicales non fuerint: Sed observandum est, eo sæculo, & ætate Sancti Pauli primi, id in usu minime fuisse, cum certe Paulus Primus fuerit, qui morem Translationum sacrorum Corporum induxerit, & ea prima extitisse Corpora Sanctorum eorumdem Pontificum translata.

Verùm ad astruendam veritatem Bullæ Sancti Pauli I. confert testimonium Anastasii Bibliothecarii in Vita ejusdem Pontificis, in qua diserte testatur, Paulum, in sua propria Domo Monasterium a fundamentis in honore SS. Silvestri Pontificis, & Confessoris, & Sancti Stephani Martyris, & Pontificis construxisse, atque oraculum in superioribus *ejusdem Monasterii ædificasse, earumque Corpora magna, cum veneratione condidisse*. Quid igitur hoc documento verius excogitari potest, ad firmandam certitudinem Bullæ S. Pauli I. cum qua omnino concordat, eique etiam respondent vetera hujus Ecclesiæ monumenta, & nunquam interrupta Traditio, & populorum veneratio eorumdem sacrorum Pontificum Corporum.

Sed ad evertenda illa documenta, quæ pro Nonantulana Abbatia afferuntur, præter ea quæ paulo ante enarravimus, animadvertere licet, S. Paulum I. tempore Stephani III. Papæ Germani sui fratris, & illius omnium arcanorum conscium extitisse, itaut bis, ac tertio ab eo missus fuerit Legatus cum muneribus ad Aistulphum Regem; nec eum latere potuisse, si frater ejus Stephanus Regi ipsi Corpus Sancti Silvestri dono dedisset, imo nec ipsi Sancto Pontifici Monasterium, & Ecclesiam dedicasset, cum id egerit tantum post annos septem, itaut recens adhuc esset facti memoria.

Hæc vero controversia dupliei via componi posse mihi videtur. Primo, quod S. Paulus Papa I. translato ex Cœmeterio Corpore Sancti Silvestri Papæ, aliquam, vel modicam partem ejus ossium dono dederit S. Anselmo Nonantulani Cœnobii fundatori, quæ ab eo sub titulo Corporis in ea Ecclesia deposita fuerit, Vel quod ipsi Anselmo donatum fuerit aliud Corpus alterius S. Silvestri Martyris, quod paulo post, vel etiam, diu post, putatum fuit S. Silvestri Papæ Confessoris esse,

Hoc etiam accidisse constat ibidem circa Corpus Adriani Papæ I. cujus erroris quoque commentitia ab Anonymo ejusdem Cœnobii conscripta monumenta, indicabimus in hac Appendice §. ultimo, *De sanctitate Adriani Pontificis*.

Quod vero in Ecclesia, seu Titulo Equitii S. Martini in Montibus, inter alia Corpora Sanctorum, quæ Sergius PP. II. ibidem recondidit, recenseatur quoque Corpus S. Silvestri Papæ, ut legitur in marmore ibidem affixo, alio modo conciliari non potest, nisi quod Sergius aliquam partem desumpserit Corporis Sancti Silvestri ex Ecclesia, in qua depositum antea fuerat a Paulo Primo, eamque *sub titulo Corporis* transtulerit ad S. Martinum in Montibus, quod in pluribus aliis in usu per illa tempora erat.

De Reliquiis vero S. Silvestri, in supradicta sua Ecclesia, præter Corpus, seorsim quoque in pretiosa theca exponitur integrum Caput S. Silvestri,

Panvinius, ubi agit de vii. Urbis Ecclesiis, tradit in Basilica Vaticana extitisse Altare eidem dicatum, in quo Brachium illius reconditum fuit.

Adhibitas quoque fuisse Reliquias S. Silvestri in Consecratione nonnullarum Urbis Ecclesiarum, constat ex lapidibus Consecrationis earum, nempe SS. Joannis & Pauli de anno 1157. S. Nicolai de Funariia de an. 1180. Cappellæ eidem dicatæ prope Titulum Sanctorum IV. Coronatorum in Monte Cœlio, de anno 1246. Ecclesiæ S. Laurentii de Nicolanaso de anno 1251. S. Thomæ in Parione, sub Innocentio Papa II. Quarum Inscriptiones nonnullæ adhuc extant in iisdem Ecclesiis affixæ, & plures afferuntur à Martinello, in suo Opere *Roma ex Ethnica sacra*,

Extra Urbem quoque plures Ecclesiæ tanti Pontificis se habere pignora gloriantur: Inter quas Cathedralis Coloniæ Agrippinæ Caput Sancti Silvestri colit, ut tradit Winhemius, Romæ allatum, ut scribit, a B. Irmarde Comitissa; sed forsan erit aliqua particula.

Franciottus Brachium haberi indicat Lucæ in Ecclesia SS. Joannis, & Reparatæ. Alias particulas indicat in pluribus Ecclesiis Florentiæ servari Giambonius, & alibi alii plures Scriptores, quibus tamen bona fides saltem proficiat.

§. XXVIII.

§. XXVIII.

De Corpore, & Reliquiis S. MARCI PP & Confessoris.

SEpultus S. Marcus Pontifex fuit via Ardeatina in Cœmeterio Balbinæ, hoc est, in ea parte Cœmeterii Prætextati, quæ viam Ardeatinam prospicebat; nam apud Anastasium Bibliothecarium, in ejus Vita legitur primo: *Hic fecit duas Basilicas, unam via Ardeatina, ubi requiescit, & aliam &c.* & in fine: *Qui etiam sepultus est in Cœmeterio Balbinæ via Ardeatina.*

Corpus ejus ibidem requievisse usque ad tempora Gregorii PP. VII. docet Monumentum, ex Codice Vaticano descriptum a Bartholomæo Piazza in Hierarchia Ecclesiastica, ubi de Titulo S. Marci agit, necnon ex alio, relato a *Fioravante Martinelli in sua Roma ex Ethnica sacra*, agente de Ecclesia S. Marci, Titulo inscripto, *Translatio Corporis B. Marci Papæ, & Confessoris*. In eo igitur narratur, quod, tempore præfati Pontificis Gregorii VII, qui sedere cœpit anno Christi 1073. cum quidam fossores in Cœmeterium viæ Ardeatinæ ingressi essent, atque invenissent in loculo B. Marci Corpus una cum Titulo, atque id renunciassent Archipresbytero, & Canonicis Ecclesiæ S. Marci de Urbe, cumque isti assertionibus, atque petitionibus eorum aures præbere renuissent, tandem illi, accepta pecunia, sacrum pignus tradiderunt quibusdam missis, seu legatis nobilissimæ fœminæ uxoris cujusdam Illustrissimi Militis nomine Thebaldi, quæ degebat in Castro S. Silvestri in Provincia Campaniæ: quod cum illa, cum ingenti gaudio, accepisset, illico præcepit, non longe a Castro eodem, in honorem S. Marci construi Ecclesiam, in qua Corpus S. Pontificis, pretioso recondidit tumulo. Id cum ad aures Archipresbyteri, & Clericorum Tituli Sancti Marci pervenisset, ineffabili mœrore dolentes, communicato consilio, in Campaniam ad dictam fœminam accedentes, & ab ea tamquam subreptum sibi Thesaurum B. Marci Corpus, nunc piis commonitionibus, nunc gravissimis minis, Papæ auctoritatem, & Romanorum potentiam opponentes, requirere cœperunt. At nobilis mulier, nec blanditiis, nec terroribus cedens protestata est, se potius exilium in partes occiduas cum sacro pignore, subituram, quam, vel auctoritate Pontificia, vel potentia Romanorum, ad restitutionem cogeretur: & ex tunc Clerici Basilicæ S. Marci sollicitiores esse cœperunt ad recuperandum Sacrum Thesaurum. Tempore vero Paschalis PP. (utique II.) cum filii ejusdem mulieris jam defunctæ, adversus Pontificem arma sumpsissent, ac propterea Castrum S. Silvestri fuisset destructum, Corpus Sancti Marci a Clericis Castri S. Juliani in suam Ecclesiam matricem S. Viti, per manus Velitrensis Episcopi translatum fuit, atque in optima conca reconditum; qui Episcopus eamdem B. Viti Ecclesiam, secundam a Velitrensi sedem, perpetuo stabilivit, & confirmavit, pro eo quod summi, & universalis Pontificis Corpus ibidem recondidisset. Anno vero 1145. in commotione facta Romanorum, a Senatu Populoque Romano contra Comites, Castrum Julianum a Romanis cœptum est, atque igne crematum; Cumque in exercitu essent plures Parochiani S. Marci, memores quomodo de Urbe, ad Castrum S. Silvestri, & inde ad Julianum, Corpus B. Marci delatum esset, cognito loco, & Altari, in quo sacrum Corpus erat reconditum, altari diruto, e concha illud extulerunt, & in sindone ligatum in Urbem traduxerunt, non sine prodigiis, ut habetur in ipsa legenda ad diem 15. Maji, & honorifice, conveniente maxima populi multitudine, depositum fuit in Ara majori supradictæ Ecclesiæ Sancti Marci in concha marmorea, crate ferrea undique circumvalata, ubi decentissime colitur. Partem, seu frontem ejusdem Altaris ex marmore porphyretico eleganter efformatam, cum hac Inscriptione: IN HOC LOCO QUIESCIT CORPUS S. MARCI PAPÆ ET CONFESSORIS Eminentissimus, ac Reverendissimus D. Angelus Maria Quirinus Tituli ejusdem Commendatarius exornavit, qui etiam, profusa liberalitate, totam ipsam Ecclesiam variis elegantissimis marmoribus columnas ejus circumvestivit, & undique sacram illam Ædem decoravit.

Pugnant tamen contra relatam translationem Corporis S. Marci nonnulla, quæ afferuntur a diversis Scriptoribus. Et primo in Vita S. Zenobii Episcopi Florentini, collecta sæculo 15. ex variis antiquis monumentis a Joanne Archipresbytero Aretino, quæ habetur apud Surium die 25. Maji, legitur, quod Corpus S. Marci Papæ dono datum fuerit a Sancto Damaso PP. Beato Ambrosio Episcopo Mediolanensi, & ab eo collocatum Florentiæ in Ecclesia S. Laurentii, quam ipse construxerat, in qua S. Zenobius, una cum suis comitibus vitam quasi Eremiticam ducebat; ibi enim sic legitur: *Et ut refert S. Simplicianus, ab eodem Ambrosio ea Ecclesia donata fuit Corpore Beatissimi Marci Papæ: quod cum a Damaso Pontifice magnis precibus impetrasset, in lignea capsula sub altariolo ad Orientem disposito, quod ipse idem in honore Vitalis, & Agricolæ construxerat magna devotione condidit.*

Hæc tamen historia suas patitur difficultates. Nam tempore S. Damasi, ut in Prolusione probavimus, adhuc in usu non erat, Sacra Corpora extrahendi e suis sepulchris, & ex Cœmeteriis, ac ad alias Ecclesias transferendi, & præcipue de Corpore S. Marci PP. Nam idem S. Damasus hujus Sancti Pontificis sepulchrum in Cœmeterio positum, versibus, & epitaphio, quod recitatur a Baronio in Appendice ad Tomum 3. Annalium ad annum 336. decoravit hujus tenoris.

Vita fuit Marci, quam novimus omnes
Ore Dei posset, qui temnere Mundum.

Quod si revera Damasus hoc peregisset, aliquod nobis documentum reliquisset. Nec obstat, quod in supradicta Historia S. Zenobii legitur, *id refert S. Simplicianus*, quod tamen antiquioribus documentis esset probandum, cum Vita S. Zenobii post plura secula fuerit conscripta, & consarcinata; nam sæpe accidit, ut

Scri-

Scriptores nostrorum sæculorum plura ex traditionibus vulgaribus accepta, & absque documentis fundata, in Vitas Sanctorum transferant.

Præterea Ludovicus Antonius Giamboni in suo Diario Sanctorum, Florentiæ edito anno 1700. nullam prorsus mentionem facit de hoc sacro Corpore S. Marci Papæ.

Secundo loco minus probari potest, id quod scripsit *Lucretius Trejus in suis monumentis Provinciæ Foro-Julii*, impressis Utini an. 1724. ubi cap. 9. agens de *Consecratione Basilicæ Aquilejensis*, tradit, Corpus Sancti Marci PP. servari in ea Basilica in una ex 22. Capsis, quæ custodiuntur in ejusdem Sanctuario num. v. in qua legitur *Corpus S. MARCI PP. a duobus S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, latum ab Urbe in præfata Basilica Consecratione solemni*. Sed cum de hac re nullum habeatur authenticum documentum, nec quo tempore, vel sub quo Pontifice, & a quibus Cardinalibus, hoc Corpus delatum fuerit, recensetur, merito dubitandi occurrit argumentum, an potius fuerit eo delatum ab Urbe aliquod aliud Corpus alterius Martyris, & Sancti Marci nomine insignitum, hincque pro S. Marci PP. illud fuerit acceptum; Eo fortius hoc est dicendum, dum tanti Pontificis Reliquias, nullibi in Urbe, & extra, olim depositas fuisse, inveni.

Idem porro dicendum est de eo, quod legitur apud Ughellium *Tom. 3. de Episcopis Clusinis de Consecratione Ecclesiæ Abbatialis S. Salvatoris Montis Amiati* ejusdem Diœcesis, peracta anno 1036. de Reliquiis reconditis in unoquoque Altari ejusdem. Ibi enim legitur: *In Altari S. Marci infra columnas, Corpus S. Marci ipsius, & Corpora Sanctorum Abdon, & Sennen, ac Reliquiæ S. Martini*. In fine vero paginæ sic habetur: *Et post Consecrationem Ecclesiæ, acquisierant D. Abbas Rolandus cum Fratribus Corpus S. Marci Papæ, & Reliquias Sanctorum Pontiani, & Pancratii &c.* Cum vero in hac narratione evidens appareat error de Corporibus Sanctorum Abdon, & Sennen, quæ adhuc extant in supradicta Basilica S. Marci de Urbe, quamvis asserantur quiescere alibi in variis locis, sed æquivoce, vel saltem quoad aliquot Reliquias, sic quoque æquivocatio intercessit quoad Corpus hujus S. Pontificis, quod revera servatur, & colitur in supradicta Basilica S. Marci de Urbe. Vide quæ jam hoc super argomento jam dicta sunt in Prolusione hujus Appendicis pag. 138.

§. XXIX.

De Corpore, & Reliquiis S. JULII *PP. & Confessoris.*

EX Cœmeterio Calepodii Via Aurelia, in qua depositum fuit Corpus S. Julii Pontificis, illud translatum fuisse ad Basilicam S. Mariæ Transtyberim, tradit Oldoinus, anno Christi 830., & sub Ara maxima jussu Gregorii PP. IV. conditum (*in nov. Addit. ad Ciaccon.*) Tamen Anastasius Bibliothecarius, ubi de Gregorio IV. agit, mentionem quidem fecit de Corporibus SS. Callisti, & Cornelii Pontificum, atque Calepodii ab eodem Gregorio IV. translatis in dictam Basilicam, nihil vero de S. Julii Papæ.

Pro certo tamen tenendum est, hujus S. Pontificis Corpus a S. Paschali PP. I. translatum fuisse ad Titulum S. Praxedis in Montibus, ut docet vetustissima Tabula in eodem Titulo affixa, in quas Julius, inter Pontifices ab eo delatos in eam Ecclesiam, habetur, & sextum locum tenet. Cum itaque S. Paschalis Gregorium IV. decem annis præcesserit, necesse est dicere, partem Corporis S. Julii accepisse Gregorium ex Titulo S. Praxedis, vel ex Sacrario Lateranensi. Documenta ipsius Basilicæ S. Mariæ Transtyberim docent, in ea sub Ara majori corpus S. Julii requiescere, ubi immemorabili traditione colitur, & officio duplici tamquam Patroni minus principalis honoratur, in quo legitur. *Sepultus in Cœmeterio Calepodii: inde translatæ reliquiæ ad Ecclesiam S. Mariæ Transtyberim, ab ipso amplificatam, sub Altari majori honorifice reconditæ fuere.*

§. XXX.

De LIBERII *PP. Corpore.*

SEpultum fuisse in Cœmeterio Priscillæ Via Salaria, constat ex Anastasio Bibliothecario, nec inde vel extractum fuisse, nec inventum aliquando reperimus, ex quo etiam monemur in veneratione non fuisse, saltem apud Romanam Ecclesiam. De eo *Franciscus Maria Florentinius* in Notis ad vetustius Occidentalis Ecclesiæ M. R. ad diem 17. Maji ait: *De Liberio Romano Pontifice non meminit M. R. Romanum, sed & Beda editus, & Wandelbertus ad diem 23. Septembris; male audit apud Luitprandum, & Abbatem Floriacen., quod Arrianis aliquando adhæserit, sed ejus resipiscentiam laudat probat Baronius ad annum 357. n. 58.* De ejus die Depositionis celebrato ad 23. Septembris in M. R. Occidentali, & ab aliis idem Florentinius lo Notis. Verum Ecclesia Romana nullam memoriam de eo facit, neque in Martyrologio Romano, neque in Officio, nec in suis Kalendariis. Hinc est, quod eum nulla memoria habeatur de ejus Corpore, putamus occultatum remansisse in eodem Cœmeterio Priscillæ, nec, quod sciamus, huc usque ab ullo detectum.

§. XXXI.

De S. FELICIS II. *PP. & M. Corpore.*

CEræ Urbe in Faliscis, Via Aurelia 17. ab Urbe lapide, Constantii Ariani Imperatoris jussu, gladio percussum hunc Pontificem, testantur Anastasius Bibliothecarius, & Martyrologium Romanum die 29. Julii, & Baronius in Notis ibidem, necnon fuse in Annalibus, & in Martyrologio Romano, hæc de ejusdem Corpore habet: *Ceræ in Tuscia necatus gladio gloriose occubuit: Ejus corpus inde ac* Cle-

Clericis raptum, eadem via sepultum fuit, postea vero ad Ecclesiam SS. Cosmæ, & Damiani delatum, ibidem a Gregorio XIII. Summo Pontifice repertum est sub Altari, una cum Reliquiis SS. Martyrum Marci, & Marcelliani, atque in eodem loco pridie Kalendas Augusti, simul cum eis reconditum.

Anastasius Bibliothecarius sic habet: *Occulte juxta muros Urbis ad latus formæ Trajanæ, 3. Idus Novembris, & exinde repertum est Corpus ejus noctu a Presbyteris, & Clericis cum Damaso Presbytero, & sepultum est in supradicta Basilica, quam ipse construxerat, Via Aurelia 14. Calendas Decembris milliario secundo in pace.* Oldoinus in novis additionibus ad Ciacconium tradit, Corpus S. Felicis II. *in Urbem primo relatum ad Thermas Trajani*, occulte fuisse sepultum; sed æquivocatus est, nam recte legitur, in Anastasio *ad latus formæ Trajani*, quæ est aquæductus a lacu Sabbatino, ad Urbem usque a Trajano constructus, in ipsa via Aurelia. Thermæ autem ejusdem Trajani extabant prope Titulum S. Martini in Montibus. Unde recte legendum est, non *ad Thermas*, sed *ad latus formæ Trajani*.

Sepultum igitur Corpus Sancti Felicis juxta Aquæductum, seu formam Trajani, occulte, S. Damasus tunc Presbyter, una cum Clericis transtulit ad Basilicam Viæ Aureliæ, secundo ab Urbe Milliario, quam primum S. Felix Papa, hujus nominis I. supra Cœmeterium Martyrum construxit, & hic S. Felix dum esset Presbyter Cardinalis ampliaverat.

Quando vero, & a quo sacrum hoc pignus delatum fuerit ad Ecclesiam SS. Cosmæ, & Damiani in Foro Romano, incompertum est. Ibi namque repertum fuit, ut patet ex Annot. Cardinalis Baronii ad M. R. Romanum. De Reliquiis hujus S. Felicis II., una cum SS. Marci, & Marcelliani MM. fit mentio in lapide Consecrationis Ecclesiæ, seu Tituli S. Pudentianæ de Urbe, peractæ tempore S. Gregorii PP. VII. qui sedit anno 1073., ut ex lapide ibidem affixo constat, ubi legitur.

Martyris & Stephani Papali nomine primi,
Martyris & Papæ Felicis honore Secundi,
Necnon Hermetis Præfecti Martyris Urbis,
Et Tranquillini, Marci, Marcellianique &c.

Et ex hoc suspicamur, circa ea tempora peractam fuisse S. Felicis PP. II. translationem ad Ecclesiam SS. Cosmæ & Damiani.

Propterea cogimur pro nihilo ducere, quod exponitur ab Oldoino in novis Addit. ad Ciacconium sub isto sancto Pontifice, ubi, absque ullo antiquorum documento hæc tradit: *Patavium Italiæ urbs Venetorum ditionis, S. Felicis Corpus possidere gloriatur in Templo D. Antonio sacro, in sacello ejus nomini dicato, ab Oppido Ceræ illuc transvectum anno 1503. ut scribit Angelus Portenarius.*

§. XXXII.

De Corpore, & Reliquiis S. DAMASI *PP. & Conf.*

HUjus S. Pontificis Corpus sepultum fuisse in ea parte Cœmeterii, quæ sita est inter viam Appiam, atque Ardeatinam, constat ex Anastasio Bibliothecario in ejusdem Vita, hisce verbis: *Hic fecit Basilicas duas, unam juxta Theatrum S. Laurentii, & aliam Via Ardeatina, ubi requiescit in Catacumbis*; & hic observanda sunt illa verba *in Catacumbis*, quibus innuitur, ejus Corpus non in ipsa Basilica, sed subtus eam in Cœmeterio depositum fuisse. Et in fine notat ipse Bibliothecarius: *Qui etiam sepultus est via Ardeatina in Basilica sua, juxta matrem suam, & germanam*. Situm vero ejusdem Basilicæ inter Cœmeterium Callisti, seu Prætextati, & Viam Ardeatinam, putamus nos detexisse anno 1736. una cum sepulcbris tum ipsius Damasi, tum etiam Matris, atque Sororis. Cum enim, anno ipso, fossores Eminentissimi Cardinalis Vicarii, sub Custode Marco Antonio Buldetho in ea parte Cœmeterii operi incumberent, sub Vinea tunc Margaritæ Bellotti, sita inter viam Appiam, & Ardeatinam, invenerunt Sarchophagum marmoreum ex candidissimo Pario lapide, figuræ ovalis, palmorum fere XIV. longitudinis, sex altitudinis, latum quinque, cujus prospectus spiralibus undis in fronte exornatus erat, & utrinque desinens in prægrandia formæ duos leones affabre sculptos. Ex hoc jamdiu Corpus diligenter extractum fuisse apparebat, sed coopertum tamen erat prægrandi, sed diversi generis marmore effracto, quo super erecta fuerat fabrica lateritia, quæ pertingebat usque ad superiorem partem cubiculi; juxta vero sarcophagum in posteriori parte aderat janua parva, per quam patebat aditus in non admodum amplum cubiculum, XV. fere passuum latitudinis, totidemque longitudinis, & altitudinis, in cujus fronte aderat alter simplex marmoreus Sarcophagus, sicuti in latere similis formæ alius, qui pariter vacui reperti sunt: post paucos etiam dies non longe ab ipso Mausoleo, reperta fuit quædam ampla scala, seu descensus, per quem ipsummet vas marmoreum introductum olim fuit in Cœmeterium. Hisce attente consideratis, in animo fuit nobis explorare, quodnam in superiori parte hujus loci adesset ædificium, quod fulciretur eo muro, seu columna structuli constituta supra grande illud marmoreum sepulcbrum: unde reperimus adesse antiquam formam Ecclesiæ longitudinis palm. fere 60, in cujus parte septemptrionali extant tres absidæ circulares, unde dignoscitur, eam olim extitisse Ecclesiam, quæ locum superiorem tum cubiculi inferioris, tum sarcophagi occupabat: Insuper cognovimus illam fuisse olim depictam ex quibusdam residuis coloribus, qui adhuc supersunt. Ex his igitur probabilibus conjecturis judicavimus hanc esse potuisse Basilicam S. Damasi, sub qua sanctus Pontifex Matrem & Sororem defunctas sepelivit in supramemorato Cubiculo

biculo Cœmeterii, juxta quas; & ipse sepeliri voluit, in ea parta Cœmeterii, quæ postea Damasi appellata fuit prope viam Ardeatinam. Nunc Fcelesia aonversa est ad usum Cellarii prædictæ Vineæ, oui patet ingressus in ipsa via Ardeatina, quæ vergitur ad S. Sebastiani Fcalesiam. Saroophagus marmoreus grandis ax eadem scala extractus fuit, ab Eminentissimo Cardinali Vicario. Quo autem tempore, vel quo a Pontifiaa inda translatum fuerit Corpus S. Damasi, nullum reperire potui indicium, tum in Archivo S. Laurentii in Damaso, ubi requiescit, tum apud ullum Scriptorem.

Cum vero ex Anastasio Bibliotheeario constet, Joannem Papam VI, qui sedebat anno Christi 705. *labarasse* (seu *instaurasse*) *in Cœmeteriis BB. Martyrum Mircelliani, & Marci, Damasiqua sancti Pontificis*, ex hoc forsan eonjectari potest, illa adhuc ætate, Corpus Sancti Damasi in eo perstitisse Cœmeterio.

At ipsa Bibliothearius in Vita Adriani PP. I. (hic sedare aepit anno Christi 772, obiit antem anno 795.) ita scripsit: *Renovavit autem tectam Basilicæ S. Laurentii, quam Damasi vocant, ubi & vestem super Altara de structura fecit, simulque aliam vestem da post Altare feait, abi requiescit corpus S. Damasi*, quo ex textu, perspicue apparet, da eo tempore, ejusdem S. Damasi Corpus jam extractum, atqua in eam suam Basilicam translatum vel a S. Paulo Papa I., vel ab ipso Adriano, qui in Pontificatu annos vixit ultra 23., aonstat itaque, ætate Adriani Papæ, Corpus S. Damasi requiavisse in sua Basiliea ad Theatrum Pompei.

Ea igitur occasione Translationis, Caput illius, putamus, delatum fuisse ad Basilicam Vaticanam, ubi religiosissime eolitur: da quo aucta monumenta ipsius Fcclesiæ agunt, siaut & Scriptores de VII. Urbis Eaalesiis.

Brachium varo hujus sancti Pontificis fuisse udhibitum ab Innocentio PP. II. in Consecratione Altaris S. Thomæ in Parione, da anno 1139., apparat ex Inscriptione antiquissima, quæ ibi extat, in qua legitur: *Reliquiæ vara, quas in dicta Altari recondidit, hæc sunt: Brachia DAMASI PAPÆ, SILVESTRI PAPÆ, GREGORII PAPÆ &c.*

Reliquias enim ejusdem haberi in vase porphyretico sub Ara SS. Crucifixi Eeelasiæ SS. Cosmæ, & Damiani, habetur ex Indice Reliquiarum ajusdem Eeclesiæ, ae atiam in Ecclesia Sanctæ Mariæ in Via lata.

Extra Urbem, *Goslariæ in Saxonia* in Ecclesiis SS. Simonis & Judæ, erecta ab Henrico II. Imperatore, partem Corporis S. Damasi PP. axtitisse legitur in parvo *Chronica ipsius Ecclesiæ to. 2. Scriptorum Brunsvirrasium pag. 532.* forsan de aliqua particula ast intelligendum. Et Neapoli in Ecclesia Monialium S. Gragorii Armeniæ Episcopi, vulgo *S. Ligaara*, asservari Caput ejusdem sancti Pontificis, saribit Carolus Celanus in *Dieta 2. illius Urbis*.

Coloniæ Agrippinæ in Hospitali S. Puntaleonis Costulam haberi, tradit *Winbemius*.

Florentiæ in Collagiata S. Laurentii nonnullas Reliquias S. Damasi servari, habet Giambonus in suo Diario saero, necnon & Bononiæ in Eaclesiis S. Jaeobi Majoris, & Reginæ Cœli, indiaat Masinius.

§. XXXIII.

De S. Siricii PP, & Confessoris Corpore.

DE hujus Pontificis Sanctitata, in vetustiori Martyrologio Ocaidentalis Ecclesiæ (a pluribus S. Hieronymo uttributo) egregiam edidit Exeraitationem C. V. Franciscus Maria Fiorentinius, in illius editione, ab ipso peracta, & exquisitis Notis ab ipso illustrata, anno 1660., sub dia 26. Novembris, in quo S. Sirieli fit mantio, a pag. 1001, & seqq., in qua primum agit, aur Baronius, postquam vidisset de ipsomet Siricio memoriam in antiquioribus Martyrologiis, ajusdem nomen Romano emendato M. R. non restituerit, vel restituendum minime curaverit, innixus, forte, nonnullis oppositionibus, & objectia allatis contra sanctitatem ipsius Siricii. Quibus tamen optime ponderatis respondet Florentinius. Attamen Sedis Romanæ judiaium expectandum erat.

Dubium igitur omne tandem sustulit SS. D. N. BENEDICTI XIV. sapientia, & judicium. Nam præclarissimus Pontifex, lumine sancti Spiritus collustratus, & incomparabili doctrina & eruditione fretus, sanctitatem Sirieii, a quocumque veterum Scriptorum in ævo obfuscatam, tot evidentissimis argumentis, & rationibus ita vindicavit, ut nequaquam dubitari de ea possit, & aa, quæ in contrarium objici possent, explieavit, rejeeitque, unda jure merito deerevit, Sirieium Martyrologio Romano esse aaaenseadum, ut in suis Apostolicis litteris datis 26. Novembris anni 1750. ad Joannam V. Portugalliæ Regem, sub titulo *De Nova M. R. aditione*, a §. 50. usque ad 94, ubi, exhibito veluti compendiario Processu, Nomen S. Siriaii PP. apponendum dicto M. R. jussit, & Officium illius recitari in Basilica Vaticana sub dia 29. mensis Novembris.

Ex antiqua vero translatione Corporis Siriaii, magis resultat opinio antiqua da illius sanctitate, olim probata, atque recepta. Sepultus namque fuit in Cœmeterio Priscillæ Via Salaria, ut testatur Anastasius Bibliothearius in ejus vita. Inda vero Corpus ejus a S. Paschali PP. I. extractum fuit, atque translatum in Titulum Sanctæ Praxadis, aum aliis pluriam sanctorum Pontificum, & Martyrum Corporibus, uti axpresse legitur in ejusdem Paschalis tabula marmorea, in eadem Ecclesia affixa, in qua inter Pontificum nomina, loco VIII. habetur SIRICIUS. Cum itaqua Pasebalis ejus Corpus sub altari ibidem reposuarit, ex hoc patet, tunc pro Sancto habitum fuisse.

Da ejuldem autem Sirieii Reliquiis, nullum nobis adhuc monumentum occurrit, ac propterea integrum Corpus adesse in prædicta Ecelasia, adhuc putamus.

Idem Florentinius in calea suæ Exercitationis apponit Siricii Epitaphium ex Appendice Antiq. Inscriptionum pag. 1171. n. 16. olim

po-

positum in Cœmeterio Priscillæ, ex quo, non modo virtutes tanti Pontificis, sed tempus ejus Sedis annorum xv. clarescunt.

Oldoinus in Necrologio Romanorum Pontificum, Siricium obiisse tradit ad diem 22. Februarii anno Christi 398., eumque sedisse sanctitate, & doctrina illustrem spatio annorum xiii., mensis unius, & dierum xiv. Beda vero, & Molanus tradunt, eum obiisse 26. Novembris, siquе sedem statuere ad annos xv.

§. XXXIV.

De Corporibus, & Reliquiis S. ANASTASII *ejusque successoris* S. INNOCENTII *Pontificum, & Confessorum.*

HOrum Corpora Sanctorum Pontificum sepulturæ tradita fuisse in Cœmeterio ad Ursum Pileatum, testatur Anastasius Bibliothecarius in eorum Vitis. De primo namque ait; qui sepultus est in Cœmeterio suo *ad Ursum Pileatum*. De altero vero: *Qui etiam sepultus est ad Ursum Pileatum*.

Ciacconius autem de primo addit, *ad Ursum Pileatum, via Portuensi*, & de Sancto Innocentio, *ad Ursum Pileatum apud S. Bibianam*: idemque tradit Oldoinus in Necrologio Romanorum Pontificum.

Duo itaque commemorantur Cœmeteria sub titulo *ad Ursum Pileatum*: primum extra portam Urbis, quæ *Portese*, seu *Portuensis* appellatur, eo quod ad Portum Romanum ducat, alterum in Exquiliis prope Ecclesiam S. Bibianæ. Octavius Pancirolus in suis *Thesauris absditis Urbis*, ubi de Ecclesia S. Bibianæ agit, pag. 163. ait; in hoc loco adfuisse *Cœmeterium sub nomine ad Ursum Pileatum, in quo sub persecutione Antonini sepulta fuerunt quinque millia & bis centum, ac 66. SS. Martyrum Corpora: & in ipso voluisse fuæ deponi SS. Pontifices Anastasium, & Successorem ejus Innocentium.*

Gratis tamen, & absque ullo documento, Pancirolus nobis tradit, hic extitisse Cœmeterium tempore persecutionis Antonini Imperatoris, in quo sepelirentur Corpora Martyrum; nam Cœmeteria Christianorum extra Urbis mœnia erecta fuerunt, & locus inter Ecclesiam Sancti Eusebii, & Castrum Aqueductus Aquæ Claudiæ erat intra mœnia Urbis, ubi tempore Juliani Apostatæ aderat Domus S. Flaviani Patris SS. Virginum Bibianæ, & Demetriæ, quarum Corpora in ipsius domus loco, una cum eorum Matre Dafrosa MM. tumulata fuere, ut ex Romæ subterr. lib. 3. cap. 66. Non vero aderat commune Cœmeterium MM. tempore Antonini. Pancirolus tamen in errorem abductus est, testimonio cujusdam marmorei lapidis, qui olim extabat initio hujus viæ prope Trophæa Marii, postea translati in Porticum S. Bibianæ, in quo legitur.

Hæc est via, qua itur ad locum, qui vocabatur antiquo tempore Ursi Pileati, & moderno tempore Monasterium S. Bibianæ, in quo loco fuerunt sepellita quinque millia ducenta, sexaginta, & sex Corpora Sanctarum Martyrum absque pueris, & mulieribus. Et ibidem est Indulgentia maxima, prout in Chronicis veraciter enarratur. Sunt etiam septem millia anni in Festo Omnium Sanctorum usque ad octavam.

Verùm quoad Corpora Sanctorum Martyrum in hoc lapide indicata, Cl. V. Baronius, in Notis ad Martyrologium, ad diem 10. Februarii loquens de Via Labicana, sic ait: *Complures Martyres extra Portam Exquilinam, more majorum cum passi essent, eorum Corpora a Christianis sublata inferebantur in Cœmeterium, quod in via erat nobile SS. Marcellini, & Petri nomine dedicatum: Verum ea omnia intra eamdem Portam Exquilinam in Vicum ad Ursum Pileatum dictum, in Cœmeterium, quod S. Anastasii Papæ nomine appellatum est, putantur illata, qui locus hodie dicitur Sancta Bibiana*. Dici tamen nullatenus potest, ea omnia sacra Martyrum Corpora in hunc locum translata fuisse, cum & nostra ætate, quamplura in eo Cœmeterio amplissimo Viæ Labicanæ reperta, indeque extracta fuerint.

Hujusmodi Cœmeterii ad S. Bibianam pluries exploratus est aditus, seu ingressus perquisitus est, tum a nobis cum Custode Cœmeteriorum M. Antonio Buldetho, tum etiam ab Illustrissimo, & Reverendissimo D. Sacrarii Apostolici Præfecto, circa adjacentes S. Bibianæ vineas, & nunquam inveniri potuit: Unde merito suspicari licuit, hæc Corpora, quæ ibidem esse indicantur a Baronio, forsitan deposita, & concervata fuisse in aliquo cubiculo subjecto eidem Ecclesiæ S. Bibianæ.

Cum vero ex pluribus documentis adductis a Bosio, seu a Severano in Additionibus ad eundem Bosium lib. 2. cap. 17. appareat, in via Portuensi aliud extitisse Cœmeterium sub eodem nomine AD URSUM PILEATUM, dictum etiam alio nomine PONTIANI, & in hoc, non vero in eo quod ponitur in Exquiliis, sepultos fuisse Sanctos Anastasium & Innocentium Pontifices, putant nonnulli Scriptores. Quare ipsemet author, eodem cap. 17. lib. 2. pag. 168. id scriptum se reperisse affirmat in antiquissimo mss. Codice de Romanis Pontificibus, quod servatur in Bibliotheca Vaticana, & olim erat Monasterii Cavensis, qui est Index locorum illorum in quibus, usque ad ea tempora, tumulati erant Pontifices, ubi legitur AD URSU PILEATU PORTU.

Anastasius.

Innocentius.

Id etiam observat, firmari ex antiquo lapide Tituli S. Praxedis, in quo enunciatur, quod S. Paschalis PP. I. S. Anastasii PP. Corpus unà cum aliorum Sanctorum Lipsanis *transtulit diruptis ex Cœmeteriis*: Nam si ex dirutis Cœmeteriis indicantur extracta, id verificari non posset, si Corpus S. Anastasii jam depositum fuisset in Exquiliis, ubi nullum esse poterat dirutum Cœmeterium. Simili modo dicendum est de Corpore S. Innocentii, quod translatum fuit a PP. Sergio II. in Titulum Equitii, ut legitur in alio Lapide ibidem affixo ab ipso Sergio, a quo etiam aliqua pars Corporis Sancti Anastasii ex Titulo S. Praxedis desumpta, cognoscitur.

Aliud quoque argumentum profert idem Auctor, nempe testimonium Guillelmi Malmesburiensis, *de Gestis Angl. lib. 4. cap. 2.* qui loca ipsa indicat, ubi Corpora Sanctorum, suo adhuc tempore aderant tum Romæ, tum extra Urbem in Cœmeteriis; & ubi agit de *Via Portuensi*, ita scripsit: *Tertiadecima Porta Portuensis dicitur, & via, ubi prope in Ecclesia sunt Martyres Felix, Alexander, Abdon, & Senen, Symeon, Anastasius, Pollion, Vincentius, & INNOCENTIUS*.

Hisce igitur documentis, Corpora horum duorum Pontificum tumulata fuisse probantur in Cœmeterio ad Ursum Pileatum, non in exquiliis, sed via Portuensi sito, unde Corpus S. Anastasii extractum a S. Paschali PP. I. translatum fuit ad Ecclesiam S. Praxedis. Alterum vero S. Innocentii a Sergio PP. II. delatum in Titulum S. Martini in Montibus, in quem etiam invexit aliquam partem Reliquiarum S. Anastasii ex Titulo S. Praxedis desumptam.

Lapis vero supra relatus affixus ad Valvas Ecclesiæ S. Bibianæ, olim in Capite prope trophæa Marii non admodum perantiquus esse cernitur ex inibi expressis circumstantiis, ea præcise ex effusione tam amplæ Indulgentiæ, quam antiquis temporibus minime largiebantur Summi Pontifices.

§. XXXV.

De Corporibus SS. Pontificum ZOSIMI, HILARI, & SIXTI III, *Confessorum*.

CORpora Sanctorum Pontificum ZOSIMI in ordine XLIII. SIXTI III. in ordine XLVI. & HILARI XLVIII. ex Anastasio Bibliothecario constat sepulturam accepisse in Basilica S. Laurentii extra Muros, Via Tiburtina in eadem crypta, in qua ipse Martyr depositus fuit. Non constat, unquam e suis sedibus fuisse dimota, & in alium locum translata; quare a cunctis Scriptoribus ea indicantur in eodem loco adhuc requiescere.

§. XXXVI.

De Corpore, & Reliquiis S. BONIFACII I. *hujus nominis Pontificis*.

COrpus hujus S. Pontificis sepultum fuisse in Cœmeterio S. Felicitatis via Salaria, testantur Anastasius Bibliothecarius, aliique Scriptores antiqui. At Ciacconius de hoc Pontifice ita ait: *Sepultus est via Salaria in Cœmeterio S. Felicitatis Mart, juxta Corpus illius. Verum perperam ponitur hoc Cœmeterium S. Felicitatis via Salaria, cum constet, Cœmeterium S. Felicitatis fuisse proximum Callisti via Appia, ubi Sacellum erat, & hodie S. Felicitatis Mart. & ibi Inscriptio legitur BONIFACII PP. I. Conf. & loculus ejus conspicitur, ubi quondam depositum fuit Corpus ejus*.

Ex eodem Ciacconio Franciscus Pagius in Breviario hunc hausit errorem, eadem fere verba transcribendo. Sed omnino falsum est, Cœmeterium S. Felicitatis esse proximum Cœmeterio Callisti Via Appia, & ibi superesse, ac videri Sacellum S. Felicitatis, & in eo legi Inscriptionem S. Bonifacii, & conspici loculum, ubi depositum fuit ejus Corpus, quod in eo amplissimo Cœmeterio, quod sub Callisti, & Prætextati, aliisque nominibus celebratur per viam Appiam, & Ardeatinam, ubi non semel lynæus scrutator fui, nunquam conspicere licuit, nec vestigium invenire potui.

Immo contra Ciacconium clamant certissima documenta, quæ adducuntur a Bosio in Roma Subterranea lib. 3. c. 53. cum additionibus Severani, necnon ab Aringhio, ubi de Cœmeteriis viæ Salariæ, in quo Cœmeterio S. Felicitatis, Anastasius Bibliothecarius habitasse S. Bonifacium I. & ibi fecisse Oratorium juxta Corpus illius, & ornasse ejus sepulchrum testatur; ac etiam in Vita Adriani PP. I. hæc addit: *Cœmeterium vero S. Felicitatis, via Salaria, unà cum Ecclesia S. Silvani Mart. & S. Bonifacii Confessoris, atque Pontificis, uno coherente solo, mira restauravit magnitudine*.

Augustinus Oldoinus in novis additionibus ad Ciacconium ait, Romanum Canonicum Sancti Petri in descriptione Basilicæ Vaticanæ scripsisse: *Bonifacius PP. I. hic requiescit in portico Pontificum*. Subdit autem Oldoinus: *Ut puto errorem irrepsisse in transcribendo libro, descriptionem Basilicæ Vaticanæ, & loco Bonifacii II. primi nomen appositum, nam quotquot vidi Scriptores omnes, Bonifacium scribunt in Cœmeterio Felicitatis: nisi velimus dicere, ex Cœmeterio Felicitatis, ad Vaticanam Basilicam corpus progressu temporis deductum*. Sed hoc minime probari potest, cum Epitaphia adducta a Ciacconio, & Oldoino, nullatenus exprimant de Bonifacio PP. I. cujus memoria celebratur in Martyrologio Romano ad 25. Octob.

De translatione Corporis hujus Pontificis nullum mihi adhuc occurrit documentum, nisi quod *Jacobillus in Indice Reliquiarum Umbriæ* tradit, Perusiæ in Ecclesia Minorum Conventualium servari partem inferioris maxillæ, nisi sit alterius Bonifacii M. itemque de Brachio, & aliis Ossibus S. Bonifacii PP. I.

§. XXXVII.

De Corporibus S. CÆLESTINI PP. I. *atque alterius* S. CÆLESTINI *Pontificis, hujus nominis V. Confessorum*.

COrpus S. Cælestini PP. I. teste Anastasio Bibliothecario, tumulatum fuit in Cœmeterio Priscillæ Via Salaria. Inde vero a S. Paschali Papa I. extractum, ac translatum fuisse ad Titulum S. Praxedis, apparet ex tabula marmorea ejusdem Paschalis, ibidem affixa, in qua, inter Corpora SS. Pontificum, XIII. loco enumeratur etiam hujus S. Cælestini. Ejus Reliquias haberi in Basilica S. Pauli extra muros, notat Pancirolus in Thesauris absditis Urbis.

Cal-

Calvius in Ephemerid. Bergomatibus notat, digitum ejusdem servari, & coli in Ecclesia S. Salvatoris de Peja ejusdem Diœcesis.

S. CÆLESTINUS PP. V. in Arce Fumonis Diœcesis Ferentinæ in Hernicis sancto fine ad Cœlum avocatus est anno 1296, & a Clemente PP. V. in numerum Sanctorum relatus anno 1313. Ex Arce prædicta, curante Bonifacio VIII. ejusdem successore, summo honore, & Cleri totius regionis processione deductum fuit ad Ecclesiam B. Antonii Civitatis Ferentini, ex qua primò ad Ecclesiam S. Agathæ ejusdem Urbis, deinde translatum ad sui Ordinis Cœnobium Aquilanum, dictum Cælestinorum Beatæ Mariæ, Anno 1520. diebus 11. & 12. Junii Pontificali habito indutum ibidem expositum fuit, ubi colitur.

Ferentini in Latio in magnifica theca, apud Sanctimoniales, servatur cor ejusdem Pontificis, & aliæ Reliquiæ in Ecclesia Cælestinorum extra eamdem Civitatem.

Giambonius in Diario Sanctorum Florentiæ, tradit, in Ecclesia S. Michaelis, ejusdem servari dentem, de Capillis, Veste, & Cilicio illius. Et Jacobillus de Reliquiis Umbriæ habet, Nursiæ haberi partem Costulæ in Ecclesia Monachorum Cælestinorum, & forsan aliæ ejusdem Reliquiæ alibi reperiuntur.

§. XXXVIII.

De Corporibus SS. LEONUM *I. II. III. IV. & IX. Romanorum Pontificum.*

HOrum quinque sanctorum Romanorum Pontificum Corpora in sacrosancta Principis Apostolorum Basilica, tumulata fuisse, ibique adhuc etiam maxima cultus veneratione servari, cuncta antiquiora docent documenta, & recentiores Inventiones, atque translationes confirmant.

Corpus igitur S. Leonis I., seu Magni, sepultum fuisse primum in eadem Basilica, testantur veteres omnes Scriptores, non prope S. Petri Confessionem, sed in Basilicæ ejusdem Vestibulo ante Secretarium, in postrema nimirum ejusdem Vestibuli parte ad lævam ingredientibus.

Sed Sergius I. Pontifex, qui sedit anno 687. Corpus S. Leonis hujus in alium locum transtulit, teste Anastasio Bibliothecario, qui in Vita ejusdem Sergii sic habet. *Hic Corpus Beati Leonis probatissimi Patris, atque Pontificis, quod in abditis interioribus Secretarii prædictæ Basilicæ positum fuerat, facta diligentius tumba in denominata Basilica, publico loco, ubi sibi fuerat revelatum, reposuit, ac locum ipsum ornavit, eique Epitaphium 20. versuum apposuit.* Quod referunt Baronius To. 12. in Appendice ad To. 6. & Bosius cum addit. Severani Rom. Subterr. l. 2. cap. 6.

Panvinus refert, Paschalem II., qui sedit anno 1099. Corpus S. Leonis I. prope Altare S. Petri condidisse, his verbis: *Secundum Sacellum fuit S. Leonis IV. Papæ, sub quo Paschalis II. recondidit Corpora sanctorum Pontificum LEONUM I. II. III. IV.*

Hæc itaque Corpora sanctorum Pontificum a Papa Paulo V. translata fuerunt, atque deposita sub Ara B. V. de Columna, quæ est in Sacello extremo navis transversalis ad meridiem. Hanc Inventionem, atque Translationem describit Joannes Severanus Presbyter Congregationis Oratorii Romani in suo libro de VII. Urbis Ecclesiis, quam hic exscribere oportet verbis ejusdem: Ait enim sic.

In Inventione, ac Translatione quorum, videlicet sacrorum Corporum, specialis cura, & providentia Dei apparuit. Nam anno 1580. cum Gregorius PP. XIII. cum Cardinali Sirleto, instaurare vellet vetus eorundem Sanctorum Altare, jam cum Sacello in ruinis positum, quando a Julio III. demolita fuit antiqua Ecclesia, jussit reserari Arcam, quæ ibi relicta erat, & in qua sacra Corpora continebantur: in ea reperit Cineres, & Ossa Sanctorum Trium Leonum, quæ in ea deposuerat Paschalis II., quibus conspectis, statim claudi jussit prædictam arcam, & super eam novum Altare fabricari, quod cum coopertum remansisset a novo pavimento Ecclesiæ, quod erexit Xystus PP. V. & Clemens VIII., voluit postea Paulus V. eadem sacra Corpora inde extrahi, & claudi in Capsa cupressina, eaque transferri in supradictum Sacellum B. M. V. Cum vero populus, qui aderat huic extractioni abscessisset, duo ex Canonicis S. Petri, qui aderant, nempe Petrus Binzonius, & Germanicus Fidelis, quodam tunc peculiari instinctu adacti, altius defodi jusserunt locum, unde extracta fuerat ipsa Arca; & revera, repertum fuit primo pavimentum ex lateribus, ac petra tuphea compactum, super quibus putatum fuit extitisse Altare S. Leonis I. a Sergio Papa constructum, ac insistendo operi, detectum fuit ingens marmor, sub quo reperta fuit Arca lignea deposita in Tumba circumvestita marmore albo venato, affabre elaborata, quæ Arca, hinc inde quatuor annulos ferreos habebat. Arca vero elevata erat super quatuor ferreas hastas per transversum positas, & ab humo dissita.

In hac igitur Capsa repertum fuit Corpus S. Leonis PP. I., quod postea, sub die 27. Maji anni 1607., unà cum aliis tribus SS. Leonibus, ad idem Altare translatum fuit, & ut refert idem Severanus, pag. 90. sub die Dominica 17. Maji ejusdem anni eadem sacra Corpora translata fuerunt in novum Templum Vaticanum, ac reposita in supradicto Sacello in prægrandem Sarcophagum marmoreum, sacris historiis sculptis insignem, videlicet: Corpus S. Leonis Magni, unà cum antiqua sua Capsa ex pino confecta in aliam plumbeam depositum fuit in ima parte ejusdem Sarcophagi, supra quam transversis hastulis deposita fuit alia Urna cypressina cum tribus Corporibus aliorum Pontificum Leonum, supra quam collocatum fuit sequens monumentum plumbo incisum.

✠

Corpora Sanctorum Leonum Primi, Secundi, Tertii & Quarti Summorum Pontificum, condita in parte dextera Basilicæ ad latus majoris Altaris Principis Apostolorum, sub Ara veteris Oratorii, quæ super extructis pavimenta te-

tegebatur, inde Pauli V. Pont. Max. jussu educta, Evangelista Pallottus Tituli S. Laurentii in Lucina, Cardinalis Cusentinus, hujus Basilicæ Archipresbyter, solemni Processione, in novam Templum extulit, ac sub Ara in eadem meridionali parte reposuit xxvij. Maji Dominica infra Octavam Ascensionis MDCVII. Pontificatus ejusdem S. D. M. anno III.

Præteritis hisce inventionibus sacri Corporis S. Leonis M. adstipulatur recens & nostris temporibus detectio, ac observatio peracta, jussione s. mem. Clementis Papæ XI. relata a C. V. Francisco Præsule Blanchinio, Tomo III. in notis ad Anastasium Bibliothecarium, ubi delineato schemate sacri Corporis, unà cum coloribus diversis, quibus per longas ætates respersum fuerat, exhibetur forma, ex qua apparet, nullum ex ossibus illius loco dimotum fuisse; eidemque schemati subjecta legitur hæc epigraphe.

Conspectus sacri Corporis S. Leonis Magni, reserata illius Arca, & iterum obsignata jussu Clementis Papæ XI. diebus xi. & xij. Aprilis 1714. in ejus translatione solemni; ex Cranio frustula exigua supererant, cum parte dimidia mandibulæ inferioris; ossa reliqua in situ permanserant (dimoto tantum superiori processu humeri dexteri, & fibula a tibia sinistra) quæ reddebantur conspicua sub vestibus crocei coloris, præ vetustate attenuatis, & more Cappæ tam supra caput, quam circa pectus, & artus inferiores in amplos sinus decenter collectos. Supra sternum acus inaurata ad configendum pallium, & circa juncturas Carpi, & Cubiti aurei limbi filamenta visebantur. Sacri Corporis longitudo erat palmorum romanorum 7 $\frac{3}{4}$.

Inde exhibet solemnem sacri Corporis recognitionem factam a D. De Paulis Archiatro Pontificis, & Notario dictatam, ex qua apparet, totum Corpus fuisse repertum, quamvis ossa ipsa essent longa ætate tot sæculorum, comminuta, & fere consumpta.

Apposite igitur harum inventionum, ac recognitionum, necnon Translationum Sancti Leonis I. certissima documenta hic apponenda duximus, ut liquido appareat, quàm juste Augustinus Oldoinus in additionibus ad Ciacconium, refellat quicquid de Corpore S. Leonis apud Petrogoricenses translato, referat Auctor M. R. Gallicani, parvo quidem, ac nullo fundamento nixus. Ait enim Oldoinus: *Contra laudatos Scriptores, qui S. Leonis I. Ossa in Vaticano ponunt, insurgit* Andreas Du Saussayus, *qui in supplemento ad M. R. Gallicanum, Roma ad Gallos deductum, S. Leonis I. Romani Pontificis Corpus scribit, ibique 3. Idus Aprilis hæc habet.*

Natalis S. Leonis Papæ cognomento Magni, cujus Corpus, tot Divinorum mirabilium instrumentum, lapsu temporis Roma in Aquitaniam translatum in majori Petracoricorum Ecclesia, unà cum sacris ossibus S. Patrocli, & S. Sabinæ Virginis Sixtus PP. IV. in suis Bullis quiescere testatur, quibus expositis subdit Oldoinus: Ego vero pro pace tanti viri, potius illis essentior Scriptoribus, qui Romæ S. Leonis Corpus esse affirmant, quàm uni Saussayo; neque Sixtum IV. ad externos Corpus illud, seu illius partem concessisse, affirmare quis poterit, dum tempore Pauli V. integrum in Vaticano Romanæ Urbis incolæ oculis usurparunt. Hæc Oldoinus: Nos vero addimus, post totius sacri Corporis recognitionem superius relatam a Præsule Blanchino; sensum quoque proferimus Papebrochii, ab eo prolatum in Notis ad Vitam S. Leonis sub die 11. Aprilis, videlicet hujusmodi Bullæ Pontificum, sicuti ex bona fide supplicantium, iisdem plerumque verbis concipiuntur, *quibus supplicatio concepta fuerat: ita non majorem habet in re historica certitudinem, quàm ea monumenta, quorum fidei innituntur, quando scilicet factum aliquod sic attingitur per Bullam, ut non intendatur ipsius facti confirmatio serie veritatis examine facienda, quod in ejusmodi incidentibus casibus, fieri non consuevit.* Hæc Papebrochius.

Porro nos quoque haud semel conspeximus Summi Pontificis Brevia, in quibus ad instantiam alicujus loci Pii cavetur alienatio, seu extractio ab ea Ecclesia, aut loco Pio plurium Reliquiarum Sanctorum, quæ ibidem servatur, ibi expresse additum legitur: *Non intendentes, per hoc, hujusmodi Reliquias approbare.*

Majori tamen conatu insurgit *M. Antonius Guerrini in lib. 3. Compendii Historici Eccles. Ferrariæ*, ubi refert Corpus S. Leonis Papæ I. anno Christi 755. a Stephano PP. III. dono datum fuisse Anselmo Aistulphi Longobardorum Regis Cognato, una cum Reliquiis S. Silvestri PP., ad hoc, ut Regis animum crudelem demulceret. Quæ pignora, ut ait, collocata fuerunt Vicoventiæ a Ferraria x. millibus passuum dissitæ; & hinc anno 1081, sedente Gregorio PP. VII. translata Ferrariam, & in Ecclesia Sancti Stephani deposita, ubi in marmore legitur.

Hic requiescit Corpus S. LEONIS Pontif. & Sacerdotis Christi translatum huc Vicoventiâ sub Gratiano Ferrariensi Episcopo An. Domini M. LXXXI. vi. Kal. Martii Indict. 4. cujus rei causa, indicta supplicatione per venerabilium Sacerdotum Collegium religiose eodem loco eadem ossa reposita sunt, eodem anno idibus Julii.

Franciscus Maria Torrigius in additionibus ad suas Cryptas Vaticanas pag. 543. referens suprascriptam Inscriptionem Guerrini, id componere studuit, si accipiantur pro Corpore S. Leonis aliquot ejus Reliquiæ, vel *Primi*, aut Secundi ejus nominis.

At præter ea, quæ diximus, ubi de Corpore S. Silvestri Pontificis, quod pariter ab eodem Papa Stephano III. concessum, dicitur, eidem Anselmo Abbati Nonantulano, hic etiam addimus, quod inverisimile videtur, Stephanum eodem anno dono misisse Cognato Aistulphi Regis hæc sacra pignora, ad hoc, ut Regis animum demulceret, cum & ipse Rex eodem tempore & anno, valido exercitu, Romam obsideret quem sciret, fœdifragum, in profundum iniquitatum fuisse prolapsum, cuncta sacra loca devastantem, sacras Imagines igni tradentem, sacrosanctum Domini corpus polluentem, Monachos plagis laniantem, sanctimoniales contaminantem, in Ecclesiasticos, laicosque

Vi-

Viros utriusque sexus, nullum impietatis, & crudelitatis genus non exercentem, ut fuse explicat Baronius ad prædictum annum Christi 755. nec ulla adesset spes, ut tam ferrea Bellua demulceri posset a S. Viro Anselmo uxoris suæ fratre, a quo tam dissimilis erat, & pietate, & religione. Imo potius idem Stephanus omni spe destitutus eodem ipso anno per Epistolas Pipini Regis Franciæ, & filiorum ejus auxilium contra hostem illum Dei, & Ecclesiæ imploravit: quibus permotus Pipinus cum exercitu in Italiam venit, impiumque, ac fœdifragum Aistulphum devicit, qui anno sequenti justo Dei judicio percussus in venationem pergens defunctus est. Quis igitur sibi suadere poterit in tanta rerum perturbatione Stephanum potuisse huic negotio incumbere, & spem habere, ut ex hoc aliquid sperare posset boni, ex intercessione Anselmi?

Pugnant quoque historici inter se; nam Auctor Historiæ Nonantulanæ tradit, Corpus Sancti Silvestri eo delatum ab Anselmo anno Christi 753. Sed Guerrinus in Compendio Historiæ Ferrariæ, tradit dono datum fuisse Corpus S. Leonis PP. I. a Stephano III. una cum Reliquiis S. Silvestri. Quæ pignora, ait, collocata fuerunt Vicoventiæ, sed auctor vero Historiæ Nonantulanæ, nulla facta mentione de Corpore S. Leonis, sit Corpus S. Silvestri in Nonantulano Cœnobio fuisse collocatum.

Sed ex antiquis, recentioribusque Corporis Sancti Leonis Magni inventionibus, & ocularibus inspectionibus patet, nullatenus posse contendi, quod Torrigius innuit, nempe, quod pro Corpore S. Leonis accipi valeant Reliquiæ Sacri Corporis. Et hoc argumento refelluntur Scriptores, qui tanti Pontificis Reliquias indicant coli in diversis Ecclesiis, extra Urbem, ut Jacobillus, qui partem brachii tradit servari Perusiæ in Ecclesia Minorum Conventualium, Giambonus, qui scribit, ejusdem Sancti Pontificis haberi Reliquias in Metropolitana Florentiæ, & in aliis Ecclesiis ejusdem Civitatis, necnon alii plures. Sed præcipue P. Philippus Ferrarius rejiciendus est, dum in indice SS. sui Catalogi ita scripsit: *LEO PP. I. CORPUS NEAPOLI in Ecclesia S. Laurentii*, quæ omnia fabulose, vel æquivoce accepta fuisse patent.

S. LEONIS PP. II.

Corpus hujus S. Leonis tumulatum fuit in Basilica S. Petri unà cum Corpore S. Leonis Magni, quod translatum fuit in novum Templum, ut supra explicavimus anno 1607. Sed Giambonus in Diario Florentino edito 1700. tradit, Cranium hujus S. Leonis II. servari Florentiæ in sua Ecclesia, & Maxillam in Ecclesia S. Michaelis Visdomini.

S. LEONIS PP. III.

Corpus ejus tumulatum fuit in Basilica Sancti Petri unà cum aliis duobus ejusdem nominis SS. Pontificibus, nempe Primo, & Secundo, cum quibus etiam in novum templum translatum est, ut jam superius explicavimus.

Piazza in Ephemer. Vatic. pag. 637. refert, Reliquiam hujus S. Leonis II. ab Adriano II. dono missam fuisse Salomoni Angliæ Regi.

S. LEONIS PP. IV.

Corpus ejus sepultum fuit in Vaticano unà cum aliis tribus Leonibus Sanctis, & in novum templum translatum est, uti in S. Leone I. vidimus. Ex quo notat Oldoinus in suis novis additionibus ad Ciacconium, erroris coargui posse Andream Saussayum, in Supplemento sui Martyrologii Gallicani, affirmantem hujusce S. Leonis Corpus Roma in Gallias translatum ad Ecclesiam Monasteri Sancti Petri Condomiensis; licet Julii PP. III. litteras ad præfatum Monasterium missas pro sua sententia afferat. Verum addit Oldoinus: *vel litteræ illæ laudatæ, falsæ sunt, vel partem aliquam hujusce sacri Corporis a Romanis Pontificibus Galli religiosissimi obtinuere*. Rejiciendum quoque est testimonium Ferrarii, qui in indice Sanctorum præfixo ad Catalogum Sanctorum Italiæ ita scripsit: *LEO PP. IV. Corpus in Ecclesia Sanctorum Quatuor Coronatorum*.

S. LEONIS PP. IX.

Corpus hujus S. Pontificis anno 1054. sepultum fuit intra Basilicam S. Petri inter portam Ravignanam, & Argenteam, cujus sepulchrum aderat in veteri Basilica, ubi erat Altare, in quo Missæ celebrabantur pro defunctis, sub quo Corpus ejus jacebat, quod in ruina ipsius partis Ecclesiæ repertum fuit in Arca marmorea, & ingentis fuisse staturæ deprehensum fuit, nam a pedibus usque ad caput erant palmi novem. Hoc sacrum pignus solemni processione translatum fuit in novum Templum Vaticanum, anno 1606. & in capsa plumbea, alia Cupressina cooperta collocatum fuit in Altaris absida vergente ad meridiem, ubi jacet.

Ferrarius in Indice Sanctorum Italiæ tradit, Suessæ *in propria Ecclesia* haberi Brachium: quod documento tamen non probat.

§. XXXIX.

De Corpore, & Reliquiis S. SILVERII *PP. & M.*

EJus memoria colitur in Martyrologio Romano ad diem 20. Junii, ubi legitur: *Natalis S. Silverii Papæ, & Martyris, qui cum Anthimum Episcopum hæreticum ab Agapito prædecessore suo depositum restituere noluisset, agente impia Theodora Augusta, a Bellisario in exilium pulsus ad Insulam Pontiam, ibidem pro Fide Catholica multis ærumnis confectus defecit*. Baronius autem in Annotationibus subdit: *Licet hæc de Insula Pontia in lib. de Roman. Pontif. scripta habeantur: tamen Liberatus Diaconus, qui eodem sæculo claruit, in Breviario Hæresis Nestorianæ, & Eutych. cap. 22. aperte testatur S. Silverium missum fuisse in exilium Patarum Liciæ: sed loci illius Episco-*

scopo, apud Justinianum agrate, Romam reverti jussum, ob adversariis in Palmaria Insula esse detentum, illicque custoditam inedia defecisse. Hac enim scribebat Liberatus, ac de Pontia Insula, verbum nullam faciat existimamus (nisi sit error in Codice) ipsum errasse in nomine Insulæ, cum sibi proximæ, ac Palmariam loco Pontiæ posuisse. Hæc Baronius.

Verum Anastasius Bibliothecarius aperte scribit, Silverium missum fuisse in exilium in Pontias (alibi ad Pontianas) nempe Insulae, ubi & mortuus, sepultus est ibidem 12. Calendae Julii. At, cum Liberato magna sit adhibenda fides, cum Baronio sentiendum videtur, quoad sepulturam S. Silverii, unam pro altera Insula accipiendam, nempe *Palmariam*, loca *Pontiæ*, nam Liberatus cujus testimonium, quoad Acta S. Silverii, relata in Actis Sanctorum Bollandianis ad diem 20. Junii, ait: *qui & sepultus in eodem loco &c.* ubi Papebrochius in Commentario §. 14. sic ait: *Ibi autem, idest in Insula Palmaria, vel potius in Pontiarum primaria, quæ verosimiliter sola habebat Parochialem Ecclesiam, & Cœmeterium, cum cæteris sue, ut summum, oratoria essent, simul autem omnes non merebantur habere Episcopum sed sub Terracinensis in proxima continente Episcopi jurisdictione, degerent: ibi, inquam occurrit multitudo male habentium, & salvantur* ut ait Liberatus.

Certe tres Insulæ in eodem tractu Maris Thyrreni habentur, quarum prima Pontia, altera Palmaria, seu Palmariola, tertia *Pandataria* appellantur, & has breviter describit *Baudrand in suo Lexico Geographico*, ubi tradit, eas plurali numero appellatas fuisse *Pontias*; & Palmariam mele a quibusdam cum Pandataria censentur, & Pandatariam, dictam vulgo S. Maria, quæ omnes, ut testatur Papebrochius communi nomine appellantur Pontiæ, seu Pontianæ Insulæ, easque Insulas olim Monachis repletae tradit, agens de Pandataria, ubi ait, *eratque olim Monachis repleta, uti & aliæ Insulæ in eodem tractu*.

Celebres itaque hæ Insulæ fuerunt ob exilium illustrium Civium Romanorum, celebriores vero exilio plurium Sanctorum Martyrum inter quos S. Silverius PP. enumeratur, qui sui sacri Corporis sepulturà deserta illa loca sanctificavit. In prædicta igitur Insula Pontia nos anno 1748. locum vidimus in quadam planitie ad oram maris extensa, ubi aderat monasterium, num ruderibus, ubi etiam conspiciuntur parietes & forma Ecclesiæ, & locum ubi aderat Cœmeterium, sed omnia ruderibus oppleta, ubi creditur depositum olim extitisse Corpus S. Silverii: locus amplus, & aptus ad Monasterii commoda præstanda.

Mirum esse potest Corpus hujus S. Pontificis non fuisse paulo post ejusdam exitum inde extractum, Romamque perductum. Sed huic difficultati occurrit Papebrochius, considerans, quod non minus res Ecclesiæ, quàm Imperii dirè turbatæ essent propter Gothorum, Gothorumque inter se bella, ut nemo curaverit hujus Corporis translationem: Ibidem remansisse sacrum Corpus Sancti hujus Pontificis probabiliter creditur etiam sæculo Christi nono, ex conjectura, quòd Anastasius Bibliothecarius, qui Vitas Romanorum Pontificum collegit usque ad Nicolaum I. qui sedit anno 854. indicet miracula, quæ operabantur ad ejus sepulchrum, ita scribens: *Ibique occurrit multitudo male habentium, & salvantur.*

In ea Insula extitisse Monasterium, & Abbatiam Ordinis Cisterciensis, usque ad finem sæculi XIV. eruitur ex Ughellii tom. 6. Italiæ sacræ, pag. 682. primæ edit., ubi refert Antonium ejus Abbatem creatum fuisse Episcopum Suessanum, ann. 1392. Hujus Abbatiæ meminit P. Augustinus Lubin *in brevi notitia Abbatiarum Italiæ litt. P. pag. 305. sub Tit. Abbatia S. Mariæ de Pontia, alias Pontia, sive Insulæ Pontianæ Ordinis Cisterciensis*; Et de ea scripsisse ait, Carolum de Visch in Indice Abbatiarum ejusdem Ordinis: eamque recensere Gasparem Jongelinum de Abbatiis Italiæ ejusdem Ordinis n. 13.

Addit etiam Papebrochius: *Nemo curavit inde referre Romam demortui Corpus, nemini etiam cura fuit ibidem, sæculis aliquot consecutis annuatim ejus commemorationem stabilire.*

Nullibi igitur apparet hujus S. Pontificis factam fuisse Reliquiarum translationem, unde merito idem Papebrochius contemnit, quod absque ullo documento, & fundamento scripsit Carolus Bartholomeus Piazza in suo Sanctuario, seu Menologio Romano perpetuo ann. 1675. *S. Silverii Festum ad S. Petrum, ubi ejus creditur sepultum Corpus: Et ad S. Mariam Majorem ejus haberi, & exponi Reliquias*: Nam credulitas ista admodum recens est: siquidem nec *Romanus* Vaticanæ Basilicæ Canonicus, qui ejus descriptionem sub Eugenio III. composuit, neque Paulus de Angelis, qui eamdem sub Innocentio X. adnotationibus auxit, atque in lucem protulit, Silverii meminerunt inter eos, quorum Corpora suo tempore requiescebant in Vaticano. Tacent etiam de Silverio Octavius Pancirolus in Thesauris absconditis Almæ Urbis, & in libris septem Ecclesiarum, Onuphrius Panvinius, Pompejus Ugonius, & Joannes Severanus. Neque de Reliquiis S. Silverii in Ecclesia S. Mariæ Majoris ullam mentionem facit Paulus de Angelis in descript. M. Majoris.

Errorem, ut ego puto hausit memoratus Piazza ex eo, quod in Ecclesia S. Stephani Abissynorum, quæ est post Absidam Basilicæ Vaticanæ est Altare ipsi S. Silverio dicatum cum Imagine ipsius Pontificis. Ex quo forsan ipse Piazza opinatus est ibi quoque servari ejus Corpus.

Neque standum est assertioni Pauli Massini in sua Bononia perlustrata, ubi ad diem 20. Junii S. Silverii PP. ait, Reliquias haberi ibidem in Ecclesia S. Stephani; neque Catalogo Reliquiarum Cathedralis Verulanæ, in quo inter alias recensentur Reliquiæ Sancti hujus Pontificis. Cum de certitudine earumdem Reliquiarum nullatenus constet ex certis documentis, & nulla prorsus nobis occurrat Inventionis ejusdem Corporis memoriæ, vel translationis vestigium; Hinc ab antiquioribus, qui ante Cistercienses Monachos, ibidem habitabant, sacrum

eum S. Silverii Corpus in aliquo abdito loco occultatum fuiſſe exiſtimatur, cum maxime Inſulæ illæ paterent incurſibus Africanorum prædonum: nam ſi ab iiſdem, vel a Ciſtercienſibus aliò fuiſſet translatum, procul dubio aliquod documentum, eum eo reliquiſſent.

In perquirendo itaque ſacro Corpore ſpecialem impendit curam Reverendiſſimus Fr. Joachim Maria Oldua Epiſcopus Terracinenſis in prima ſua Paſtorali viſitatione perſonali earumdem Inſularum, & maxime inter ruinas, & rudera antiquæ Eccleſiæ, & Monaſterii Inſulæ Pontiæ, ſed omnis labor irritus fuit, cum nullum veſtigium ipſi reperire licuerit. Cum vero anno 1748. quadrageſimali tempore quemdam Religioſum Cappuccinum ad pauca illas animas Verbo Dei paſcendas miſiſſet, & cum in ſitu loci illius non longe a Cœmeterio antiquo reperta fuiſſet a Colono, quædam tabula marmorea longit. palm. circ. octo, & 4. latitudinis abſque tamen ulla Inſcriptione, vel ſigno, in profunditate palm. circ. 7. & non longe ab ea paries lineamentis paralellis diverſorum colorum, Fr. Capuccinus, unà cum Rev. D. Alexandro Jacono Parocho, & Archipresbytero ſtatim ſuſpicati ſunt, ſub eo lapide abſconditum delituiſſe Corpus S. Silverii. Hoc cum accepiſſet Epiſcopus, per Epiſtolam datam Eminentiſſimo, ac Reverendiſſimo Domino Cardinali Valenti primo SS. D. N. Miniſtro, monuit, reperta fuiſſe indicia manifeſta loci, in quo ſervari crederetur ſacrum pignus, cumque per ætatem ſibi non liceret Mare trajicere, dignaretur Sanctitas Sua quemdam expertum Virum eo dirigere, ut omnia inſpicere, & recognoſcere poſſet, & cuncta complere, quæ in re tanti momenti congrua viderentur.

Sanctitas vero Sua ſtatim injunxit, ut Terracinam me conferrem, & audita Epiſcopi informatione, in Inſulam trajicerem, & cuncta lineo oculo ſcrutarer, & ad ea quæ neceſſaria mihi viſa eſſent procederem. Nullum itaque in facie loci congruum reperi ſignum, & amoto lapide marmoreo ſub eo nihil apparuit, etiam regeſta terra, ſeu ſabulo, ad 5. circiter palmos. Hinc inceptum opus deſerere oportuit. In animo poſtea fuit perquirere in loco proximiori antiquæ Eccleſiæ retro abſidam, ſed cum Colonus id fieri poſſe negaſſet abſque licentia Domini, nempe Regis Neapolitani, nec cum tam cito id poſſet obtineri, res dilata fuit: Et hæc a me peracta fuerunt ſub initium menſis Maji prædicti anni 1748.

§. XL.

De Corpore, & Reliquiis S. GREGORII MAGNI *PP. & Confeſſoris.*

SAncti hujus Pontificis Corpus ſepultum fuit in extrema Porticu Baſilicæ S. Petri ante Secretarium (quod nunc S. Mariæ de Febri dicitur,) ut ſcribit Joannes Diaconus in ejus Vita, referens Epitaphium, quod legitur apud Baronium Annal. To. 8. anno 604, & apud Oldoinum in nov. addit. ad Ciaccon., necnon apud Severan. in Edit. Romæ ſubterr, pag. 93. quod incipit:

Suſcipe terra tuo Corpus de Corpore ſumptum,
Redde quod valeas &c.

Petrus Mallius in Deſcript. Baſilicæ Vaticanæ addit conditum fuiſſe inter Columnas Porticus, & eidem Epitaphio addita quoque hæc verba extitiſſe,

Hic requieſcit S. GREGORIUS Primus PP.
Qui ſedit Annos XIII. M. VI. Dies X.
Depoſitus IV. Idus Martias.

Hinc argumentari licet in eadem Porticu, tumulata fuiſſe cætera Pontificum Corpora prædeceſſorum, uſque ad S. Leonem I. Nam ſi intra ipſam Baſilicam tumulari cœpiſſent, abſque dubio intra illam depoſitum quoque fuiſſet Sancti Gregorii Corpus, & ſanguinis ſplendore, & Sanctitate clariſſimi. Gregorius igitur IV. (qui ſedere cœpit anno Chriſti 827. teſte Anaſtaſio Bibliothecario) inde levatum intra ipſam tranſtulit, & collocavit ſub B. Andreæ Altari. Hujus translationis meminit laudatus Joannes Diaconus, (qui floruit anno Chriſti 872.) ita ſcribens lib. IV. cap. 80. *Hujus Beatiſſimi Gregorii venerabile Corpus a Gregorio IV. Sedis Apoſtolicæ Præſule, poſt annos centum vigintiquinque translatum ante novellum Secretarium, conſtructis abſidibus, ſub Altari ſui nominis collocatur, quo ejus anniverſaria ſolemnitas cunctis certatim pernoctantibus, veneratione gratiſſima celebratur, in qua Pallium ejus, & filacteria, hoc eſt Crux pectoralis reliquiis referta, ſed & baltheus ejus conſuetudinaliter oſculatur.*

Anno deinde MDCV. detectum fuit, & repertum in arca lignea clauſa intra concham ex marmore vulgo appellato *Granito Orientale*, albo-nigro; Corpus inventum fuit in fragmenta oſſium, ac cineres redactum, cum fruſtulis antiquæ ligneæ arcæ, in qua ab initio, ſepultum fuerat in porticu. Hæc poſtea arca lignea, quæ continebat corpus ſancti Pontificis, depoſita fuit in aliam cupreſſinam, ac ſolemni Proceſſione translata die Dominico 8. Januarii anni 1606. in novum Templum Vaticanum, & collocata in Altare primarium Sacelli, quod rectà reſpicit Sacellum Gregorianum B. V. & propriis manibus Cardinalis Cuſentini Archipresbyteri depoſita intra Sarcophagum marmoreum, hac illi plumbea Inſcriptione ſuperpoſita,

Sancti Gregorii Magni Papæ Primi Corpus ex Altare Sancti Andreæ, ſito in reliqua jam collabente veteris Eccleſiæ parte, Pauli Papæ V. juſſu motum, & in novum Templum ſolemni proceſſione illatum, ſub hac Ara, capſa cypreſſina inclufum Pilo marmoreo collocavit Evangeliſta Pallottus Tit. S. Laurentii in Lucina Cardinalis Cuſentinus hujus Baſilicæ Archipresbyter Anno MDCVI. die viij. Januarii Dominica infra Octavam Epiphaniæ, Pontificatus ejuſdem SS. D. N. Anno primo.

Meritò igitur P. Auguſtinus Oldoinus in novis Additionibus ad Ciacconium obſervat, a veritate longe recedere *Ludovicum Jacobum a S. Carolo*, ſcribentem, Corpus hujus ſancti Pontificis e Vaticano deductum fuiſſe ad Monaſterium S. Andreæ in Cœlio Monte (quod appellamus S. Gregorii, & ſub Altari S. Andreæ poſitum.

situm. Fortasse deceptum, & in errorem lapsum, quod Romæ ibidem brachium ejusdem S. Gregorii veneramur: sicuti etiam Romæ ejusdem Sancti coluntur Reliquiæ in Ecclesiis S. Cæciliæ Transtyberim, S. Praxedis in Montibus, & S. Marcelli. Sicuti etiam monet idem Oldoinus Romæ in Vallicellana Deiparæ Virginis æde, eidemque Magno Gregorio dicata, sedente Leone XI. conspicitur venerandi Capitis pars aliqua, argentea theca inclusa, sibi a Bernardino Cardinale Spada ex Gallia transmissa, cum apud Ludovicum XIII. Galliarum Regem, Nuncii Apostolici fungeretur officio.

Contra tamen certissima superius allata documenta Basilicæ Vaticanæ, insurgit *Andreas Saussajus* in suo Martyrologio Gallicano, sub die 12. Martii, ubi de S. Gregorio Magno Papa, hæc habet: *Cujus sacrum Corpus, Suessione, in Monasterio S. Medardi, magno honore repositum est. At Senonis caput ejusdem venerandum condigno cultu servatur in Monasterio S. Petri, ubi ab Ansegiso Metropolita hujus sedis, quod Joannis Papæ dono acceperat favore Caroli Calvi Regis Christianissimi, & Imperatoris, dudum religiosa pompa reconditum fuit.*

Sed monumenta Basilicæ Vaticanæ, omnino dubiam reddunt, si non & absolute falsam Translationem S. Gregorii PP. I. in Suessionense Monasterium, sed quoad Caput ejusdem acceptum ab Ansegiso Episcopo Senonensi favore Caroli Calvi, qui Romam a PP. Joanne VIII. Pontifice veniens, ab eodem coronatus est Imperator, anno Christi 875. nullum porro ab eodem Saussajo exhibetur documentum. Sed cum hac relatione pugnat omnino aliud documentum, quod legitur in Vita S. Gebehardi Episcopi Constantiensis, apud Surium 27. Augusti, relata etiam in Collect. antiquarum lectionum Canisii to. 16. c. 13. ubi legitur: *Inter cæteras Reliquias, quas idem Pontifex beato Viro dederat, Caput quoque sanctissimi sibi condonavit Gregorii* (*idest Magni*). Inde sequitur auctor narrare, quod S. Gebehardus, timens, si id foret notum Romanis, statim exiit Roma ad suam reversurus Ecclesiam. Sed cum Populus Romanus id rescivisset, statim illum sequutum esse, ut sacrum pignus recuperaret: tandem, cum sanctus Vir ad oram Padi fluminis pervenisset, & se a Romanis insequutum agnosceret, timens oravit, ac super aquas illud mirabiliter trajecit, quod videntes Romani, stupore perculsi, Romam reversi sunt. Hanc historiam ex eodem Canisio to. 3. refert Baronius ad annum Christi 989., quo erat Pontifex Romanus Joannes XV.

Ad componendas hujus de Capite S. Gregorii Magni, sufficeret si unicuique prætensorum pars aliqua Capitis ejusdem concessa fuisset, quæ pro toto capite fuerit accepta.

In parvo *Chronico Ecclesiæ SS. Simonis, & Judæ* erectæ ab Henrico II. Imperatore Goslariæ in Saxonia, relato to. 2. Scriptorum Brunswicensium pag. 532. legitur ibidem inter cæteras Reliquias Sanctorum ab eodem Imperatore delatas, extitisse quoque magnam partem Corporis S. GREGORII Papæ; verum haud exprimitur hujus ne primi, an alterius.

Refellit quoque Oldoinus in Additionibus; quod de quodam Epitaphio sito ad nobile monumentum in citeriori Hispania haud admodum longe ab Hispali, in loco, qui vulgo dicitur, *Alcalà del Rio*; in quo mentio fit de quodam famulo Dei Gregorio, quem aliqui existimant, hunc esse Gregorium Pontificem Romanum; sed hoc nulli nixi fundamento, & esse merum commentum.

Romæ in Basilica Vaticana, præter Corpus in suo Altari, servabatur quoque Brachium hujus sancti Pontificis in argenteo vase crystallo cooperto, effigie argentea ejusdem exornato: sed hoc periisse in direptione Urbis anno 1527. sub Clemente VII. constat ex monumentis illius Basilicæ, & ex his, quæ annotavit Torrigius in suis Cryptis Vaticanis.

In lapide Consecrationis Altaris S. Thomæ in Parione paracta ab Innocentio PP. II. de anno 1139. legitur adhibitum fuisse Brachium hujus S. Pontificis, necnon Reliquias ejus adhibitas fuisse in Consecratione Ecclesiæ S. Mariæ in Cappella ad Ripam Tyberis, habetur in lapide ejusdem Consecrationis ibidem adhuc affixo.

Aliis in locis, & Ecclesiis tum Urbis, tum extra Urbem leguntur servari hujus S. Doctoris Reliquias, id est parva frustola ossium, quæ longum esset enumerare; quibus sola fides proficiat.

Bollandiani ad diem 20. Januarii, atque 12. Martii narrant, quod anno 826. Rodericus Presbyter Monasterii S. Medardi Suessionen. impetraverit ab Eugenio PP. ad preces Ludovici Pii Imperatoris, Corpus S. Sebastiani M., ac etiam, corruptis pecunia custodibus, fraudolenter surripuisse, & in Galliam detulisse Corpus S. Gregorii Magni. Hoc tamen referunt ex testimonio Anonymi cujusdam contemporanei, quod tamen rejiciendum esse ex circumstantiis omnino dignoscitur.

Addam extremo loco in Ecclesia Abbatiali Montis Amiati in Diœcesi Clusina, celebratum extitisse vetus, ac novum Testamentum, seu volumen sacrorum Bibliorum scriptum manu ejusdem S. Gregorii Magni, ut refert Ughellius Tomo 3. Italiæ Sacræ de Episcopis Clusinis.

SS. GREGORII II. & III. Pontificum Corpora deposita fuerunt in Basilica Vaticana, ubi requiescunt. De utriusque sanctitate habet M. R. primi, idibus Februarii, alterius vero ad 28. Novembris: nec utriusque alio translata Corpora reperiuntur, & in ea Basilica Officio duplici coluntur.

S. GREGORIUS PP. VII. Decessit hic Sanctus Pontifex anno 1086. Salerni, ubi Corpus ejus colitur sepultum in Basilica S. Matthæi ejusdem Civitatis.

Hieronymus Giglius in suo Diario Senensi sub die 25. Maji tradit ejusdem Brachium servari honorifice in ejusdem Metropolitana Cathedrali.

B. GREGORIUS PP. X. anno 1276. absoluto in Gallia Concilio Lugdunensi revertens in Italiam, Aretii in Toscia die x. Januarii naturæ tributum solvit. Corpus ejus tumulatum fuit ibidem in Ecclesia S. Donati, ibique in Mausoleo insigni integrum adhuc, & incorruptum cor-

colitur SS. D. N. BENEDICTUS PP. XIV. anno 1748. in nova editione ejusdem illius nomen apposuit in Martyrologio Romano sub die 16. Februarii, habuitque integram relationem ejus Causæ in egregio suo Opere de Canonizatione Sanctorum &c.

§. XLI.

De Translatione Corporis S. MARTINI *PP. & M.*

SAnctus hic Pontifex in Chersonsm Insulam vinculis constrictus ob Catholicam Fidem relegatus, ærumnis confectus, miraculis clarus, vitam sanctissimè complevit die 16. Septembris anni 654.

Ex Actis, quæ extant in Collectaneis Anastasii Bibliothecarii, quæ citantur a Pagio in Breviario, habetur, *ejus Corpus positum fuisse in tumulis Sanctorum extra muros Urbis Chersonensis*: mox subditur, *translatum indicatur Constantinopolim, ac depositum in Templo B.V. M. quod cognominatur in Blachernis, quasi stadio uno* (nempe ab ea Urbe) Baronius in Notis ad diem 12. Novembris indicat, de die Natalis ejus diversas sententias, variasque lectiones, confundentes diem obitus cum die Translationis sacri Corporis ad Urbem inde sequitur; *Est Romæ celebris memoria ejusdem, quæ Equitii Titulus dicitur, ubi reconditum est venerandum Corpus ejus positum sub majore Altari, unà cum Corpore S. Silvestri Papæ a Sergio Juniore Romano Pontifice, ut docet vetus inscriptio in marmore sculpta.*

Quo tempore hoc tam celebre Pignus Sancti Pontificis Romam fuerit Constantinopoli translatum, adhuc reperire non licuit, immo & miramor, quod, cum Sergius, qui sedit anno 844. in sua Tabula tradiderit in ipso Altari recondidisse Corpora SS. SILVESTRI, & MARTINI, FABIANI, STEPHANI, & SOTERIS Martyrum, & Pontificum, Anastasius Bibliothecarius cum mentionem fecisset de cæteris in Vita ejusdem Sergii, nihil prorsus egerit de Corpore S.Martini; quod & notavit Pancirolus in Thesauris absditis Romæ, ubi de hac Ecclesia, neque de hac Translatione quicquam indicasse Adonem, & alios antiquos auctores in suis Martyrologiis. Verum non multo post id indicare videtur Anastas., cum tradit, eundem Sergium obtulisse tres Imagines de argento, auroque perfusas, unam Salvatoris nostri, & alias duas, nempe *Sanctorum Silvestri, & Martini sedentes super vestibulum sacri Altaris*: Cum vero non expresserit extitisse Summorum Pontificum, intelligi posset non Martini Papæ, sed Martini Confessoris, & Episcopi, cui, sicuti S. Silvestro, eadem Ecclesia dedicata jam erat, ut refert Baronius in Notis supradictis ad diem 12. Novembris: & idem Anastasius antea in ipsa Sergii vita annotaverit: *Ipse Beatissimus Papa pia devotione sollicitus pro desiderabili dilectione SS. Silvestri, & Martini Ecclesiam, quæ Sancte eorum nomini consecrata erat.* Sed cum idem Anastasius in ejus Vita tradat, Chersonæ Vitam terminasse, ibi ait: *qui & multa operatur usque in hodiernum diem*, & depositum fuisse die 17. Septembris, videtur nihil agere de Translatione ad Urbem, quæ in Martyrologio Romano antiquo celebratur die XII. Novembris, quæ forsan est dies Translationis Romam. Nihilominus testimonium lapidis Sergii II. in Equitii titulo nos dubitare non sinit de ejusdem Corporis in eodem depositione facta ab ipso Pontifice. Eo magis, quod præter Corpus, quod latet cum aliis pignoribus sub Ara ejusdem Ecclesiæ ibidem exponitur venerationi ipsius S. Martini Calceus unus, ac partes Stolæ, ac Manipuli. Calcei S. Martini PP. & M. necnon & alterius S. Silvestri, qui asservantur in eadem Ecclesia, formas æri incisas exhibet spectandas Angelus Rocca Episcopos Tagastensis Tom. II. suorum Operum pag. 379.

P. Gabriel Bucellinus in suo Sanctuario Benedictino ad 12. Novembris notat quidam Corpus S. Martini PP. depositum fuisse in Titulum S. Silvestri in Montibus de Urbe, sed addit: *Hujus Pontificis Corpus denique Fuldam translatum ibidem conquiescit.* Nempe in Cœnobio Benedictinorum. Idem quoque testatur Christophorus Brovverius in suo de antiquitatibus Fuldensibus, & in alio suo Opere *tit. Syderum illustr. Germaniæ*, qui in §. v. ad cap. VII. narrat se interfuisse ann. 1613. Jussione Ducis Bavariæ, aperitioni, atque recognitioni plurius ejusdem Abbatiæ sacrorum pignorum, & tunc: *Hoc etiam peculiare proprias cautas Sancti Martini Papæ & Mart. exuvias ibi repertas, ingenti vi pulveris sacri in sindonem collectas, ex clade, ut opinor incendii, & paucullis additis ossibus.*

§. XLII.

De FORMOSI *PP. Corpore.*

POst obitum Formosi Papæ, per Adelbertos potentissimos, deturbato quodam Bonifacio invasore Sedis Apostolicæ, suffectus est Stephanus VII. hic Formosum decessorem odio habens, quod se a Papatu prius consequendo, arcuisset, ejus decreta abrogavit, & sacrilegus in cadaver ejus fuit, ut constat ex Actis Synodi celebratæ postea a Joanne Papa IX. necnon ex Luitprando, & aliis auctoribus. Illud enim e sepulchro extractum, & in Sedem Romani Pontificis sacris vestibus indutum collocans, cum tamquam viventi exprobrasset, quod nimia ambitione, ex Portuensi Episcopo, Sedem Apostolicam occupasset, illud ipsum cadaver damnatum, sacrisque mox exutum vestimentis, ac tribus digitis quibus benedicere moris est, mutilatum, in Tyberim jactari jusserit, cunctosque, quos idem Formosus ordinaverat gradu deposuit, iterumque ordinavit: ac tam nefarium scelus, Synodo collecta, probavit, octavo post Formosi obitum mense. Quæ omnia Stephani Acta, jubente Concilio Romano sub Joanne IX. tanquam impia, & nefaria igni sunt tradita.

Magnæ sanctitatis Virum extitisse Formosum prædicat Anastasius Bibliothecarius in Vita Nicolai PP. I. & Luitprandus lib. 1. eum veræ Religione, divinarumque Scripturarum, & doctrinarum scientia clarissimum appellat, postea cap. 8. ait: *Quantæ autem auctoritatis, quantæque Religionis Papa Formosus fuerit hinc colligere possumus, quoniam dum a piscatoribus postmodum esset inventus, atque ad B. Petri Apostolorum Principis Ecclesiam deportatus Sanctorum quædam Imagines hunc in loculo positum venerabiliter salutarunt. Hoc namque a religiosissimis Romanæ Urbis sæpe audivi.*

Formosus igitur, quamvis nullo Sanctitatis titulo decoratus fuerit, veneratione dignus fuisse videtur, nam dum esset Episcopus Portuensis a Nicolao I. Pontifice missus fuit in Bulgariam, cum Populum in Fide instructurus anno 866. fuitque Legatus Apostolicæ sedis in Conventu Gandulphi Villæ. Et quamvis ex calumniis a Joanne VIII. fuerit damnatus an. 876. a Marino tamen ejus successore restitutus est an. 883. & an. 891. legitime renunciatus Pontifex; quem laudatissimum extitisse tum religione, tum morum integritate æque doctrina Luitprandus asserit, quem etiam Anastasius Bibliothecarius in Nicolai I. Vita magnæ sanctitatis Episcopum nominat: Estque ejusdem sanctitudinis, & doctrinæ egregium ex Epistolis Hincmari Rhemensis Archiepiscopi, quas Frodoardus (hist. Rhem. lib. 3. cap. 20.) testimonium, quæ etiam notantur in Annalibus Ecclesiasticis a Card. Baronio in superius indicatis annis.

§. XLIII.

De Corpore S. PII V. qui ultimo loco inter Sanctos relatus est.

SAnctus Pius V. ex Sacro Ordine Prædicatorum, Sanctorum Fastis ex numero Romanorum Pontificum a Clemente Papa XI. adscriptus fuit. Obiit Kal. Maji anni 1572. Corpus ejus in Basilica Vaticana primo depositum fuit in lateritio tumulo: inde a Sixto V. successore ad S. Mariæ Majoris Basilicam, & in sacrum sacellum a se regia structura, & impensa constructum, solemni pompa translatum fuit, atque in subterraneo SS. Præsepis Loculo ibidem depositum. Peracta tamen solemni Apoteosi ejusdem elevatum fuit Corpus S. Pii in partem superiorem ejusdem Sacelli, atque in Arca elegantissima speculis christallinis clausa, aliisque ornamentis conspicua, vestibus Pontificiis decoratum publicæ venerationi expositum fuit, sub ejusdem statua marmorea insigni opera sculpta, quam idem Sixtus illi erexerat in medio excellentissimi mausolei.

Occasione itaque ejusdem Corporis recognitionis, atque translationis, quicquid colligi potuit de ejusdem vestibus & cineribus, & ossiculis minutioribus, variis Ecclesiis, & aliis piis Viris pro ejusdem Reliquiis dispertitum fuit.

Postquam autem collocatum fuit sacrum Corpus sub mausoleo supramemorato, ad preces Reverendissimi P. Generalis totius Ordinis Prædicatorum Sanctissimus Pontifex Clemens XI. concessit, ut ex eodem sacro Corpore desumeretur integra una ex Costulis ejusdem transferenda ad Cœnobium illius Ordinis Patriæ Sancti Pii V. in Liguria, quam Boschum vocant, ubi eximia veneratione colitur.

§. XLIV.

De Sanctitate ADRIANI PAPÆ, unius ex tribus, qui hoc nomine sederunt ante Sæculum Christi X. & de nonnullis erroribus quorumdam Scriptorum circa Adriani I. Corpus ubi requiescat.

CUm nonnulla nobis occurrant de Sanctitate, saltem unius horum trium Romanorum Pontificum, ejusque Reliquiarum cultu, cum revera nullius horum mentio habeatur in antiquis Martyrologiis, nec constet a Sancta Sede Apostolica inter Sanctos adscriptum, necessarium duximus, quæ a variis Scriptoribus fuerunt adnotata, explicare.

Et primo loco, certum est Adrianum I. qui sedit Anno Christi 772. eximio Sanctitatis fulgore, etiam a puero præluxisse (ut diserte tradit Anastasius Bibliothecarius in ejus Vita) atque orationi diu, noctuque, necnon eleemosynis, & jejuniis incubuisse, atque in Diaconali Ordine constitutum, verbi Dei prædicatione, efficaci cura claruisse, itaut ex Sanctitatis ejus opinione fuerit omnium consensu ad Summi Pontificatus apicem electus, & in Sede collocatus, doctrina, pietate, zelo, & operibus vitæ, cum quovis optimo alio Pontifice conferendus. Hæc decora Carolus Magnus Imperator explicavit in sequenti Epitaphio a se composito, Romamque transmisso, & ad ejus Sepulcbrum posito in Basilica Vaticana: cujus tenor est apud Baronium To. 9. Annalium ad annum 775. & affertur quoque a Severano in Roma Subterranea Antonii Bosii, pag. quod incipit:

Hic Pater Ecclesiæ, Romæ decus, inclytus auctor &c.

Nihilominus Adrianum I. in Sanctorum numerum fuisse relatum, nulla certa habentur documenta (quod sciam.) Verum est tamen in quibusdam exemplaribus impressis Anastasii Bibliothecarii, & præcipue ex edito Moguntiæ anno 1602. ex Bibliotheca Marci Velseri n. XCVII. in quo hujus Pontificis vita describitur, ejusdem nomini præfixa est littera S, quæ solet *Sanctis* adscribi.

Leander quoque Albertus in Descriptione Italiæ narrat, Adrianum I. e vita anno Christi 795. migrasse, ejusque Corpus in Nonantulanam Abbatiam delatum, requiescere, illudque Nonantulanos uti Sanctum venerari, ejusque Celebritatis diem celebrare singulis annis VIII. Idus Julii, cujus lipsana sub Ara maxima jacere affirmant. P. Augustinus Oldoinus id tradit in novis suis ad Ciacconium additionibus, ubi etiam indicat haberi vetustissimum Codicem tum soluta oratione, tum etiam versibus, impolito tamen stylo conscriptum, qui in Nonantulana Ecclesia servatur: in eoque primum Versibus, postra

ftea Profa, hiftoriam deiationis Nonaotulam ejufdem Corporis adeffe. Sed hæc gratis afferta fuiffa a Leandro Alberti, elariffime demonftrat Pater Francifens Pagius in Breviario Romanorum Puntificum, ad calcem Vitæ Adriani §. LXI. ita fcribens: *Adrianum Romæ mortuum, & fepultum ex eo deducit Papebrochius, quia altera, quo obiit die, electus eft, & ordinatus Leo III. ejus in Petri Sede fucceffor; & erraffe, nominis identitate, deceptos Nonantulanos illos Monachos, qui Adriani Papæ in fuo Monafterio fepulti, mortem, & miracula deferibentes, ei aptarunt Vitam, & gefta Adriani Papæ Primi, tam profa, quàm carmine, in iis, quæ extant apud Ughellium monumentis: quem errorem corrigentes Pofteri venerantur fub Altari fuo majori collocatum Corpus Adriani Papæ III. quem conftat in Æmilia, peregre mortuum, & fepultum. Ita Papebrochius. Sed quidquid fit de Adriani III., Nonantulanorum traditionem de Adriano Primo, invicte deftruere mihi videtur Annalifta laudatus a Lambecio editus, cujus verba mox recitavimus: dum fcribit quod Carolus Magnus Adriani Epitaphium aureis litteris in marmore confcriptum jufferit in Francia fieri, ut illud partibus Romæ tranfmitteret ad fepulturam Summi Pontificis Adriani ornandam: qua idco fepultura erat Romæ, non vero in Ecclefia Monafterii Nonantulani.*

Errant quoque Nonantulani circa diem Natalis, feu mortis Adriani Primi: nam hic fuit non 8. Idus Julii, fed 26. Decembris. Nec etiam id aptari poteft Adriano PP. II., cujus dies emortualis fuit prima Novembris anni 827. ut habet Oldoinus, vel ut ipfa notat ex Panvinio Kalendis Octobris.

Error igitur palmaris fuit antiquorum Monachorum Nonantulanorum, qui Corpori Adriani III. in fuo Monafterio fepulto aptarunt quæ de Adriano I. celebrantur, & quod pejus eft, venerationem attribuerunt uti Sancto ab Ecclefia vindicato, cum nulli eorum jure competat hic titulus. Certum quoque eft, ex Baronio ad annum 887. hunc Adrianum III. obiiffe in Villa, quæ Vilcaacharu nuncupatur, ad Scultinium fluvium in Æmilia, cumque effet locus proximior Abbatiæ Nonantulanæ, in ipfa ejus Corpus fepultum fuit, & in hoc corrigendus eft Oldoinus, qui in Necrologio erronee fcripfit: *Sepultus in Bafilica S. Petri*, & alii cum eo, nec ullum adeft documentum, Corpus hujus Pontificis Romam fuiffe translatum. Hinc Pagius loco citato recte concludit. *Ex his corruit opinio Ciacconii fcribentis, Adrianum III. in Bafilica S. Petri fepultum effe. Corruit & Nonantulanorum Monachorum traditio, cui Ughellius To. 6. Italiæ Sacræ de Epifcopis Mutinenfibus adhæfit, exiftimantibus Adrianum Primum in fuo Monafterio fepulturam accepiffe. Non enim Adrianus I., fed Adrianus III. eo in loco fepulturam nactus eft.* Quæ vero ad Monomenta Cœnobii Nonantulani, animadvertendum eft id, quod fcribit Oldoinus in fuis novis Additionibus ad Ciacconium: nempe fub Leone PP. V., qui fedit anno Chrifti 903. Hungarorum gentem ferociffimam, cum plurima loca devaftaffent, tum in primis Monafteria omnia extra Urbem pofita incendiffe, præcipue autem Nonantulanum S. Silveftri, & S. Stephani Bononiæ.

Nonnulla vero confideranda hic funt, quæ indicant cultum Adriani PP. I. (ut credimus.) Et primo loco rejiciendum eft quod fcribit Ugonius de Urbis Stationibus, ubi de Ecclefia Sancti Grifogoni in regione Tranftyberina, nam agens de Reliquiis ejufdem inter cæteras indicat de SS. Sixto, & Adriano Pontificibus: fed cum ipfemet auctor, indicet Reliquias adhibitas in Confecratione ejufdem Ecclefiæ an. 1123. a Joanne a Crema Cardinali ejufdem Tituli, clare apparet hallucinatum fuiffe: nam verum eft inter eas enunciatam effe Reliquiam S. Adriani, fed non Pontificis: nam in ipfo lapide, ut diligenter infpeximus, fic fcriptum eft, uti deprehendimus ADRIANI T. M̄. unde legi debet *S. Adriani Tribuni Martyris*, non vero Pontificis. Hujus quoque lapidis exempla retulit Severanus in libro de VII. Urbis Ecclefiis pag. 313. Sed cum illic tres ultimæ lineæ difficulter confpiciantur, filentio hoc nomen præteriit una cum titulo *Pontificis* eidem addito ab Ugonio fupramemorato.

Sed amphibologiam omnino tollunt monumenta Ecclefiæ S. Laurentii in Lucina. Præ foribus ejus extat lapis marmoreus, in quo legitur, quod in Altari majori ejufdem Ecclefiæ, inter alias reconditæ fuerunt Reliquiæ SS. MARTINI PP. ADRIANI PP. &c. In lapide vero Confecrationis ejufdem Ecclefiæ, qui modo extat affixus in porticu illius,) peractæ de anno M. C. XCVI. ab ipfo Pontifice Cæleftino III. notantur quidem Reliquiæ Adriani, fed abfque titulo *Pontificis*. Verum de anno 1675. cum fub die 31. Octobris coram Eminentiffimo D. Cardinali de Carpineo Vicario Pontificis aperta fuiffet urna marmorea extante fub prædicta Ara majori, inter cæteras reperta fuit plumbea lamina, in qua fere gothicis, & impolitis litteris, hæc infcriptio apparuit:

Reliquiæ Sanctorum Cefarii Diac., Martini PP., ADRIANI PP., Juliani M. &c. Cum itaque hæc lamina plumbea inclofa a Cæleftino III. clare oftendat has Reliquias habitas fuiffe pro pignoribus *Adriani PP.* in dubium revocari non poteft, ejufmodi quoque indicatas fuiffe in lapide Cœleftini III. Hæc omnia vifuntur in quodam Opufculo edito anno 1675. in 8. a R. D. Vincentio Guicciardi tum Cuftode Sacrorum Reliquiarum, dicato ipfi Eminentiffimo Cardinali Carpineo, qui huic recognitioni interfuit.

In Ecclefia Parochiali S. Thomæ ad Cincina de Urbe, extat lapis Confecrationis Altaris ejufdem S. Thomæ, peractæ a Cencio Cardinali Epifcopo Sabinenfi de anno millefimo ccotefimo decimotertio, in quo legitur inter alias Sanctorum Reliquias collocaffe in Altari majori etiam pignora S. LAURENTII, S. ADRIANI PP., URBANI PP., CORNELII PP., STEPHANI PP., FELICIS PP. &c.

Cum vero in eadem Ecclefia pariter affixus reperiatur lapis Confecrationis illius, peractæ de anno 1240. a Raynaldo Cardinali Epifcopo Oftienfi, fed characteribus omnino Gothicis, fu-

præscriptus vero Consecrationis Altaris sculptus cernatur latinis elementis, putamus hunc lapidem ex authographo quidem desumptum fuisse ætate admodum posteriore. Et hæc satis pro Sanctitatis titulo, quosd Adrianum PP. Primum,

Cæterorum Sanctiorum Romanorum Pontificum Corpora ubi, absque controversia requiescant, atque veneratione colantur, in Notit ad Chronologiam indicantur.

FINIS APPENDICIS.

BREVIS NOTITIA
OMNIUM SCHISMATUM,
Quæ in Romanam Ecclesiam conflata sunt;
EORUMQUE PSEUDO-PONTIFICUM,
Qui legitimos Pontifices divexarunt.

AD rectum ordinem Chronologiæ Romanorum Pontificum statuendum non parum confert Notitia omnium Schismatum, ac Pseudo-Pontificum, qui S. Petri Cathedram occuparunt, Ecclesiamque Christi exagitarunt. Visum igitur est, atque opportunum, in calce nostri hujus Operis seriem eorumdem attexere, juxta ordinem quo emerserunt, ab anno Christi CCLIV. quo primum incœpit Schisma, usque ad annum MCCCCXXXIX. quo ultimum desiit, sub Eugenio PP. IV. Quæ omnia a nobis collecta sunt a libris de Romanis Pontificibus, Anastasio Bibliothecario, aliisque antiquioribus, necnon ex Annalibus Cardinalis Baronii, illiusque continuatoribus Raynaldo, Spondano, Pagio in Breviario Romanorum Pontificum, aliisque Chronologis.

SCHISMA I.

ANNO CHRISTI CCLIV.

In quo Intrusus est Pseudo-Pontifex NOVATIANUS *Presbyter contra* S. CORNELIUM, *ejusque Successores Romanos Pontifices.*

ELecto ad Apostolicam Sedem S. CORNELIO, Novatus quidam Episcopus Africanus, cernens Novatianum Presbyterum Ecclesiæ Romanæ, ob Cornelii electionem, invidiæ stimulis agitari, unà cum illo cœpit adversus Cornelium agere, multaque de illo falsa spargens, alios quoscumque ab ejus communione retrahere, atque in parte suas abducere; adeout Novatianum per tres rudiores, ac simpliciores Episcopos, per fraudem obductos, & ebrios redditos, clandestinè illum ordinaverit Pontificem Romanum: qui aliàs, juxta regulas Ecclesiæ, neque debuisset in Clerum Romanum assumi; primò, quòd ægrotans in lecto Baptismum suscepisset, sicque non liberè, sed timore mortis Christianus factus fuisse videretur, nec confirmationis Chrisma suscepisset; II. quod, factus Presbyter, in persecutione, se Presbyterum esse negasset. Addens quoque Hæresim, asseruit, lapsos (idest, qui defecissent a Fide) Dei judicio relinquendos, nec ullum eorum habendum esse discrimen, criminumque distinctionem: quare, cum anno sequenti, Romæ habita fuerit Synodus 60. Episcoporum, totidemque Presbyterorum unà cum Diaconis, adversus Novatianum, & Sectatores ejus, ut tradit Baronius, & per singulas ubique Provincias alii Episcoporum Conventus in eadem causa habiti fuerint, tandem ab omnibus decretum fuit, Novatianos omnes ab Ecclesia excludendos, lapsos autem, post Pœnitentiam, recipi debere. De his agit S. Cyprianus Ep. 46. 52. necnon in ea, quam Cornelius, ad Fabianum Antiochenum Episcopum titubantem scripsit. Oldoinus in Necrologio ad 15. Septembris notat Novatianum Romæ extinctum fuisse, post annum Christi 262., cum Ecclesiam schismate scidisset annos circiter sex, contra Cornelium, ejusque successores: sed falsò a suis jactatus est Martyr, ut scribit Baronius ad annum 261. ubi etiam ad annum 354. prava ejus dogmata explicat. Ejus vitam, & hæreses collegit Gabriel Prateolus in Elencho Alphabetico omnium hæresum lib. 12. num. 9. quem tamen Novatum, non Novatianum appellat.

SCHIS-

SCHISMA II.

ANNO CHRISTI CCCLIV.

In quo intrusus est FELIX II.

QUi, quomodo postea legitimè sederit, vivente adhuc Liberio, fuse explicavimus in Animadversionibus Cap. VIII. necnon in notationibus ad Felicem Secundum num. XXXVIII.

SCHISMA III.

ANNO CHRISTI CCCLXI.

In quo intrusus est URSICINUS *Diaconus contra* S. DAMASUM *legitimum Pontificem*.

ELecto ipso S. DAMASO, & eodem tempore, exorta dissensione inter Clerum ex institutione Felicis, pars factiosorum hominum violenti manu occupans Basilicam Siciniani in Regione quinta Urbis, juxta Forum Exquilinum, creavit Pseudopapam Ursicinum Diaconum Romanæ Ecclesiæ, non sine horrenda strage, nam ut scribit Ammianus reperta fuerunt in ea Basilica 137. cadavera; nihilominus electio Sancti Damasi legitima fuit cognita, rejectis falsis accusationibus Schismaticorum, qui Pontificem sanctissimum adulterii accusabant, sed probata ejus innocentia, Concordius, & Calistus Diaconi Calumniatores ab Ecclesia fuere ejecti, lata lege Talionis inposterum contra falsos delatores. Duravit schisma tredecim mensibus, quando Ursicinus se Pontificatu abdicavit, factusque fuit Episcopus Neapolitanus.

Oldoinus de eo agit, & e vivis excessisse scribit ad diem 12. Februari anno Christi 387.

SCHISMA IV.

ANNO CHRISTI CCCCXIX.

In quo intrusus est EULALIUS *contra* BONIFACIUM I.

ELecto ad S. Petri Sedem BONIFACIO I. a 70. Presbyteris, & novem Episcopis, atque consensu optimatum, Eulalius Archidiaconus, circumventis Diaconis, aliquibus Presbyteris, ac multitudine plebis turbatæ, ac favente Symmaco Urbis Præfecto, intrusus est, atque acclamatus Pseudopontifex. Hinc Bonifacius coactus est S. Petri Basilicam deserere, & cum suis ad S. Pauli secedere; contentio delata est ad Honorium Imperatorem Ravennæ existentem: hic commotus ex ratione mendacii Symmachi, ad eum rescripsit, ut Bonifacium, si Eulalio cedere nollet, Urbe pelleret: cujus virtute rescripti Eulalius in S. Petri Basilicam intrusus est. Re autem fideliter comperta, jussit Honorius, utrumque ad se Ravennam accedere, ibidem coactis aliquot Episcopis, & ventilata est causa, quæ, cum ob discrepantiam sententiarum, terminari non potuerit, Imperator eam differens, cum imminerent festa Paschalia, jussit utrosque Urbe abstinere, & Episcopum Spoletinum Romæ Sacra Mysteria celebrare: cum autem Eulalius temerariè se in Urbem intrusisset, & publicæ seditionis occasionem præbuisset, qua & ipse Præfectus Symmacus periclitatus est, Honorius jussit Eulalium Urbe expelli, Clericosque ei non communicare, & ut Bonifacius in Urbem deduceretur, & tanquam legitimus Pontifex agnosceretur, & regeret Ecclesiam: hoc etiam confirmavit Concilium 152. Episcoporum, ut refert liber Romanorum Pontificum, in quo habetur Eulalium factum fuisse Episcopum Nepesinum, quare dicendum est ipsum Pœnitentia ductum sponte renunciasse prætenso Pseudopontificatui.

Oldoinus in Necrologio dicit, Eulalium factum fuisse Episcopum in Campania, ejusque obitum notat ad diem 2. Aprilis anno Christi 419.

SCHISMA V.

ANNO CHRISTI CCCCLXXXXVIII.

In quo intrusus est CŒLIUS LAURENTIUS *contra* SYMMACUM *Pontificem*.

IPso anno Canonicè electus est Pontifex Symmacus in Basilica Constantiniana, sed eodem die 20. Augusti, cum Festus Patritius advenisset Romam, comperta electione, pecuniis, & arte agens in Basilica S. Mariæ in Via nova intrusit Laurentium, eumque creandum jussit; qua de causa non solum inter Clerum, sed etiam inter Senatores, excitatis ingentibus discordiis, secuta sunt plurima mala, cum interea utraque pars Ravennam se contulisset ad judicium Theodorici Regis (alias Ariani) ut habetur in Libro Pontificali, ab eo hæc sententia prodiit, ut qui primo ordinatus esset, aut a majori parte ele-

electus, Ipse federet Pontifex. His conditionibus superior Symmacus Sedem Apostolicam adeptus est, qui anno sequenti Concilium habuit ad præcautionem intrusorum & aliquot edidit Canones, quibus, primo loco suscripsit Laurentius præfatus, quem intuitu misericordiæ, ordinatum fuisse Episcopum Nucerinum scribit Anastasius Bibliothecarius, ex quo educitur, ipsum sponte renunciasse suæ intrusioni, vel post cognitam innocentiam Symmachi, Laurentium depositum fuisse, & in exilium missum, ac postea per misericordiam, Episcopum creatum Nucerinum in Umbria.

Oldoinus in Necrologio tradit ad diem 31. Decembris hunc Cœlium Laurentium decessisse Nuceriæ in Umbria, circa annum Christi 500.

SCHISMA VI.

ANNO CHRISTI DXXX.

Contra BONIFACIUM II.

TRadit Anastasius Bibliothecarius, Bonifacium ordinatum fuisse sub contentione cum Dioscoro Diacono, primum vero in Basilica Julii, alterum in Basilica Constantiniana, fuisseque dissensionem in Clero, & Senatu, quo tempore defunctus est Dioscorus, qui vixit infamatus simoniæ, eaque de causa anathematizatus fuit a Bonifacio ipso legitimo Pontifice, & hoc modo extinctum est hoc schisma.

Obiit post dies 29. sepultusque fuit in Vaticano, ut tradit Oldoinus in Necrologio ad diem 12. Novembris.

SCHISMA VII.

ANNO CHRISTI DXXXX.

In quo intrusus est Vigilius *Pseudopontifex contra* SILVERIUM *Pontificem*.

EXpulso violenter a Sede sua SILVERIO a Bellisario Duce, jubente Theodora Augusta, quòd Anthimum Constantinopolitanum Episcopum depositum, suæ Sedi restituere noluisset, ejusque Dogma confirmare, Vigilius Diaconus Romanus, prætidendi cupidissimus, & litteris cum id promisisset Theodoræ, idem Bellisarius intrusit Vigilium in Pseudopontificem, & ita vixit usque ad obitum S. Silverii, quo mortuo in exilio, se in ordinem redegit, & considerans se Schismaticum, locum dedit Comitiis habendis de electione Papæ. Clerus autem Romanus ad evitandum Schisma, & auctoritate Theodoræ, Vigilium nominavit legitimum Pontificem, qui tamen ex legitima electione Thronum B. Petri ascendit, rescriptitque Justiniano, ac Theodoræ, semper se illibate servasse in omnibus Fidem Catholicam, confirmavitque omnia, quæ a Prædecessoribus suis gesta fuissent, ipsum quoque Anthimum, una cum aliis Hæreticis, & Schismaticis, nominatim excommunicavit; atque in hac Vigilii mutatione admiranda, apparuit Dei providentia pro Romana Ecclesia, nam & hac de causa idem Vigilius ab Imperatore Constantinopolim arcessitus est, atque ibidem fune tractus per Urbem, carceri mancipatus, demum in exilio relegitus est una cum Clero, qui cum eo aderat; postea anno sequenti 554. revocatus, & in Italiam dum veniret, obiit morbi calculo Syracusis, justo Dei judicio exagitatus, & defunctus in Insula, qui decessorem suum exulem mori in Insula coegerat. Obiit anno Christi 556.

SCHISMA VIII.

ANNO CHRISTI DCLXXXVI.

In quo intrusi sunt in Romanam Sedem Petrus Archipresbyter, *&* Theodorus Presbyter *ante electionem* CONONIS PAPÆ.

DEfuncto Papa Joanne V. facta est divisio suffragantium, nam Clerus ante fores Basilicæ Constantinianæ, quæ custodiebatur a missis ab exercitu, & clausæ jacebant, exercitus vero cum suis adunati erant in Basilica S. Stephani: primi vero elegerant Petrum Archipresbyterum, exercitus autem Theodorum Presbyterum, nec una ex partibus alteri consentiebat. Dum vero Nuncii ab utraque parte irent, & redirent, inito consilio, Sacerdotes, & Clerus unanimiter Episcopium Lateranense ingredientes elegerunt, atque nominarunt tertiam personam in Summum Pontificem, nempe CONONEM virum moribus, ætate, & veneranda canitie spectabilem, & aspectu Angelico, ac quieti moris. E vestigio autem omnes Judices cum primatibus exercitus ad ejus salutationem accedentes, in ejus laudes simul acclamaverunt. Videns autem exercitus unanimitatem Cleri, & Po-

& Populi, post aliquot dies, & ipsi consenserunt in Cononem, ejusque electioni subscripserunt; & ita Schisma extinctum fuit.

SCHISMA IX.

ANNO CHRISTI DCLXXXVII.

Ante electionem SERGII PP. I.

POst obitum Cononis facta est divisio Populi Romani io duas partes, altera enim elegit THEODORUM ARCHIPRESBYTERUM, alia vero PASCHALEM ARCHIDIACONUM. Theodurus quidem cum Populo qui ei favebat, præveniens interiorem partem Patriarchii occupavit, Paschalis vero exterinrem partem ab Oratorio S. Silvestri, & Basilica Domus Juliæ, quæ super Campum respicit, eumque neuter alteri locum cederet, sed unanimiter perduraret, ut unus alium superaret, inito consilio, Primates Judicum, & exercitus cum plorima parte Cleri, & præsertim Sacerdotum, ac Civium ad sacrum Palatium se contulerunt, diuque pertractantes quid fieri deberet, tandem annuente Deo, concorditer elegerunt SERGIUM venerabilem Presbyterum Tit. S. Susannæ ad duas Domos, eumque de medio Populi tollentes, in Oraculum Beati Cæsarei Martyris, quod est iotra supradictum Palatium, introduxerunt, & exinde io Lateranense Episcopium cum laudum acclamationibus deduxeront. Et quamvis fores Patriarchii intrinsecus essent munitæ, & clausæ, tamen pars, quæ Sergium elegerat, validior erat, prævaluit, & ingressa est, quod cum peractum fuisset, THEODORUS Archipresbyter, unus ex duobus electis, illico quievit, & electum Pontificem salutavit, & osculatus est. Paschalis vero nullo modo, ex cordis duritia, id agere voluit, donec coactus, & confusus, volens, nolens ingressus eumdem Sergium salutavit. Ipse enim Paschalis antea Missos suos Ravennam miserat, promissaque pecunia, & aliis diversis donis Joannem Patritium, & Exarchum Romam venire suaserat, qui vero Patritius Romam elanculum accessit, sed ubi reperisset jam electum fuisse Sergium, eidem Paschali suffragari noo valuit: nihilominus Basilicæ Sancti Petri Apostoli stipendium, & damnum intulit, nam quod ab eodem Paschali sibi promissum fuerar, nempe centum libras auri exigere voluit, & Sergius, cum nec haberet, quod non promiserat, nec possibilitas dandi sibi suppeteret, ut ad compunctionem animos videntium commoveret, Cantharos, & Coronas, quæ ante Altare, & Confessionem S. Petri Apostoli ex antiquo pendebant, deponi fecit, & pignori tradi, sed neque ex hoc flexa est Exarchi duritia, donec centum libras auri accepisset, & sic finis hujus Schismatis fuit.

SCHISMA X.

ANNO CHRISTI DCCLXVIII.

In qua intrusi sunt CONSTANTINUS LAICUS, *&* PHILIPPUS, *post obitum S. Pauli* PP. I.

IN extrema ægritudine posito S. Paulo Papa primo apud Basilicam Sancti Pauli Via Ostiensi, cum nondum spiritum exhalasset *Toto* quidam Nepesinæ Civitatis Dux, cum suis Germanis fratribus, *Constantino*, *Passivo*, & *Paschali*, non tam Schisma conflavit, quam latrocinium Apostolicæ Sedis intentavir, nam aggregatà ex pluribus Civitatibus Tusciæ multitudine exercitus, armata, atque introducta ante domum suam in Urbe, ibidem tumultuarie acclamavit, subito esse Pootificem fratrem suum CONSTANTINUM prædictum, Virum mere laicum, quem plurimi armis, & loricis induti, in Lateranense Patriarchium introduxerunt, & ascendentes cum eo in Vicedominio, & continuò, accersito Georgio (sive Gregorio) Episcopo, jusserunt eum, ot Coostantino Clericatus munus tribueret, cumque Gregorium invitum, & repugnaotem, adfortiter comminantes ei, compulerunt, adeout timore correptus, primum eidem Clericatum tribueret, & sic Clericus effectus, invasit Lateranensem Patriarchium, & altera die eum coosecravit, & ordinavit, & convocato viciniorum Episcoporum conciliabulo, electionem approbari fecit, & qui Sedem occupavit tredecim mensibus.

Plurima inde scandala emerserunt, quæ fuse explicantur ab Anastasio Bibliothecario in Vita Stephani IIII. nam & eo ipso tempore, PHILIPPUS quidam Presbyter electus est Antipapa: quo expulso, Clerus, & universus Populus ac Optimates Militiæ canonice elegerunt Pontificem prædictum Stephaoum IIII, pergentesque ad Titulum S. Cæciliæ, eum raptum ad Lateranense Patriarchium deduxerunt, & ita Pontificatum assumpsit. Exinde Constantinus detrusus est in Monasterium, eique oculi eruti sunt, adductusque in Concilium, facie cæsus est, atque extra Ecclesiam ejectus, & ita hoc foedissimum Schisma sublatum est, & postea infeliciter obiit. Oldoinus in Necro-

logio ad diem xv. Augusti, tradit hunc ab Urbe a Longobardis expulsum, fugam arripuisse, & incognitum inter Monachos reliquum vitæ duxisse. De Philippo vero, tradit ad diem 1. Julii eum fuisse Monachum, & Abbatem S. Viti, necnon Presbyterum Cardinalem, & electum contra Constantinum, qui post octo dies a Christophoro coactus, se abdicavit, & ad suum Monasterium reversus est.

SCHISMA XI.

ANNO CHRISTI DCCCXXIV.

In quo intrusus est Zinzinius, *sive* Zinsinius *ante electionem* EUGENII *PP. II.*

IN electione Eugenii II. a magna parte Populi, electus est Zinzinius Presbyter Cardinalis, qui tamen se agnoscens non legitime electum, post aliquot dies, abdicavit, & vincente Cleri, ac Nobilium parte, canonice electus est EUGENIUS, atque ordinatus, Vir magnæ simplicitatis, atque humilitatis, ex Archipresbytero S. R. E. Non levis tamen momenti fuit hoc Schisma, cum ad componendas Romanorum implacabiles, ea de causa, contractas dissensiones, opus fuerit Ludovico Imperatori filium suum Lotharium, Imperii Collegam, Romam mittere: qui omnia, ex benevola assensione Pontificis disponens, Constitutionem promulgavit, qua Pontificum electionibus, eos tantum interesse jussit, *quibus antiqua fuit consuetudo concessa* per Constitutionem SS. Patrum.

SCHISMA XII.

ANNO CHRISTI DCCCLV.

In quo, contra BENEDICTUM III. *intrusus est* Anastasius *Presbyter.*

CAnonice jam electo ipso Benedicto III., Anastasius Presbyter Cardinalis Tituli S. Marcelli, (quem Leo IIII. in Concilio 67. Episcoporum Romæ habito, excommunicaverat, ac deposuerat, eo quòd Parochiam suam, per annos quinque, contra Canones, deseruisset,) Romam adductus factione impiorum, & consensu Legatorum Ludovici Imperatoris, primò Basilicam S. Petri sacrilege invadens, Imagines sacras confregit, & combussit, deinde ad Lateranense Patriarchium properans, se in Solium Pontificium intrusit, ejecto Benedicto, & post convicia, & verbera, custodiæ mancipato; sed resistentibus constanter Episcopis, unà cum Clero, & Populo, tandem Legati Imperatoris coacti sunt ipsum Anastasium expellere, & Benedicto sese reconciliare, qui postea receptis in gratiam Factiosis, consecratus est, magna cum omnium exultatione.

Ludovici Imperatoris pessimus hic conatus fuit, quòd cum cerneret in electione Romani Pontificis, nullam haberi sui rationem, studuit in odium Romani Cleri, & Populi, liberis suffragiis Papam eligentis, provehere in Sedem Apostolicam hominem illum perditissimum, qui diu antea, multumque hoc ipsum molitus fuerat. Hæc fuse narrantur ab Anastasio Bibliothecario, qui præsens aderat, in Vita Benedicti PP. III. necnon a Baronio ad dictum annum 855.

Oldoinus in Necrologio, ad diem 19. Septembris notat eum dejectum fuisse a Sede ipsa die.

SCHISMA XIII.

ANNO CHRISTI DCCCXCI.

In quo intrusus est Sergius *Diaconus post obitum* STEPHANI *Papæ VI.*

APræpotenti factione Alberici, intrusus est quidam Sergius Diaconus, ut asserit Luitprandus Scriptor; sed prævalente Clero, post aliquot dies, extinctum est Schisma, relegato eodem Sergio in exilium, & canonice electus est FORMOSUS ex Episcopo Portuensi, qui primus ex ordine Episcopali ad Sedem Apostolicam evectus est, quod fieri nondum consueverat, nam hactenus Pontifices ex Clero tantum Romanæ Ecclesiæ eligi consueverat.

SCHISMA XIV.

ANNO CHRISTI DCCCCVI.

In quo Sedem occupavit quidam Bonifacius *dictus VI.*

POst obitum Formosi Papæ, homo hic nefarius, & minime canonice electus, in Sedem Apostolicam se intrusit, ac propterea a multis rejicitur a Serie Romanorum Pontificum: nam antea primum a Subdiaconatu, & deinde a Presbyteratu depositus fuerat. Quindecim tantum diebus Sedem occupavit: nam ut invasor pulsus est, & per potentissimos Adelbertos, Stephanus VII. a Clero electus fuit.

Inter Schismata nonnulli enumerant etiam electiones aliquot Pontificum Sæculi decimi, ut Christophori, Sergii III, Benedicti IX, *& aliorum, qui revera, præpotentia Comitum Tusculanorum, Ptolæmeorum, & aliorum Principum Urbis intrusi fuerant, expulsis etiam aliis Pontificibus. Sed cum postea, (ut alibi explicavimus) accesserit consensus, & approbatio Cleri Romani, ita ut tanquam legitimi Pontifices recogniti fuerint, non est hic cur multiplicanda sint Schismata, quamvis revera hujusmodi violentæ Electiones non modicum Ecclesiam Romanam turbaverint.*

SCHISMA XV.

ANNO CHRISTI DCCCCLXIII.

In quo intrusus est Leo *dictus VIII. contra* JOANNEM XII.

SEdente Joanne Papa XII. nonnullæ simultates exortæ sunt inter Papam, & Otthonem primum Imperatorem, qui Romam cum exercitu accedens, Pontifice fuga elapso, a Romanis exceptus est Civibus, a quibus illi confirmata fuit olim præstita fides, juratumque, nunquam se Papam electuros, aut ordinaturos, præter consensum, & electionem ipsius Imperatoris, ejusque Filii, eum revera nullius roboris esset hæc promissio, absque consensu Romani Pootificis, & ipso adhuc vivente.

Anno postea 963. Otho Imperator Conciliabulum aliquot Episcoporum Italiæ, & Germaniæ, Cleri, Procerumque Urbis Romæ coegit apud S. Petrum, in quo variis, atrocibusque objectis in Joannem Papam criminibus, citatus est ipse Joannes, ut se purgaret: ipse vero nihil aliud rescripsit, nisi: se excommunicare omnes Episcopos, si alium Papam eligere præsumerent: nihilominus iidem Episcopi, annuente Imperatore, in locum Joannis elegerunt quemdam *Leonem Protoscriniarium* ejusdem Ecclesiæ (ac etiam, ut plures asserunt, merè Laicum, virum perditissimum, atque consuetis ritibus consecrarunt assumpto nomine Leonis VIII.

Anno vero sequenti 964, contra ipsum Leonem Romanis arma parantibus, mense Januarii, idem Ottho ingentem de illis stragem edidit, eumque Spoletum commigrasset, iidem Romani Leonem expellentes, Joannem Papam in Urbem revocarunt, qui collecta Synodo Leonem damnavit, ejusque acta cassavit, qui & paulo post, infeliciter diem obiit.

In ejus locum electus est Pontifex *Benedictus* S. R. E. Diaconus, dictus hujus nominis Quintus. Sed, hoc audito, Ottho Romam cum exercitu adventavit, & Leonem ipsum restituit, qui coacta Synodo Laterani, Benedictum deponi, & exauthorari jussit, atque in exilium deportari in Germaniam per Archiepiscopum Hamburgensem, a quo tamen honorifice deductus est, ibique sancto fine quievit. Hoc Schisma Leonis Octavi, usque ad annum 965. perduravit, quo extremam diem obiit; ut ex variis auctoribus fuse narrat Baronius in Anoalibus. De eo nonnulla adnotavimus in nostris Animadversionibus Cipite VIII. pag. 41. postea ejusdem Benedicti ossa sub Otthone III. hujus Otthonis nepote, ejusque jussu, Romam per Episcopum Bremensem translata fuerunt, licet sero cognitus fuerit verus, atque legitimus Ecclesiæ Romanæ Pontifex.

Oldoinus io Necrologio ad diem 17. Martii tradit, Leonem hunc anno Christi 965. decessisse in Urbe, ac sepulturæ traditum, apud S. Petrum in Vaticano.

SCHISMA XVI.

ANNO CHRISTI DCCCCLXXII.

In quo se intrusit Franco *Cardinalis.*

CUm eodem anno electus fuisset legitime Benedictus PP. VI., post annum, & menses tres, & dies aliquot, in vincula conjectus fuit, atque jugulatus a Francone Cardinali nequissimo, Ferrutii filio Romano, qui Pontificatum usurpavit nomine *Bonifatii VII.* sibi imposito. At, mense vix exacto, metuens sibi a Comitibus Tusculanis, expilatà Basilica Vaticana, aliisque Ecclesiis, profugit Constantinopolim, & hic postea damnatus fuit a Benedicto VII. in Concilio Romano.

Iterum tamen anno 984. Romam reversus Bonifacius, Papam Joannem XIV. in custodiam arcis Hadrianæ inclusum fame, & veneno necavit, iterumque Sedem occupavit. Sed eodem anno repentina morte periit, cum Sedem occupasset XIII. mensibus, & fune ad pedes ligatus, cunctis exosus, in platea Lateranensi, per aliquot dies, nudus, inhumatus jacuit, opera tamen nonnullorum Clericorum, noctu sepulturæ datus in Laterano. De eo Oldoinus in Necrologio ad diem XI. Julii.

SCHISMA XVII.

ANNO CHRISTI DCCCCXCVI.

In quo intruditur JOANNES *Episcopus Placentinus contra* GREGORIUM V.

PEr Crescentium Nomentanum Consulem, contra Gregorium V. intrusus fuit Episcopus Placentinus appellatus Joannes XVI., quem asserunt fuisse Calabrum Patria Rossanensem. At Ottho Imperator comperta expulsione Gregorii V. propinqui sui, & intrusione Joannis, Romam cum permaximo exercitu properavit, ac Joannem, manibus, auribusque truncatis, oculis privavit, Crescentium vero, in munitione S. Angeli, se continentem, inde, nonnisi juramento, firmata promissione deductum, decepit Ottho, nam illum capite truncavit, de quibus fuse Baronius ad annum *996*.

Oldoinus vero in Necrologio ad III. Junii ait eum nomine fuisse *Joannem Adebaldum*, aliis *Arnulphum*, ex Monacho Cassinen. Episcopum Placentinum, & postea Archiepiscopum Mediolanensem, natione Calabrum, & a Sede expulsum anno *997*.

SCHISMA XVIII.

ANNO CHRISTI MXXXIII.

Sedente BENEDICTO IX.

CUm ab anno 1033. intrusus fuisset in Sedem Apostolicam idem Benedictus adhuc puer annorum duodecim, vel paulo plus, præpotentiâ Alberici Comitis Tusculani ejus Patris, atque eum confirmatus fuerit Cleri suffragiis, legitimus habitus est Pontifex. Cum vero potentia Consulis Ptolomæi, Populus, ob ejus turpitudinem eumdem Benedictum ejecisset, alium nominarunt, nempè *Joannem Sabinensem Episcopum*, quem appellarunt *Silvestrum III.*, qui, ut docet Leo Ostiensis, & æque ipse malis artibus, nempe collata pecunia, ad Sedem Pontificalem evectus est, sed post menses tres, adnitentibus Tusculanis Proceribus, ab ipso Benedicto expulsus est, qui & Cathedram denuo conscendit: nihilominus ad annum MXLIV. tradit Baronius, ex Othone Frisingensi, simul Romæ visos fuisse tres Antipontifices, qui divisis inter se divitiis, alter ad S. Petrum, alter ad S. Mariam Majorem, tertium nempè Benedictum in Palatio Lateranensi sedebant, qui omnes simul flagitiosam, turpemque vitam ducebant.

Joannes Gratianus Romanæ Ecclesiæ Presbyter, cernens hunc Ecclesiæ miserrimum statum præfatus Viros adiit, eisque a Sede recedere persuasit: Benedicto verò, qui videbatur esse majoris auctoritatis reditibus Angliæ relictis; ob hæc a Clero, Populoque Romano, tamquam Ecclesiæ liberator electus est Pontifex, mutato nomine in Gregorium VI. vide quæ adnotavimus prædicto cap. 8. nostrarum Animadversionum pag. 42. & alibi in Notis ad Chronologiam sub eodem Benedicto IX.

SCHISMA XIX.

ANNO CHRISTI MLVII.

In quo intrusus est JOANNES MINCIUS *Episcopus Velliternensis*, *dictus* BENEDICTUS X.

CUm Florentiæ decessisset Stephanus Papa X. anno 1058. Factiones in Urbe existentes, vel ex Comitibus Tusculanis, sive Ptolæmeis, aliorumque præpotentium in Urbe, inito uno consilio, noctu, per vim, Ecclesiam invadentes *Joannem Velliternensem Episcopum Mincium* appellatum Pseudopontificem constituerunt Benedicti X. nomine imposito, eumdemque, per Ecclesiæ Ostiensis Archipresbyterum, violenter coactum, consecrari (seu potius benedici fecerunt) eum interim, qui tunc Romæ erant, Petrus Damiani Episcopus Ostiensis, aliique ejus Collegii Cardinales, hoc detestantes, atque anathematizantes, per diversa latibula fugere coacti essent, ut etiam fuse aliquantulum disseruimus cap. 8. nostrarum Animadversionum a pag. 42. & sequenti.

Producta tamen electione legitimi Pontificis Nicolai II. eaque peracta Florentiæ ad an. 1058. hic Romam perductus a Clero, Populoque Romano in Sede collocatus est. Tunc Benedictus in Concilio Sutrino jam gradu dejectus, ad Pontificem veniam petiturus accessit. Nicolaus verò submittentem se ad pedes, atque errati pœnitentem ad laicam communionem admisit cum malè fedisset menses novem, & dies viginti. Mincius vero cum in Patriam se recepisset ex mærore tertium post mensem e vita discessit.

Oldoinus vero in Necrologio ad 24. Januarii, tradit Joannam, postquam absolutionem a Nicolao II. Pontificem obtinuerat, paulo post obiisse Romæ apud S. Mariam Majorem; fuisseque antea Episcopum Cardina-

dinalem, & Filium Guidonis ex Tusculanis,
& Galeriæ Comitibus.

SCHISMA XX.

ANNO CHRISTI MLXI.

In quo Intrusus est CADALOUS *Episcopus Parmensis, dictus* HONORIUS II. *contra legitimum Pontificem* ALEXANDRUM II.

ELecto jam canonicè Alexandro, absque
consensu, & auctoritate Henrici IV.
ejusque matris Agnetis, iidem Principes eli-
gi fecerunt in Pseudopapam *Cadaloum* Par-
mensem Episcopum ab Episcopis Placentino,
& Vercellensi, dictusque *Honorius II.* qui ut
Romanorum animos sibi conciliaret ingen-
tem pecuniarum vim in ipsos effudit, ex
quo Alexander præcavens sibi a seditiosorum
injuriis, ab Urbe profugit. Accessit deinde
Cadalous Romam armata manu, & in pra-
to Neronis castrametatus, primo prælio vi-
ctor fuit, sed adveniente Duce Gotefrido
ita coarctatus est, ut absque læsione proprii
corporis abire non potuerit, quin minimè
elapsus fuisset, nisi effusis magnis muneri-
bus se redemisset, atque Parmam spoliatus
rediit anno 1062. ventilata fuit causa ele-
ctionis Alexandri, & Sanctus Petrus Damia-
ni epistolam ad Synodum misit, quæ om-
nium consensu in Alexandri comprobationem,
conclamata fuit, Cadaloi reprobatione confir-
mata, & Alexander verus Pontifex declaratus
est. Huic sententiæ non acquievit Cadalous,
quare anno 1064. nova Synodus indicta
fuit Mantuæ, in qua Alexander objecta sibi
crimina ita diluit, ut ejus etiam Adversa-
rii illi obedientiam præstiterint, & Cadalous
anathemate damnatus fuerit: at ille non ac-
quiescens, corruptis nonnullis Ducibus, no-
ctu Leoninam Civitatem ingressus, S. Pe-
tri Basilicam occupavit: verum concurrente
ad eam Populo, destitit ab incœpto facino-
re. Cincius tunc Præfecti filius Cadaloum
in Castrum S. Angeli recepit, ex quo per
duos annos a militibus Papæ obsessus egredi
non potuit, donec ab eodem Cincio 300.
libris argenti se redimens, inops, & egens,
clam elapsus est, ac demum paucos post dies
mortuus est.

Oldoinus in Necrologio ad diem 13.
Aprilis tradit defunctum fuisse, sed locum
non indicat.

SCHISMA XXI.

ANNO CHRISTI MLXXVI.

In quo Intrusus est GILBERTUS, *seu* GUIBERTUS *Archiepiscopus Ravennas contra* GREGORIUM *Papam VII.*

CUm Gregorius Henricum IV. Germa-
niæ Regem Regno privasset, & ex-
communicasset, ira in eum accensus Rex
habito Brixinæ conventu Episcoporum fa-
ctionis suæ, dejecto e Pontificatu Grego-
rio Pseudopontificem eligi curavit *Guiber-
tum, seu Gilbertum Archiepiscopum Raven-
natensem*, cui nomen impositum est *Cle-
mens III.* Italia interea ita turbata fuit, ut
nullus securus abire posset, quin prius ju-
raret, se numquam accessurum ad Papam
Gregorium, qui propterea plurima mala,
& persecutiones perpessus est; perduravit hoc
Schisma contra Gregorium supradictum, Vi-
ctorem III. Urbanum II. & Paschalem II.
Romanos Pontifices, de quibus plura in
Annalibus Ecclesiasticis Baronii, & Spon-
dani.

Oldoinus in Necrologio ad diem 2. Se-
ptembris notat Giberium extinctum fuisse in
Mole Adriani apud Urbem, anno 1101. cum
usurpatam dignitatem occupasset annis 21.
& aliquot menses, ejusque Corpus sepultum
fuisse in Cathedrali Ravennatensi.

SCHISMA XXII.

ANNO CHRISTI MCVI.

In quo electi fuerunt ALBERTUS, THEODORICUS, *&* SILVESTER, *contra* PASCHALEM II.

MOrtuo Gilberto, Henricus Imperator
Schisma prorogavit per tres Antipa-
pas, videlicet *Albertum*, *&* *Theodoricum*,
qui tamen in Monasterium, quatuor post men-
ses ab intrusione, detrusi sunt, & *Silvestrum*
Abbatem Farfensem, quem, dum Paschalis
II. apud Beneventum ageret, Wernerus Mi-
nister Regis, armata manu, corruptisque
multa pecunia Romanis nonnullis, in Sedem
Apostolicam intrusit, appellavitque *Silve-
strum IIII.* Verum non diu usurpati onoris
insignibus præfulsit, nam in Latio, mærore
obiit vertente anno, se morte sua finem lon-
go, & periculoso Schismati in Ecclesia Ro-
mana, dedit.

Oldoinus in Necrologio. ejus meminit ad
diem

diem 9. Februarii, quem tradit antea vocatum fuisse *Maginulphum Abbatem Farfensem*.

SCHISMA XXIII.

ANNO CHRISTI MCXVIII.

In quo intrusus est Mauritius Burdinus *Archiepiscopus Bracharensis contra* GELASIUM *Papam II.*

Electo legitimè Papa Gelasio II., eoque renitente, in Pontificali Sede collocato, Cincius Frangipani Henrici Imperatoris Sectator, eucurrit ad Monasterium Palladium, cupiens alium creari Pontificem, & fractis foribus, furibundus introivit Ecclesiam, Papam distraxit, pugnis, calcibusque percussit, & tamquam Brutum Animal, juxta limen Ecclesiæ, calcaribus acriter cruentavit, & Domum usque deduxit, & in vincula conjecit: audito facinore Populus Romanus ad arma prorupit, Papam a Frangipane repetiit, & in Lateranum solemni pompa deduxit.

Henricus Imperator, quamvis scribunt nonnulli consensisse primum in electione Gelasii, & in itinere, quo ad Urbem contendebat, Gelasio gratulanter scripsisset, ab eodemque petiisse pacta inita cum Paschali de Investituris: sed cum negasset Gelasius, Henricus Romam cum pervenisset, & intempesta nocte occupasset Basilicam Sancti Petri, Papa per Tyberim fugit, & Cajetam in patriam suam pervenit, ubi ordinatus est.

Henricus vero Imperator intrusit In Sedem Apostolicam *Mauritium Burdinum* Archiepiscopum Bracharensem, dixitque Gregorium VIII. qui & ipsum Henricum Imperatorem iterum coronavit; pluribus annis, & ad minimum quatuor, Ecclesiam afflixit contra Gelasium prædictum. Cum vero in Gallia decessisset Gelasius, & electus fuisset Callistus II., & hic in Italiam venisset, atque Sutrii constitisset, inde eductus *Burdinus* in Campaniam ad perpetuum carcerem, post varias militum illusiones deportatus est, nam deductus fuit per mediam Urbem pilosa pelle Verveeis pro elamyde rubra indutus, Camelo ex adverso impositus, data ei in manibus pro fræno cauda.

Oldoinus in Necrologio ad diem 16. Decembris tradit hunc Pseudopontificem extinctum fuisse circa annum 1128. apud Arcem Fumonis in Campania in carcere constrictus.

SCHISMA XXIV.

ANNO CHRISTI MCXXIV.

In quo intrusus est HONORIUS II. *postea confirmatus Pontifex legitimus.*

Defuncto Calisto II. convenientes Cardinales in Basilica S. Joannis Laterani elegerunt in Pontificem *Theobaldum Cardinalem*, quem *Celestinum* appellarunt, & ipso suæ electioni assentiente, cœptus est cani Hymnus *Te Deum laudamus*, sed nondum eo dimidiato, Leo Frangipanis, cum suis fautoribus, *Lambertum Cardinalem Episcopum Ostiensem* acclamavit, (qui & ipse pro eo Hymnum cantabat) unde maximus exortus est tumultus, sed omnibus ad concordiam reductis, Lambertus perstitit Pontifex, quem Pontificalibus quantocius indui fecit Leo, dictusque est Honorius II.

Hic cum suam electionem minus canonicam esse sciret, post septem dies, nempe 28. Decembris coram cunctis Cardinalibus, spontè, Mitra, & Pontificalibus indumentis depositis, Pontificatui renunciavit, dicens: *malle se Ostiensem Episcopatum jure obtinere, quàm injuria Romanum*. *Cardinales* perspecta ejus humilitate eumdem denuò advocarunt, & ut legitimum Pontificem adorantes debitam obedientiam exhibuerunt, & ita extinctum est schisma magna cum laude Theobaldi Cardinalis, qui eximia humilitate, alterius electioni nihil se opposuit.

SCHISMA XXV.

ANNO CHRISTI MCXXX.

In quo intrusus est Petrus Leonis *dictus* Anacletus II. *contra* INNOCENTIUM *Papam II.*

Post Honorii Papæ II. decessum, eadem die, in Basilica Lateranensi conclamatus est Pontifex a XVI. Cardinalibus *Gregorius Cardinalis de familia Paparesciorum*, quibus & Frangipanes accesserunt, dictusque Innocentius II., & paulo post, eadem in Ecclesia, eo die a multis creatus est *Petrus* filius *Leonis* Cardinalis Romanus, appellatusque Anacletus II. Magna hinc orta est seditio: nam prærogativa temporis favebat Innocentio, Anacleto autem amplior Patrum, & Procerum numerus.

Antequam solverentur Comitia laborarunt pro concordia Patres, aliique Proceres pro-

po-

ponentes, ut vel unus alteri cederat, vel utroque abdicante, tertius eligeretur, quod cum impetrare non potuissent, quatuor ex Cardinalibus numero 21.; qui Anacleto suffragati erant, transierunt ad Innocentium, & ita pro eo expleverunt vota 20. & Anacleto 17. residua fuerunt, & hinc Jus Innocentii confirmatum est. Ita habet Ciacconius; Baronius vero narrat, quod, cum multi inclinarent in electione Anacleti, & in locum condictum ad S. Marcum, & morte compertà Honorii, a pluribus electus fuerat, quam Innocentius, quem, antequam decessus Papæ publicaretur, elegisse dicuntur ejus asseclæ. Certum tamen est, & tum a pluribus; & postea acceptum fuisse Papam Innocentium.

Anacletus vero, Innocentium, qui cum his ad Frangipanium auxilium confugerat, armata manu, aggressus est, cumque eum superare non potuisset, indignatione, iraque commotus, equitans ad Basilicam B. Petri, eam sacrilege spoliavit, itemque Patriarchium S. Mariæ: hujus Thesauri largitione sibi devicit venalis multitudinis animos, ut præter Frangipanum, & Cursiorum munitiones, Innocentius nullum in Urbe subsidium haberet, quà propterea in Galliam se recepit.

Anno tandem 1138. Anacletus ex hac vita subductus est, impœnitens, cum Sedem occupasset per annos septem, menses undecim, & dies XXII, cujus corpus (ait Oldoinus ad VII. Januarii) in latebris, sine pompa sepultum fuit. Porro Innocentius semper habitus est a Catholicis pro vero, atque legitimo Romano Pontifice, XIII. & amplius annis, quibus sedit.

SCHISMA XXVI.

seu continuatio præcedentis

ANNO CHRISTI MCXXXVIII.

Mortuo Anacleto, Cardinales ab eo creati, consilio fratrum ipsius, petita a Rogerio Siculo licentia, in ejus locum elegerunt *Gregorium Cardinalem*, quem *Victorem V.* nominarunt, sed non multo post, iidem Cardinales Anacleti, divinitus compuncti, Innocentio se submiserunt, quod præstitit & *Victor*, depositis, post aliquot menses, Pontificiis insignibus, & ita pax Ecclesiæ reddita fuit. Hæc tradit Falco illius temporis scriptor, ut notat Carrier in sua Chronologia.

SCHISMA XXVII.

CONTRA ALEXANDRUM PAPAM III. ANNO CHRISTI MCLIX.

In quo successive intrusi fuerunt tres Pseudo-Pontifices.

Statim ac electus fuit Pontifex Alexander III., a XXIII. Cardinalibus, assentiente reliquo Clero, & Populo Romano tres Cardinales, videlicet: *Octavianus de Monticello Cardinalis Tit. Sanctæ Cæciliæ, Joannes Tit. S. Martini, & Guido Cremensis Tit. Sancti Callisti*, studiosi Friderici IV. Imperatoris electionem minime approbantes, & inter se conferentes, *Octavianum* ex eodem ternario, Pontificem nominarunt. Qui subito, vi detractum Pontificalem amictum, ex humeris Alexandri, sibi imposuit, quo, cum eadem vi, fuisset exutus, alium sumpsit, quem ad id in promptu habebat ejusdem Cappellanus, reseratisque portis Ecclesiæ S. Petri, conductos milites introduxit, opera quorundam Senatorum ex Comitibus Tusculanis.

Horum autem metu, Episcopi, & Cardinales in Arcem S. Angeli se se recipientes ibi novem diebus, ne possent exire, obsessi sunt ab Octaviani satellitibus; donec, insurgente pro ipsis cuncto populo, & in Octavianum infremente, eumdemque invasorem, hæreticum proclamante, educti, rursumque per eosdem Senatores in arctiori custodia triduo inclusi; & ex ea pariter a nobilibus, & populo erepti, cum magna hominum frequentia, *Nymphas* non longe ab Urbe pervenerunt, ubi Alexander consecratus est, atque coronatus: qui de communi consensu Octavianum, si infra octo dies, ad Ecclesiæ unitatem non rediret, Excommunicationis vinculo adstrinxit. Octavianus quoque, qui *Victor IV.* appellatus est, id ipsum promulgavit in Alexandrum.

Imperator Cremæ existens, Concilium Papiæ indixit, duosque electos Pontifices ad comparendum in eo citavit. Sed Alexander respondit, non esse Imperatoris Concilium convocare, sine consensu Romani Pontificis, aut eum ad suam Curiam evocare: Damnatur itaque Alexander in eo Conciliabulo, & approbatur Victor, promulgatumque fuit Imperatoris Edictum sub pœna Exilii, de non adorando Victore.

Anno 1164. Lucæ in Etruria, e vita migravit Victor Antipapa anno 5. suæ occupatæ Sedis, sepultus extra Civitatem, sepulchrum ei apud se denegantibus Canonicis majo-

joris Ecclesiæ, & Regularibus S. Frigidiani, ut habet Oldoinus in Necrol. ad diem 13. Aprilis, Alexander ejus mortem flevit, & Cardinales de ejus obitu exultantes, durius increpavit, eo quod jactura animæ fuerit irreparabilis illi extincto.

SCHISMA XXVIII,

seu prorogatio superioris

ANNO CHRISTI MCLXIV.

MOrtuo Octaviano, Joannes de S. Martino, & *Guido Cremensis*, Promotores Octaviani, alium in ejus locum subrogandum statuerunt, collectisque Schismaticis, qui ad funus accesserant, ipsum *Guidonem* elegerunt in Pseudopontificem, & *Paschalem III.* nominarunt, quem mox confirmavit Imperator, qui & juravit super Evangelium se semper Alexandrum rejecturum; quare indicto Herbipoli conventu, anno 1166. idem juramentum præstitit super Reliquias Sanctorum, publicè, idemque exegit ac Principibus, idque absentibus indixit, ut jurarent. Fridericus cum exercitu in Italiam venit, ut Paschalem Romam intruderet, Alexandrum vero occisurus, aut ejecturus, sed elapsus Alexander Beneventum se recepit, interim pestilentia invasit exercitum, & Fridericus ignominiosè ab Italia ejectus est, per Longobardos, qui copias suas cum Papiensibus conjunxerat.

Nihilominus impius Pseudopontifex Basilicam Vaticanam occupavit, & per annos circiter quinque sedit, & ex Cancro obiit, atque conditus est postea in eadem Basilica Vaticana, ut tradit Oldoinus in Necrologio ad diem 24. Augusti.

SCHISMA XXIX.

Seu prorogatio Superioris contra ALEXANDRUM III. *an.* 1169.

A Schismaticis subrogatur suo Paschali *Joannes Abbas Strumiensis*, quem Calistum III. appellarunt, & confirmatur a Friderico Imperatore, coram quo, pace inita ab Imperatore cum Papa, idem Pseudopontifex ejus pedibus humillime prostratus veniam petiit, necnon a Pontifice humanissimo comiter exceptus, & in Curia detentus, etiam ad mensam suam adhibitus, & sic hoc Schisma extinctum fuit.

Oldoinus in Necrologio ad diem 29. Augusti tradit, *Joannem* fuisse natione Hungarum, & postquam tenuisset Pseudopontificatum per annos 7. menses 5. & dies aliquot, se abjecit ad pedes ejus, quem perbenigne accepit Alexander, Tusculi, coram Cardinalibus, dicens; *Frater gaudium est Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente: quod suggestione diabolica unitatem Ecclesiæ discindere voluisti, multum doluimus, & quod inspirante Domino ad unitatem ejus redire voluisti, plurimum gaudemus. Romana Ecclesia, quæ juxta Christi mysterium inimicos diligere consuevit, te hodie pœnitentem in filium recepit, & pro malis bona tibi retribuere procurabit. Deinde factus est Archiepiscopus Beneventanus.*

Pandulphus Pisanus in Vita Alexandri III. inter Scriptores rerum Italic. tom. 3. pag. 446. præter supradictos tres Pseudo-Pontifices addit etiam quartum, nempe *Landonem*, qui appellatus est Innocentius III., & parvo tempore extinctus fuit.

SCHISMA XXX.

ANNO CHRISTI MCCCXXVIII.

In quo intrusus est PETRUS DA CORBARIA *contra* JOANNEM XX. *dictum* XXI.

ASsumpto ad Pontificatum ipso Joanne anno 1316., atque postea exortis simultatibus inter Ludovicum Bavarum, & ipsum Pontificem, ipse Imperator anno 1328. in conventu Schismaticorum Romæ habito, eligendum curavit Pseudopapam *Petrum Rainalductium de Corbaria* Reatinæ Diœcesis Ordinis Minorum S. Francisci, qui Religionem, relicta uxore, professus erat, & *Nicolaus V.* dictus est, statimque duodecim Cardinales creavit, eosque supellectili cuncta donavit. Ludovicus, anno sequenti, rediens in Germaniam, deficiente ab eo tota Italia, quia ubique Nicolaus pro excommunicato habebatur, ipsum Nicolaum, commisit tutelæ Facii Comitis Pisani, qui tamen eumdem Nicolaum in Galliam transmisit, ad Joannem verum Pontificem. Pseudopontifex vero postridie, quam Avenionem pervenit, in publico consistorio, collo in laqueum inserto, se ad pedes legitimi Pontificis abjecit, & veniam, ac vitam deprecatus est. Papa prolixè ejus orationi sua omnia commemoranti illacrymavit, & e terra sublatum osculatus est, vixitque postea in Palatio Pontificio sub Custodibus neminem alloquens tres annos, sepultusque est in Ecclesia Minoritana cum ha-

habitu Religioso, & Anticardinales ipsi abdicarunt.

Oldoinus de eo agit in Necrologio ad 25. Augusti, quo die obiisse scribit.

SCHISMA XXXI.

ANNO CHRISTI MCCCLXXVIII.

Contra URBANUM VI. *quod ad quadraginta annos perduravit, in quo primum intrusus est* ROBERTUS *Cardinalis Gebennensis, & appellatus est* CLEMENS VII.

HIc in Galliam se recepit, & per annos sexdecim, & ultra, contra Urbanum Sextum & Bonifacium Nonum Cathedram occupavit, Rempublicam Christianam perturbavit, evulgatis octo supra triginta Cardinalibus suæ obedientiæ, & Avenione obiit anno 1394., & sepultus fuit ibidem in Ecclesia Cælestinorum ad Pontem Sorgiæ, ut tradit Oldoinus in Necrologio ad 16. Septembris.

Mortuo Pseudopontifice Clemente a Pseudocardinalibus intrusus est Petrus de Luna dictus Benedictus XIII. natione Hispanus, qui ad annos 30. Sedem occupavit semper usque ad extremum vitæ spiritum in obstinatione permanens, evulgatis septem supra viginti Cardinalibus, tandem anno salutis 1423. vel juxta alios 1424. Penischolæ in oppido Regni Valentiæ octuagenario major extinctus est, ibique cadaver sepultum, inde Igleugam Aragoniæ oppidum translatum, ut habet Oldoinus in Necrologio ad diem 23. Maji.

Historiam hujus Schismatis fuse tradidimus in nostris Animadversionibus Cap. 7. pag. 27. quæ videri potest.

Post obitum Petri de Luna a tribus Cardinalibus Peniscolæ electus est Ægidius de Munio Canonicus Ecclesiæ Barcinonensis, qui appellatus est Clemens VIII. Hic post annum sui Antipapatus quintum, vel coactus ab Alphonso Rege Aragoniæ, seu ex aliis ultro, & sponte depositis vestibus de Sede descendens Pontificatui nuntium remisit & abdicavit, & hoc Schisma, quod ad duos, & quinquaginta annos perduraverat, extinctum fuit, ipse vero Apostolicæ Sedis gratia, ordinatus est Episcopus Majoricensis. De eo agit Oldoinus in Necrologio ad diem 26. Junii.

SCHISMA XXXII.

ANNO CHRISTI MCCCCXXXIX.

In quo intrusus est AMADEUS SABAUDIÆ *Dux, fuitque ex Schismatibus ultimum contra* EUGENIUM *Papam* IIII.

STatim ac electus fuit Pontifex Eugenius IIII. anno 1431. indixit Concilium Generale celebrandum Basileæ anno sequenti, sed cum ejusdem Concilii celebrata fuisset prima sessio, justis de causis, illud irritavit, & Concilium Avenionem celebrandum jussit: cum autem ob hujusmodi translationem periculum immineret perniciosissimi Schismatis, iterum Basileæ Concilium restituit: at cum in eo plura contra dignitatem, & auctoritatem Sedis Apostolicæ, aliisque urgentibus causis, Concilium suppressit, idemque primum trastulit Ferrariam, postmodum, exorta pestilentia, Florentiam. Patres vero Basileenses odio affecti in Pontificem Eugenium, illum tamquam devium, & Schismaticum expulerunt, & ita Basilea Basiliscum produxit, nempe hoc schisma.

Elegerunt quidem in Pseudopontificem Amadeum ex primo Duce Sabaudiæ Eremiticam vitam agentem, Tertii Ordinis Sancti Francisci, & absentem, qui Felicis V. nomen assumpsit, & perduravit in Schismate ultra annos novem, usque ad Pontificatum Nicolai Quinti. Sed cum Amadeus potius simplicitate, & non sua culpa & malitia adactus fuisset, pacis amans, Felix verè fuit in extinguendo Schismate, nam dignitatem ultro dimisit, certisque conditionibus oblatis sibi, Pontificatui cessit, nam Papa amplissimos illi honores contulit, constituit enim illum Cardinalem Sabinensem, & perpetuum Sedis Apostolicæ Legatum in Sabaudia, indulsitque eidem Pontificia insignia omnia, præter jus præferendi Corporis Christi, annulum Piscatorium, Crucem in pedibus, & Umbellam: cuncta quoque acta ejus jussit rata fuisse, & Cardinales aliquot ab eo creatos confirmavit; obiit Lausanis anno salutis 1450., & tumulatus fuit, juxta aliquos, in Cathedrali, sanctitate illustris cum beato fine quievisset, & ita hoc ultimum extinctum est Schisma, nec aliud Dei gratia intercessit.

F I N I S.

IN.

INDEX PRIMUS

Rerum magis memorabilium, quæ habentur in Animadverſionibus.

A

B

C

D

E

F

I

L

M

N

O

P

R

S

T

V

INDEX II. ALPHABETICUS

Romanorum Pontificum, qui in Chronologia indicantur per notas numerales unicuique appositas juxta successionis ordinem.

A

B

C

D

E

F

ll.

G

H

I

L

M

N

P

F I N I S.

INDEX TERTIUS

Rerum magis memorabilium, quæ continentur in Appendice.

Errores Typographici . sic corrigendi

IN ANIMADVERSIONIBUS.

Pag.	col.	v.	Errores	sic corrigendi
43.	2.	38.	*& Clerum*, adde *accederet*	
43.	2.	11.	*approbantis*	approbatis
62.	2.	22.	*more*	morem
65.	2.	50.	*delineatis*	delineandis
85.	2.	8.	*Civitatibus*	Civitatis
88.	1.	13.	*Stemmas*	stemmata sunt
110.	1.	6.	*Regions*	Regalis

IN APPENDICE.

Pag.	col.	v.	Errores	sic corrigendi
136.	2.	55.	*de Cacco*	de Cacco
		30.	*infomtis*	infontis
		45.	*Sarazenius*	Sarazanius
140.		26.	*Pfettalam*	Septalam
141.		16.	*Bacellinus*	Bucellinus
142.		24. & 32.	*Heliogabalus*	Heliogabalus
144.		25.	*Vindemius*	Winhemius
		27.	*Tornaes*	Tornaci
		38.	*Brusbercifensium*	Bruferiсensium
		48.	*de Cluate*	de Clivate
145.	1.	5.	*Laer'ensi*	Lærienfi
146.	1.	60.	*Junior*	Senior
147.	1.	54.	*Giobonius*	Giambonus
	2.	14.	*To. 2.*	Dixta 2.
148.	1.	1.	*Ede*	Æde
ibid.		21.	*Ædi*	Æditi
ibid.		38.	*Fuldarius*	Fuldardus
	2.	10.	*ftaenta* .	peractæ
		25.	*Muratorius*	Maria
		30.	*Cardulum*	Cardulum
150.	1.	25.	*probari*	probare
		39.	*Pistore*	Fossore
151.	2.	6.	*indicantur*	indicas
152.	1.	ult.	*extruxisset*	extraxisset
	2.	30.	*aderis*	coloris
154.	1.	22.	*Buiderico*	Balderico
155.	2.	31.	*construxit*	construxerit
156.	2.	21.	*Vatin.*	Vatic.
157.	1.	56.	*Consecratis*	Consecrationis
163.	1.	20.	*nullus*	nullum
165.	2.	27.	*in ævo*	nævo
170.	2.	10.	*liæus*	linceus
177.	2.	21.	*quidam*	quidem
		31.	*plurius*	plurima
179.	2.	71.	*quæ*	quo
184.	2.	34.	*Lateranensem*	Lateranense
185.	2.	47.	*fit*	sed

F I N I S

In Animad. pag. 84. col. 2. v. 26. Qui fed. ann. 11. (*adde*) Numeris Arabicis.
Ibid. v. 30. ad ann. XI. (*add.*) Numeris Romanis.